












COMMENTARII
IN LIB. I. SENTENTIARVM
M. PETRI LOMBARDI.

In quib. ea pertractantur, quæ ad perfectam Sanctiß. Trinitatis cognitionem, à quocunq; Pio fideli desiderari possunt.

Ad Serenißimum FRANCISCVM Mediceum Magnum Hætruriæ Ducem II.

Authore M. Angelomaria Montursio Seruita Flo. in Conuentu D. Annuntiatæ Vicario Gen. & Studij Regente.

Qui omnia hęc Floren. & Parmę, vbi proximè habentur comitia Generalia per plures dies ad disputan. proponit: aliquo semper ex suis discipulis respondente.

CVM PRIVILEGIO.





FLORENTIAE.
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXIX.

SERENISSIMO
FRANCISCO
MEDICEO MAGNO HAETRVRIAE DVCI.

M. Angelusmaria Montursius Seruita. S. P. D.



VLTAE, & illæ quidem iustæ, me causæ (Princeps optimè) mouerunt, vt primitias has tenuis ingenij mei, magno tuo nomini consecrarem: cum enim materies primùm, de qua hoc in libro disserere mihi proposui, ipsa per se grauis admodum sit, nullam aliam personam illi conuenire, magisq́; idoneam tua esse censui: clarissimis namq; viris, ac magnis Ducibus, magna sine dubio debentur. Deinde, intelligens me onus humeris meis, nimis graue imposuisse: viresq́; illi sustinendo non pares vllo pacto habuisse; siquis fortè extaret, qui elucubrationes has meas,

parum amanter, conuellere postea conaretur; dignitate, àc firmo præsidio tuo, ab omni impetu maliuolorũ tectas, ac munitas esse volui. quis enim res tanto homini dicatas inimico animo inuadere audeat? Prаeterea, cum iam pridem ardeam cupiditate incredibili, declarandi voluntatem meam, valde propensam erga amplitudinem tuam; quæ me humanitate sua singulari, atq; admirabili comitate sibi deuinxit omni tempore, quo sermonem, ob personam, quam gero, mihi secum non semel habere contigit; quomodo nunc, occasionem aliquam nactus, sitim hanc meam non expleam? nam cum per tres annos, à maioribus meis cura mihi mandata fuerit, regendæ hic iuuentutis nostræ Domus; meisq; lectionibus politioris reddendæ; Non alienum duxi labores illos à me susceptos; & paulopost Florentiæ, & Parmæ publicè primarijs nostris comitiis, contra multa ac valida disputantium argumenta comprobandos, tibi, quamuis rudes, destinatos, in manus cunctorum ædere, ac diuulgare. Quin etiam, cur tibi fructus mearum vigiliarum impartire non debeam, quos ex omnium scientiarum domicilio à Magno Cosmo Patre tuo restituto; & à te diligenter

ligenter

ligenter custodito, & aucto, decerpere studui: dũ Pisis, per plures annos, doctißimorũ virorum eruditione fruens, in primis Iacobum Tauãthium, summum Theologum, tuæq; dignitatis studiosißimũ; qui hoc tempore vniuersæ nostræ Seruitanæ Reip. clauum tenet, magistrum, doctoremq; sum secutus: cui quidem magnopere obligatũ me esse ingenuè fateor, atq; ero quo ad viuam: speroq;, & opto vẽturũ aliquãdo tempus, quo scriptis meis, postquam alia nulla ratione id præstare possum, gratum animum meũ erga illum, memorẽq; tanti beneficij, ostendã. His omnibus ego causis adductus, Magne Dux, opusculum hoc meum tibi dicare statui, quod & si sua vi dignum fortasse non sit, quod nominis tui authoritati commendetur: decoris tamen splẽdorisq; multũ excellentia materiei, quæ fructus eximios, & Principibus viris, & singulis hominibus fert, adportabit. Quare voluntatem in me egregiam spectans, idipsum, qualecunq; est ita excipias rogo, vt omnes intelligãt incitatum potius esse studium meum, quàm aut reuocatum, aut retardatum. Vale. Deusq; opt. max. te diutius nobis Florentem conseruet, atq; omni ope augeat. Florentiæ decimo Calendas Aprilis. MDLXXIX.

CATHOLICAE FIDEI STVDIOSIS SAL.





VM Sacra Theologia omnes alias ſcientias longè interuallo ſuperet, quia cæteræ omnes humanæ, hæc verò ſola diuina exiſtit: ipſa profectò cōmune ſciendi deſiderium, in animis noſtris inſitum, ſola complere poteſt. Equidem in frugiferis, & copioſis Philoſophiæ campis, hæc locus eſt feraciſsimus; à quo conſtanter, honeſtèq; viuendi cuncta præcepta ducuntur: quæ nos primùm ad agnitionem Dei & noſtri inſtruunt; deinde ad modeſtiam, & pietatem colendam erudiunt; tùmq; à mente tanquam ab oculis caliginem depellunt: vt omnia prima, media, vltima, infera, & ſupera videamus. Verùm inter Theologiæ partes illa primum locum iurè obtinet, quam nos declarationibus illuſtrare, & publicè tueri inſtituimus: Quod ita conſtare arbitror, vt nullus egeat argumentis. Vnuſquiſq; enim, vel mediocriter in ijs ſtudijs verſatus, facilè cognouerit ex totius ſanctiſſimæ Trinitatis intelligentia, omnem veram cognitionem, omnemq; bonum ad nos, atq; ad totum orbem peruenire, & in nobis perfici: quo enim magis Deus cognoſcitur, eò magis diligitur; & tunc beatiores multo ſumus. Vnde factum eſt quod nulla alia re magis capimur, magiſq; delectamur quàm ſcientia rerum diuinarum: & ſi noua videre, audire, diſcere; cognitionemq; rerum aut reconditarum, aut admirabilium aſſequi iucundiſſimum eſt; certè in cognitione ſummi Dei excellere optatiſſimum eſſe, atq; pulcherrimum negari non poteſt. Quamobrem in propoſito labore, ſtudij plurimum adhiberi decet. Nos quidem vtilitate cognita, ſuauitateq; deguſtata, multum temporis in eo conſumpſimus: idq; libentius fecimus tùm ob dignitatem tanti authoris, ſententiarum verè Magiſtri; tùm etiam quia opus ipſum interpretem deſiderare videbatur. ideoq; cum ipſe multa paucis ſit cōplexus, licèt politè ſcripſerit, & luculenter; cumq; complures alij Theologi Præſtantiſſimi extiterint, qui eius dicta in controuerſiam adduxerint, multas, ac difficillimas tractando quæſtiones; nos inter illiūs breuitatem, & horum difficultates conſtituti, Commentarios in ipſum confecimus, atq; excudendos poſtea curauimus, ſicut in libros Ariſtotelis factum reperimus; qui à Magiſtro ſtrictim enarrata, copioſè, ac dilucidè,

pro vi-

pro viribus, tractarent: atq; solutiones eorum ferè omnium, quæ à Theologis Scolasticis diffusæ anquiruntur, breuiter in se continerent. In quo sanè munere obeundo, illud nos assecutos speramus, vt Amicè omnia, & fideliter exposita inueniantur: licèt enim nulli sapientum sectæ nos metipsos addixerimus, absq; tamen alicuius iniuria, ijs semper assentiendum esse iudicauimus, quæ aut vera esse, aut quàm proximè ad veritatem accedere, ratione ipsa duce, cognouimus. Et siquid in hoc opere dictum inueniatur, quod sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, aut repugnaret aut non consentiret, non dictum esse volumus. Quippè id nobis semper cordi fuit, quod & ore, atq; scripto vbiq; testati sumus; nolle nos vllo pacto à sacris orthodoxæ fidei dogmatibus, sententijs, ac ritibus vel latum vngem discedere: vndè præsens tractatus, & omnia à nobis dicto, aut scripto hactenus habita, atq; habenda, semper iudicio Sanctæ Matris Ecclesiæ, omniumq; melius sentientium: & nos ipsos etiam submittimus. Cæterum vt omni alia culpa, si quam in hoc opere admisi, benignitate tua, Candide lector, apud temetipsum liberare me valeas, scire maximè conuenit has lectiones in totum primum librum Magistri sententiarum, eo temporis spatio à me esse confectas, quo onus mihi impositum fuit vt Iuuenes familiæ nostræ disciplina erudirē. quo tempore lectionibus alijs, continuisq; disputationibus fui distentus. Et cùm primùm eas diuulgare decreui, officio Prioratus Conuentus D. Annuntiatæ molestiarum pleno, destinatus sum. quando etiam easdem à meis auditoribus (vt plerunq; euenit) non absolutè descriptas colligere me oportuit. Præterea his impedimentis accessit quod vt Comitijs nostris Generalibus impressæ omninò forent, hanc curam mādare me opus fuit duobus nō ijsdem typographis, quorum lapsionibus corrigendis, ipse solus adhuc præsto sum assidua opera mea. Quocirca breuitate temporis abreptus, & magnis occupationibus domesticis impeditus, quod animo conceperā (lector benigne) omnino perficere denegatum fuit: nec potui (vt volebam) his meis declaratiunculis contextum ipsum adiungere. Has igitur quales sunt, nulla certè alia de causa excussas, nisi vt publicè confirmētur, libēter accipies. Si tamē aliquid contra nos habes, quoniā nihil inuenitur certius quàm quod dēte disputationis discutitur, in mediū amicè afferas, coràm me & corā discipulis & auditoribus meis, qui cū illas optime teneant, pro me & ipsi stabunt, planūq; omnibus facient, quantū in hac re profecerint. Ego autē si in ea exponenda barbaris quibusdā vocibus aliquādo vsus sum, peto abste vt me excusatū habeas: satius enim fore duxi vsitatis verbis, ac receptis apud Theologos, animi mei, aliorūq; sensum aperire, quàm ornato elegantiq; sermone, rē ipsam præposterè tractando, obscurare. Quod meū consilium si tibi probatum iri intellexero, alias meas lectiones in Aristotelem iam habitas; & alios tres libros sententiarum, quàm primùm expectato. Vale.

AVTHORIS SIGNVM IN DOMESTICA TRANSFORMATORVM ACCADEMIA.



FRATRIS ANGELIMARIAE MONTVRSII SERVITÆ.

Commentarij in primum librum Sententiarum.

Ad Serenissimum FRANCISCVM Mediceum Magnum Hætruriæ Ducem.

LECTIO PRIMA.



RAVISSIMAM me aggredi Prouinciam, statim quòd onus hoc legendi, & si non inuitus, suscepi (studiosissimi Iuuenes) optimè cognoui: atq; in dies valdè difficilem, laboriosamq;, quamuis iucundam, ipse sum expertus. Verùm hoc tẽpore (vt vera fatear) longè grauiorem, me sustinere conspicio; dum primi libri sentẽtiarum, subiectam materiam, quam, me duce, intelligere contendistis, accuratè animaduerto. Non enim dicendum est mihi de logica facultate, non de principiis rerum naturalium, non de consequentibus principia; neq; de motu, & mobili æternitate, vel de perfectione motus circularis. quibus (sicut hucusq; fecimus) primi motoris ęternitatem, immobilitatemq; oporteat concludere. Sed longè altiora, difficilioraq; sunt perscrutanda. Sermo enim habendus est, de Diuina Essentia, atq; de Trinitate personarum: Videndum est quomodo Pater sit in filio, & filius in Patre, & vterq; in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in

 vtroq;:

vtroq; : Agendum eſt de proceſsione diuinarum perſonarum,
de earum æqualitate, de illarum reali perſonali diſtinctione, àc
proprietatibus : De attributis diuinis, De ineffabili ſcientia, pro
uidentia, & potentia Dei Opt. Max. de ſanctiſsima prædeſtina-
tione, deq; æterna, & incommutabili eius volũtate : atq; de mul
tis aliis generis huiuſmodi. Quæ omnia tanta, àc talia ſunt, vt
nõ ſolum maiora excogitari, aut quouis modo fingi, nulla Crea-
tura poſsit; ſed hæc etiam, non dico comprehendere, quòd om
ninò eſt impoſsibile, ſed leuiter attingere, ſine ſpeciali Dei au-
xilio, nequaquam valeat. Quamobrem ſi dum leuia auſpicare-
mur, diuinum auxilium implorati fuimus, profectò in maximo
hoc, & ſingulari negotio, maximè etiam, & ſingulariter precan
dus erit Deus, vt nobiſcum miſericorditer, liberaliterq; agat.
Quòd quidem diligentiſsimis, ac efficaciſsimis precibus, dupli-
ci de cauſa, faciendum eſt nobis. Altera quidem eſt, vt diuina ar
cana facilè intelligere valeamus: Altera verò, vt illa ſalubriter
intelligamus. Quamuis enim (Dilectiſsimi fratres) omnis homo,
qui peregrinatur ad Deum, facilè dum eſt in via, deuiare, labi, àc
deficere poſsit; Nos tamen, & fama, & capite magis periclita-
mur, faciliusq; à recta via recedimus, dum .ſ. alta petimus diui-
na intelligere præſumentes, quia facilis deſcenſus auerni. Quarè
moneo vos, vt ad hanc Theologicam Lectionem, nõ ſine Dei ti
more, Amore, àc fide accedatis; accedentem enim oportet cre
dere. Quòd ſi feceritis, ex huiuſmodi ſtudio hæc conſequemini,
Deus à vobis feruẽtius diligetur; Amor proximi nutrietur; ſpes
ſalutis augebitur; & crebris conſolationibus ſpiritus, & anima
replebitur; alioquin habetote, quòd tanquam Diuinæ Maieſta-
tis ſcrutatores (quod Deus auertat) à gloria opprimemini, fœ-
liciſsimè autem vobis euenient omnia, ſi vitam quam ſapientiſ-
ſimè inſtituiſtis, honeſtiſsimè etiam, àc ſine ſuſpicionis crimine,
cõtinuè traducere, & tandẽ terminare, curabitis. Ego enim ex al
tera parte, ità vobiſcum agam, vt meũ ſtudium, & operam in nul
la re deſiderare poſsitis. Quòd quidem vt iam appareat. Acce-
dendo ad primum librum Magiſtri ſententiarũ, ea propono, quæ
communiter à Græcis, & Latinis; fidelibus, & infidelibus, ante
expoſitionẽ alicuius voluminis, præfari ſolent : Nam in his, quę
veſtra interſunt, à nullo diligentia vinci, vnquam patiar. Hæc au
tem, quę ad habitum hunc Theologicum percipiendum, viam fa

cere,

cere,& parare volumus; genere quatuor tantum erunt; numero deinde subdiuidenda, prout res postulare videbitur.

Primum erit quid sit Theologia. Alterum qualis ipsa sit, Tertium circa quæ versetur. Vltimò à quo,& propter quid,sit instituta, videbimus. Illud, quod primo loco propositum est, exigeret,vt prius An sit Theologia exponeremus; si quidem mundi sapientes,& præsertim Aristoteles ipse, in posterioribus analyticis lib. 2. ad initium, scibilium quæsita enarrans, primo loco statuit de quacunq; re scibili determinandum esse, an res sit; mox quid sit inuestigandum. Ego tamen ab hoc quæsito,libenter, àc iurè supersedeo; cum perspiciam,nullam vnquam fuisse nationē, gentem,àc populum,qui, aut secundum veritatem rei,aut secundum quandam veritatis similitudinem, sub vmbra, & figura, aut tertiò secundum falsitatem quandam(iuxta Dęmonum tenebricosa inuenta, àc figmenta, insanæ mentis humanæ) de Deo, vel de Diis sermonē non habuerit; àc propterea aliquo pacto Theologiam receperint. Si quidē Theologia, cum sermo sit de Deo, consequitur,vt qui sermonem de Deo suscipit & habet, is quoq; Theologiam suscipiat, & habeat. Sed addo ego, semper fuit sermo de Deo,etiam apud aliquos pios homines (Non enim dicendum est, vllum vnquam tempus fuisse, in quo Deus ipse non reliquerit sibi semen Piorum, fideliumq;, hominum,apud quos verè religionis cultus exerceretur) ergo fateri necesse est & Theologiam semper fuisse ab hominis cōstitutione vsq;, ad hæc tempora, duraturaq; vsq; ad finem seculi. Quod si quispiam hic percontaretur.Quando cæperit Theologia; Dicerem ego quòd æterna est,& ratione initij,& ratione finis; Imò assererem,quòd cœpit in tempore, & terminabitur in tempore: atq; adderem, quòd cœpit in tempore,& permanebit in æternū. Atqui non me fugit,quòd assertiones huiusmodi ita rudè,quemadmodum prolatæ sunt, intellectæ; prima facie, contradictionem inter se videntur habere; Verùm,secundum diuersam considerationem,acceptæ, veritatis limites non transgrediuntur. Nam, si loquamur de Theologia Dei,quæ est cognitio, quam de semetipso habet ipse Deus, nulli dubium est, quòd cum nulla fuerit temporis mora, aut instans, in quo Deus seipsum non cognouerit, aut sui notitiá plenè non habuerit, Theologia erit æterna; quemadmodum Deus; & quemadmodum Deus nunquam cœpit, & nun

quam desinet; pari quoq; modo, Theologia ab vtraq; parte, æterna erit. Secundò, si loquamur de Theologia, quam habent Angeli, & cœlestes Spiritus in Patria; cum cœperint in tempore, vel cum tempore, & confirmati fuerint in gratia (de bonis enim loquimur) profectò dicendum erit, quòd talis Theologia est æterna, à parte post; licet in tempore initium sumpserit; & sic patet veritas alterius assertionis. Tertiò, si fiat sermo de Theologia hominis viatoris, tunc veritatem habet aliud dictum; quòd.s. Theologia cœpit in tempore, & tempore terminabitur; cum homo in tempore, Deum cognoscere incipiat, & tandē postea moriatur. Vbi, alia statim suboritur, non paruæ difficultatis, quæstio, An.s. habitus scientifici, acquisiti in hac vita, remaneāt post mortem, sed alterius id perscrutationis est; ideo in aliud tempus relinquatur disputandum. Ad propositum itaq; redeundo. Cum hoc quęsitum An sit Theologia, tanquam per se notissimum, iurè, & consultò à nobis relinquatur: Quid Theologia ipsa sit, perscrutandum propono, pro sequenti lectione.

LECTIO SECVNDA.

QVoniam disputatio omnis, quę de aliqua re suscipitur (iuxta M. Tullij præceptum, in primo officiorum) debet primò à definitione proficisci, vt intelligatur quid illud sit, circa quod vertitur sermo; Iurè à nobis primo loco propositum fuit, quid ipsa Theologia esset, quærendum. Vt hoc igitur rectè intelligatur, obseruandum in primis id, quod aliàs audistis; nempè vnumquodq;, quod potest exprimi definitione, dupliciter posse declarari, vel secundum nominis Ethimologiam, vel secundum rei Essentiam; ex quo pendet vulgata illa distinctio, de duplici definitione, quid nominis, & quid rei. De quid nominis Theologiæ loquēdo, inquit D. Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei Cap. primo quod Theologia est sermo, vel ratio, vel (vt dicit Ioan. Lodouicus Viues, in Commentarijs illius loci) est dissertio, siuè disputatio de ipso Deo, vt diuinæ reuelationi, & inspirationi innititur. Cum enim multiplex sit Theologia, de illa nunc loquimur, quæ homini à Deo Opt. Max. per Spiritum Sanctum est reuelata; quæ, quoniam & ipsa quatuor modis potest accipi; vt potissimum habetur ex Scoto, & Francisco de Mayrone, in quæsito,

quo

quo quæritur, an Theologia sit scientia. Antequam verè definia tur, sciendum est quòd primo modo sumitur pro nouo, atq; veteri testamento.i. pro tota sacra, atq; Canonica Scriptura; Secundo modo (vt clarius loquar quam Franciscus de Mayrone) accipitur pro fide infusa, vnde Puerum, vel absq; rationis vsum, Theologum dicimus; & cum Scoto asserimus, nullum sine Theologia saluari posse; sicut sine fide, impossibile est Deo placere. Tertiò accipitur pro actu, quo quis assentitur, & credit his, quæ sunt fidei; vnde Rusticus, qui literas nescit, Theologus dici potest. Vltimò pro fide acquisita sumitur (hoc est) pro quodam habitu, acquisito ex pluribus actibus assentiendi elicitis, circa veritates Theologicas; quo quidem modo, vt perfectè Theologi sitis, nunc vobis est laborandum; cum iam secundo, & tertio modo, verè Theologi nomine, gaudere possitis. Sed quoniam, sic etiam accepta, est duplex; secundum quòd accipitur vel in se, vel respectu intellectus sibi proportionati. Primo modo Theologia est illa notitia, quam obiectum Theologicum causat in intellectu sibi proportionato. Secundo modo Theologia est notitia, vel habitus acquisitus de obiecto beatifico, pœnes capacitatem intellectus creati, vel Angeli, vel hominis; & sic patet primum propositum, quod erat de quid est Theologiæ. Nunc de qualitate eius, primùm cum D. Thoma, & Ricardo de media Villa, Theologiam nostram, vt est in nobis, de qua nunc est sermo, scientiam esse libenter, & constanter affirmo; siquidem in illa ex principijs eius euidentissimè notis, in superiori scientia, quæ est Theologia Beatorum, necessariò deducuntur quæstiones veræ, de quibus certam, & firmam habemus notitiam. secundò hanc Theologiam vnam esse scientiam, & non plures dicimus, & hoc præsertim propter vnam rationem formalem sub qua considera tur eius obiectum, quæ est reuelabilitas; Vnde ratio formalis quare principijs Theologicis assentimur, non est, nisi quia diuinitus sunt nobis reuelata; inquantum.s. reuelatio se habet non solum vt causa efficiens, sed etiam vt ratio, & vt modus cognoscendi, sub quo attingitur res reuelata, quod, cum non sic eueniat de lumine naturali, non sequitur, quod omnes scientiæ humanitus inuentæ, vna scientia dici debeant; Præterea addimus, quod hæc vna scientia, ratione sui subiecti, particularis scientia dicitur; inquantum eius vnum est subiectum; quamuis ratione

præ-

prædicati, hoc est, ratione eorum, quæ in Theologia conside-rantur, scientia cōmunis, rectè dici possit: quę & argumentatiua, non temerè appellabitur, quando demonstratione vtitur, ad probandas suas Conclusiones; vel etiam contra disputātes, & negantes, aliquid ex suis principijs: quibus semper innititur omnis eius demonstratio. Quod si etiam quæritur, An hæc ipsa scientia practica sit, vel speculatiua, ob eius dignitatem, ambitum, & amplitudinem, liberè vtrunq; concedo: & si petitur à qua nam parte Magis se teneat; licet non facilè sit diiudicare, eam tamen Magis practicam, quàm speculatiuam esse decerno; siquidem eius finis, à quo res Magis, quam à fundamento est denominā da, opus, charitas, & fruitio est; Quamobrem concedo necessitatem fidei, prædico & ipse, quòd est fundamentum totius Theologici ædificij: sed ipsa ad opus ordinatur & ad charitatem; vnde fidem sine operibus mortuam esse, docet vniuersalis Ecclesia. Ex eo autem quod statutum est Theologiam esse scientiam, eam Theologiæ Beatorum, & Dei subalternari dicendum sequitur; quoniā cum de ratione scientiæ sit: vt procedat ex principijs notis, vel lumine naturali intellectus; hoc est, in illa scientia, cuius sunt principia; vel lumine scientiæ superioris .i. subalternantis; & eius principia non sint nota per se, sed solùm credita; profectò aliam scientiam, in qua sint per se nota, ponere oportet; & hæc erit Theologia Beatorū, & Dei; cui nostra verè subalternatur; Ideo scire maximè conuenit, quod hæc nostra Theologia, & illa Beatorum, àc Dei, idem habent subiectum, quod est Deus, sub ratione Deitatis. Secundò hæc nostra Theologia, aliquid addit subiecto considerato in scientia, quam dicimus subalternantem, videlicet reuelationem; quæ licet non sit ratio obiecti, terminans intellectum nostrum; est tamen ratio obiecti, mouens intellectum nostrum; ratione cuius, principijs Theologicis assentimur. Tertiò eiusdem subiecti, Theologia Beatorum, dicit propter quid; & Theologia nostra, ipsum quia est; inquantum Deus, quòd tale est obiectum, vt in se visus, mouet intellectum Beatorum; & in suo effectu cognitus, mouet intellectum Viatoris: quę conditiones (vt potissimum ex Egidio habetur) ad veram subalternationē sufficiunt; & ideo hæc nostra Theologia scientia est subalterna. Nec tamen ob id, scientijs naturalibus putanda est imperfectior, quinimo ipsa longo perfectionis, & dignitatis interuallo,
coete-

cæteras omnes sciẽtias,quæcunq; fuerint, antecellit: tùm quòd authoritate, non hominum, aut naturæ dumtaxat, sed Dei Opt. Maximi, primò, & per se innititur: tùm quia omnium hominum ingenia, sibi submittit, & profundissima, altissimaq; continet arcana. Preter id, quòd maius bonum est cognoscere Deum, cognitione reuelata, quàm cognoscere Deum, & Creaturas per lumen naturale; vnde ipsa est, quæ speculatiuas omnes scientias, in primi veri cognitionem; & praticas, in operationem primi boni, dirigit: ideòq; hæc nostra Theologia nobilior est, àc dignior. Et confirmatur, quia ipsa, certior est omnibus alijs scientijs; Primùm ratione luminis fidei: quod est clarius lumine naturæ; licet sit obscurum, & in enigmate positum, si ad lumen gloriæ conferatur: Deinde ratione rerum, de quibus tractat; si enim de illis aliquando dubitare contingit, hoc non ex eorum incertitudine prouenit, sed potius ex debilitate intellectus nostri; qui postea diuino artificio adiuti, & fide illustrari, adeò roborantur, vt aperte cognoscant certiores esse fidei articulos, quàm ea principia, quæ sapientes seculi, per se nota, appellant: Vnde quamplurimi veritatibus Theologicis, adeo adheserunt; vt ludibria, & verbera, vincula, & carceres, eius amore experti sint; atq; peripsema omnium facti, vsq; ad extremum vitæ spiritum, sanguinem constantissime perfuderint. Quarè nostra hæc Theologia, certissima est super omnem certitudinem humanam: & cum omnia doceat, præsertim difficilia; causamq; simpliciter altissimam, altissimo modo, quo considerari potest, consideret; maximèq; sit sui gratia, & principalior cæteris; maximè propriè sapientię nomine communiter celebratur. Propter quę, eius studio, & amore mirum in modum exardere, cõuenit. At qui fieri poterit, quin omnes ingenij, & mentis uestræ neruos, ad hanc sacram Theologiam consequendam, intendatis, quando eam ad benè, beatèq; viuendum; atq; ad eam fœlicitatem consequendam, quam ignorauerunt Philosophi, quamq; vos maximè cupitis, omninò necessariam esse intellexeritis? Res profectò sic habet, vt sine huiusmodi cognitione, supernaturaliter inspirata, nõ possit homo finem suum supernaturalem cognoscere, & eo cognito, absque Theologia ad illum, & propter illum operari nõ valeat; Immo, non solum est necessaria propter ea, quæ de Deo non possumus cognoscere, nisi per reuelationem; sed etiam propter cognitio-

nem,

nem, quam de Deo possumus habere per humanam inuestigatio nem: ad errores.s. qui circa illam persæpe cõtingere solent, reiciendos, euellendosq;. atq; etiam necessaria dicitur, propter maiorem excitationem nostri affectus, ad maiorem dilectionem Dei. Igitur in hanc vnam scientiam, & sapientiam percipiendam, omnis cura, omnisq; opera est collocanda.

LECTIO TERTIA.

PRosequentes quæ explicanda proposuimus, cum quid, & qualis sit Theologia facilè, exposuerimus; nunc circa quod ipsa versetur, à quo, & propter quid sit instituta, superest explicare: quòd vt breuiter, vestraq; cum vtilitate, & absq; aliorum iniuria perficiatur à nobis. Quicquid alij senserint prætermisso, hęc nostra erit sententia, non quidem proprio elaborata ingenio, sed hinc inde studiosè collecta; videlicet, Deũ sub ratione Deitatis, totius Theologię esse subiectũ; sed in Theologia Dei simpliciter, & absolutè, in Theologia verò Beatorum, & nostra, cum appositione, Magis quidem ex parte cognoscentis subiectum, se tenente; quàm ex parte subiecti in se; vt dicamus de Theologia Dei, quòd Deus sub ratione Deitatis est subiectum; de illa Beatorũ, quòd est Deus sub ratione Deitatis claræ visæ; & de Theologia nostra, quòd eius subiectũ est Deus sub ratione Deitatis reuelatæ; cuius condictionis appositione, nostra hæc Theologia à Theologia Dei, & Beatorũ apertè distinguitur: nec tamen ob id, vnius subiecti plures assignamus rationes formales, vt respectu Theologiæ Beatorũ, & nostræ; quia illa vna est solũmodo, sed penuria vocum pluribus nominibus explicatur. Qua quidem in re, ne quæso credatis me à Magistro, hoc tempore rectè ad intelligendum proposito, aliquo pacto dissentire; dum in huiusmodi libri exordio, totam veteris, àc nouæ legis continentiam, circa res, & signa versari, inquit: nam primò, cum aliud sit loqui de materia subiecta, circa quam aliqua versatur scientia seu facultas; & aliud loqui de illius scientiæ subiecto (vt optimè habet Auicc. 7. suæ met. Cap. primo) quia subiectum ad formam dumtaxat accidẽtalem, & materia, etiam ad substantialem est in potentia; Magistrum propriè de materia circa quam, dicimus esse locutum: nos verò formaliter de subiecto. per materiam enim circa quam,

ea quam, id esse intelligimus, quod in aliqua facultate, directè vel indirectè; principaliter, & primò, vel secundariò, & ratione aliqua, aliunde desumpta; vel per se, vel per accidens; mediatè, vel immediate, pertractatur. per subiectum autem, propriè loquendo, id significamus quod actu formalem illam rationem importat, sub qua considerantur omnia, quæ in illa facultate pertractantur. Deinde, cum aliud sit subiectum radicale, seu principale, à quo.s. omnia pendent, quæ in aliqua facultate considerantur; aliud integrale, de quo fortè, dicit Aristoteles, quod habet principia, partes, & passiones, ex quibus integrari dicitur; & aliud vniuersale, quod de omni contento in illa facultate, in qua est subiectum, verificatur; verè potest affirmari, quòd subiectum in Theologia sit Deus, vel Christus, vel res, & signa, siue opera diuina, & huiusmodi. Nec tamen sequitur, Deus sub ratione Deitatis, est subiectum in Theologia nostra, ergo ipsum Deum possumus comprehēdere; aut omnia cum ipso cognoscere; Quoniam, cum ratio formalis obiecti, non solum sit id, ad quod terminatur actus talis scientiæ, vt in proposito Deitas, quæ se tenet ex parte cognoscibilis; sed id etiam, quod se tenet ex parte cognoscentis, per quòd tale obiectum attingitur à nobis, vt reuelábitus, vel lumen fidei, quod limitatio est cognitionis rei cognoscibilis; profectò considerans obiectum, non oportet, quod cognoscat omnia, quæ ei conueniunt, per rationem formalem se tenentem ex parte scibilis; sed ea tantum, quæ cognosci possunt, per rationem formalem, se tenentem ex parte scientis; quarè licet Deus sub ratione Deitatis, infinitè sit cognoscibilis; Deus tamen vt Deus sub participato lumine gloriæ, vel gratiæ, cognoscibilis est secundum certos fines. Et si principia, partes, & passiones non habet; sciendum est, quod Aristoteles non dixit omne subiectum tres illas condictiones habere debere; sed cuius sunt principia, aut partes, aut pasiones; illa in tali scientia debere considerari: Si igitur aliquod sit subiectum, quod aliqua illarum careat, illa in eo non erit requirenda: sicut de ente, quòd à Philosophis in Metaphisica statuitur subiectum, & tamen verè, & realiter principia non habet, alioquin omne ens haberet principia; quamuis Deus principia cognitionis habeat, & attributa eius, loco pasionum, atq; opera Trinitatis tàm ad extra, quàm ad intra, vice partium subiectiuarū, aut tres diuinæ personæ, vel

vt partes integrales, sine aliqua multiplicatione, vel numeratione essentiæ, posſint accipi. Et ſic patet de ſubiecto, ad quod omnia referuntur, vel tanquam ab illo volita, vel tanquam permiſſa, vel tanquam ab illo, diuino præmio coronata, vel tanquam æterna damnatione, ſiuè ſpeciali punitione, caſtigata. Poſt hæc autem vt diuinæ Scripturæ authoritas, veritasq; Magis, àc Magis appareat; vt quidam confundantur hæretici; vt cui debetur, honor, tribuatur; & homo tandem in via veritatis inſtituatur; ſcire maximè conuenit, quod totius ſacræ Theologiæ, hoc eſt, & noui, & veteris teſtamenti, Author eſt Deus Opt. Max. vnde dicebat D. Auguſtinus, Ille dedit legem, qui dedit, & gratiam; ſed legem per ſeruum miſit, cum gratia ipſe deſcendit. Hæc.n. eſt differentia inter nouum, & vetus teſtamentum, quod alterum dicitur occultatio, alterum verò reuelatio; alterum per ſeruum à Deo exhibitum eſt, alterum ab eodem Deo, ſed per filium, eſt promulgatum: cuius differentiæ ratio eſt, quòd diuina prouidentia, quæ omnino eſt immutabilis, pro temporis exigentia, mutabili ſuccurrit creature: & pro diuerſitate morborum, nunc hæc, nunc illa, & iubet, & vetat; quæ tamen ad inuicem minimè ſunt contraria. vt optimè docent Seraphinus Cumiranus Feltrenſis minorita, in libello, qui ſic inſcribitur, Conciliatio locorum communium totius ſacræ Scripturæ, qui in ſe pugnare videntur; & Magiſter Paduanus minorita in alio libello, qui dicitur Concilium Pauli: atq; vir quidam alius, Pius, & Doctus, in quodam ſuo opuſculo, quod græcè inſcripſit Αντικιμένων, hoc eſt, contrariorum ſiuè contrapoſitorum liber, vbi ſub forma interrogationis, & reſponſionis, nouum, vetusq; teſtamentum percurrit, ex quibus, nullam in diuinis literis, contradictionem reperiri, clarè vobis ſemper compertum erit. igitur benè dictum fuit, atque determinatũ, Deum Opt. Max. Sacroſanctę Theologiæ eſſe Authorem; cuius diſpenſatores, & Calami fuerunt ſancti Patres: dicente Dauid, lingua mea Calamus ſcribe velociter ſcribentis; & Paulo Apoſtolo ad Corint. ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & tanquam diſpenſatores mineſteriorum Dei. Vnde Theologiæ dignitas, & excellentia ſumma conſurgit; quia cum ſit à Deo, & per diuinum lumen, nullum in ſe admittit mendacium. imo ab omni errore magis eſt aliena, quam ſit ratio, ſiue ſcientia naturalis: propter quod, loquendo de authoritate ſacrę

Scripturæ,

Scripturæ, secundum veram intelligentiam illius, & non secundem literæ corticem dumtaxàt; & de ratione naturali nō deprauata, sed recta, respectu alicuius obiecti credibilis; Verè asserimus, quòd Magis credendū est diuinæ authoritati, hoc est, Theologiæ, quam humanæ rationi; vnde, & D. Augustinus super Genesim scribit, quod maior est sacræ Scripturæ authoritas, quàm omnis hominum perspicacitas. quòd quidem est, tùm ratione luminis, quia lumen diuinum est supra lumen humanum; tùm ratione obiecti; quia ratio humana, vel non attingit obiecta fidei, vel non ità perfectè sicut fides: tùm etiam ratione assensus; quia credens, firmius adhæret credibilibus, quàm intelligens intelligibilibus; quamuis scientia aliquando dicitur esse supra fidem, accipiendo .s. fidem pro fide infusa, & non vt dicit habitum, & facit scientiam Theologicam; de qua nunc est sermo; vel inquā tum scientia procedit per discursum, & sua principia euidenter cognoscit; quod non facit Theologia nostra nisi in Theologia subalternante. Verùm hic etiam solet dubitari, cui nam maior sit adhibenda fides, An .s. sacræ Scripturæ, An verò Ecclesiæ Catholicæ. Ad quam dubitationem respondent aliqui, quod, loquendo de fide acquisita, dum est in initio generationis suæ, & dum acquiritur, Magis credendū est Ecclesiæ, quàm sacræ Scripturæ; imo sacræ Scripturæ credēdum est propter Ecclesiam; vnde dicebat D. Augustinus Euangelio se credere, propter Ecclesiam: sed loquendo de fide acquisita postquam genita est, quoniam per diuinam Scripturam cognoscimus Ecclesiam esse Christi spósam, ac Christum, & Ecclesiam esse duo in carne vna; Magis, inquiunt, credendū est sacræ Scripturæ, quàm Ecclesiæ: imò Ecclesiæ credendū est propter sacram scripturam. Sed ego absolutè dicerem, quòd Ecclesię semper Magis credendum est quam diuinæ scripturæ, licet vtraq; à Spiritu Sancto sit, nam fidelis est sermo, & omni acceptione dignus, quia illum probauit Ecclesia; cui quidem primùm fidem adhibeo propter ea, quæ sensibiliter à Patre, & Præceptore accepi, deinde in fide confirmor, quando illa eadem in sacris scripturis perlego; quæ, cum à vobis credantur quia ab Ecclesia sunt recepta, maioris authoritatis esse non possunt, quam Ecclesia. Cœterùm pro fine huius lectionis, & eorum, quæ solent præfari à Theologis, non est prætermittendum, quod inter multos fines, qui sacræ scripturæ, seu Theolo-

giæ conſtituti videntur, ſecundum quod vtilis dicitur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, &c. precipuus eſt ipſa charitas. cum enim (vt habet Paulus) plenitudo legis ſit dilectio; ad charitatem, omnes alij fines reducuntur, vnde hæc, non ſolùm in exordio acquiſitionis fidei, ſed in progreſſu, & in profectu requiritur: hæc nunquam excidit, hæc ſemper manet, in via. ſ. & in Patria. Vtinam igitur vos illa ſic afficiamini, vt odio habeatis, non ſolùm mundum vniuerſum, ſed etiam (in ſenſu, & intelligentia Chriſti) Patrem, Matrem, & Fratres, adhuc & animam veſtram, quia tunc vnum efficiemini cum Chriſto, eo quod ipſe charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

LECTIO QVARTA.

PROHEMIVM. *Cupientes aliquid de penuria &c.*

PRo abſolutione, ác perfectione eorum, quæ ad cognitionem totius operis Theologici faciebant; iam ad propoſitum contextum explanandum, ſermonem noſtrum accommodamus. Et primùm ex eius inſcriptione, authorem, authoriſq; conſilium clarè percipimus. Dum enim dicitur, Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis ſententiarum liber primus. eius libri, quem præ manibus habemus, authorem fuiſſe intelligimus Petrum Lombardũ, Epiſcopum Pariſiẽſem; quem omnis Theologorum Schola, Magiſtrum nominat; eo quod ſanctorum Patrum ſententias catholicas, in vnum redegit. Et hoc eius fuit conſilium, nempè, quæ à Doctoribus Eccleſię dicta ſunt, hinc inde, in hoc volumen colligere, quod, quia illa continet, liber ſententiarum dicitur. Conſilij autem cauſa, triplex aſsignatur, videlicet deſiderium proficiẽdi in Eccleſia Dei, promiſsio mercedis, & communis ſtudioſorum commoditas; ex quibus etiam triplex conſurgit vtilitas, quia primùm omnes Theologicę veritates cognoſcuntur; ſecundò accenditur lucerna in candelabro Dei; & tertiò recipitur diuina promiſsio, quæ eſt vita æterna. Diuiſio præterea, ex ipſa Contextus ſeriæ in prohemium, tractatum, & Epilogum poteſt aſsignari: ſed illa admodùm eſt vtilis, qua, totum hoc opus Theologicum, in duas principes partes diuiditur, dicendo quod in prima agitur de Deo ſimpliciter, & abſolutè; & in ſecunda de Deo,

per comparationem ad Creaturas : vnde elicitur corrolarium, quod Theologia creaturas principaliter, aut absolutè non considerat; sed semper agit de Deo, siue simpliciter, vt ab exordio huius libri, vsq; ad distinctionem 35. siuè in respectu, vt in reliqua parte totius operis, quæ postea subdiuiditur in 8. particulas, secundum quod rationalis Creatura octuplex esse recipit à Deo videlicet esse cognitū, de quo agitur in distinctione 35. vsq; ad distin. 40. esse volitum, de quo vsque in finem primi libri; esse reale extra causas, in secundo libro; esse vnionis cum supposito diuino, quod tractatur in tertio, vsq; ad dist. 14. esse restauratio nis, quatenus.s. sanguine Christi reparati sumus, de quo, à dist. 14. vsq; ad 23. est sermo; esse exornationis siue morale, vsq; in finem tertij libri: esse gratificationis, quod habetur per sacramē ta, à prima dist. libri quarti, vsq; ad 43. &; demum esse beatificationis, siue glorificationis, quod duobus vltimis distinctionibus pertractatur; sic pulchrè diuiditur opus hoc Theologicū. Quāuis illud, rectè Magister in quatuor libros sit partitus, iuxtà quatuor Dei misteria, quæ sunt Trinitas, Creatio, Incarnatio, & glorificatio; vnde in primo libro, Dei eminentia principaliter conside ratur; in secundo agitur de, Dei omnipotentia, vt relucet in ope re creationis; in tertio de eius sapientia, vt in opere redemptionis splendet; & in quarto de eius bonitate, vt in communi bonorum salute, àc beatitudine, luce clarius, est manifesta. Tunc au tem à principio reuertentes, in Prohemio, quod toto huic ope ri præmittitur, & quod nunc aggredimur explicandum, tria facit Magister: Primò reddit auditorē beneuolum, secundò docilem, tertiò attentum. Beneuolus quidem efficitur auditor, cum intel ligit authorem parùm existimasse, aut nihil; fecisse causas, quæ ip sum à suscepto negotio retrahebant: nos igitur, Magistri auditores, Magistro beneuolentiam debemus, quia ipse omnes difficul tates à compositione huius operis retrahētes, ob cōmunem stu diosorum vtilitatē, summo suo cum labore, & studio superauit. Licet.n. defectu ingenij, altitudine materiæ, magnitudine laboris àc inuidorum contradictione impediretur; desiderio tamen proficiendi in Ecclesia Dei, promissione mercedis, àc auxilij; atq; instantia precum sociorum, Magis est motus. Ex quibus clarè cognoscimus, Magistrum non esse repræhendendum, in eo quod dicit, se opus vltras vères agere, arduaq; scandere præsumpsisse;

sumpsisse; non enim sibi ipsi confiso, aut elatione quadam animi, vel temerè, præsumpsit: Sed (sicut habet D. Paulus, Non ego sed gratia Dei mecum) desiderio proficiendi in Ecclesia Dei, & promissione celestis auxilij, hoc se facturum putauit, & ardua scandere, humiliter præsumpsit. Dociles verò nos esse voluit, Dum huius operis causas omnes distinctè docuit: nam inquit volumen hoc, in quatuor libros partitum, ex sanctorum Patrum sententijs, Deo præstante, se compegisse; tum vt serpentum ora opilaret, offamq; daret Cerbero; quod fit errores destruendo, tùm vt lucernã accenderet, poneretq; in Dei Candelabro; quod fit per manifestationem veritatis. Vltimò attentionem sibi comparat Magister, in eo quod vtilitatem maximam in huius operis lectione ostendit consistere. Siquidem omnia, quæ fideliter, àc piè desiderari possunt; quæq; multis, vel innumeris dispersa sunt voluminibus, in hoc vno breuiter, àc distinctè, complexus est. Vnde concludit, quod hic liber, cuiq; pigro, vel multum docto, videri non debet superfluus. Verùm ex eo, quod habet Magister, se animum ad scribendum apulisse mercede laboris; & quia Deus Pollicitus est supererogantí cuncta reddere; duplex consurgit dubitatio. Prima an liceat operari propter mercedem; Altera, an diuinis literis aliquid possit addi: nam si primum conceditur, ergo debitor noster fiet Deus. & quomodo verum erit illud Pauli Apostoli. Non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam? De secundo dicitur in Apocalipsim Ioannis, si quis ad hæc apposuerit, apponet ei Dominus plagas multas. Dicimus tamen; primùm, quod licet meritoriè operari propter mercedem promissam. dicente Propheta, Inclinaui cor meũ ad faciẽdas iustificationes tuas propter retributionem; quamuis enim operationes nostræ in se, hoc est, diuina gratia destitutæ, nullius sint meriti, quo ad vitam æternam; quatenus tamen diuinum auxilium habent adnexum, vitam nobis cum Beatis comparat sempiternã, hæc namq; nobis taliter operantibus est debita, non quidem ratione operationum nostrarum simpliciter, sed ratione gr̃atiæ cooperantis nobiscum. Vnde dicebat D. Augustinus, Deus opera nostra coronat, non tanquam nostra, sed tanquã sua. Præterea dicimus, quod Sacramentis non licet aliud sacramentum addere; quia illius est constituere sacramenta, cuius est conferre gratiam: nec diuinis præceptis aliud debet addi

præ-

præceptum; quia Dei præcepta diminuta non ſunt, ſicut nec ſuperflua; ſed diuinis literis aliquid poteſt apponi, quòd.ſ. ad intelligẽtiam, vel declarationem, & perſuaſionem earum faciat. Nec ſequitur diminutã eſſe ſacram ſcripturam, quia Spiritus Sanctus ea, quæ nobis ſunt neceſſaria, prout opus eſt nobis exponit; vnde ſtatuta Pontificum, Conciliorum decreta, Patrumq; authoritates indies proficiſcuntur. Dictum autem illud Ioannis, ideo prolatum fuit, quia Chorinthij, alijq; tunc temporis hæretici, ad diuinam Scripturam diuerſa, & contraria addere; illaq; alicuius Apoſtoli nomine edere, ſolebant; quod ne facerent, impræcatione prohibuit. Quia ergo ea, quę ſunt diuinis literis conſona, quæuè in illis implicitè continentur, vtiliter àc laudabiliter apponuntur; ea, quæ hic appoſuit Magiſter libenter audiamus.

DISTINCTIO PRIMA.

Diſtinctionis primæ ordinata partitio.

Agit de ſubiecta materia atque diuiſione huius totius operis.
- Narratione
  - vniuerſaliter. Vnde diſtinguntur tres primi libri à quarto. a
  - Specialiter
    - Diſtinctione. qua ſeiungitur primus liber à tribus alijs. b
    - Animaduerſione.
      - arguendo. c
      - reſpõdẽdo
        - primò. d
        - ſecũdò. e
    - Determinatione
      - quod hominibus vtimur. f
      - quod Deus nobis vtitur. g
      - quod per virtutes fruimur. h
- Epilogo. colligit quæ dicta ſunt. & procedendi ordinem determinat. i



LECTIO QVINTA.

V*Eteris àc nouæ legis continentiam,&c.* A. Expoſitis his, quæ quaſi aditum ad ea,quæ ſcribuntur à Magiſtro,nobis faciunt, reliquum modo eſt, vt ad rem ipſam accedamus; in cuius prima diſtinctione explicanda, àc etiam in reliquis, talem ſeruabimus ordinem, quòd primò Magiſtri conſilium aperiemus, deinde diſtinctionis diuiſionem aſſignabimus; Tertiò eius dicta interpretabimur; Quarto,& vltimò difficultates contingentes,paucis determinabimus.Dicimus itaq; quòd Magiſter, in hac prima diſtinctione,totam materiam Theologicam ponit nobis ob oculos; & duo facit, Primò explicat quæ nam ſit materia Theologica, & contingentes dubitationes remouet. Secundò explicata, Epilogo colligit, & procedendi ordinem determinat. In explicatione primi,vtitur Magiſter concluſione, diſtinctione, definitione, & dubitatione. Primò proponit hanc affirmantem Concluſionem, quod omnis doctrina, nouæ,vel veteris legis, vel ad illã pertinens.ſ. tota Theologia, verſatur circa res, & ſigna. quæ quidem concluſio innotuit ipſi Magiſtro,primò diligenti indagine,ſecundò præuia Dei gratia (nam vanum eſt nobis ante lucem ſurgere, niſi Dominus ædificauerit, & cuſtodierit Ciuitatem, quia in maliuolam animam non intrat ſapientia.) Tertiò innotuit eidem ex D. Auguſtino, qui eam habet in ſuo libro. Præterea, declarat Magiſter terminos dictæ Concluſionis, quid.ſ. per ſigna, & quid per res itelligat: & ait per ſigna non eſſe intelligendum terminos ſignificantes ad placitum inſtituentis; ſed res exteriores, quæ ex diuina ordinatione aliquid ſignificant: cuiuſmodi ſunt ſacramenta, tàm veteris, quàm nouæ legis: Per res verò intelligit res abſolutas,quæ ità cadunt ſub conſideratione ſacræ ſcripturæ,quod vlterius,nihil ſpecialiter deſignant; vt Deus, Chriſtus, Creatura, & huiuſmodi. Quarè infert quod omne ſignum eſt res, non tamen è cõtra; ſigna enim licet ſint res, tamen faciunt quid aliud in mentem venire: vt fumus. qui nobis ſtatim deſignat ignem; quemadmodum quilibet effectus ſuam cauſam;quamuis non omnis effectus,ſub ſignis contineatur, quia ad ſignificandum principaliter non eſt inſtitutus; hìc enim ſermo eſt de ſigno inſtituto,

& non

& non de naturali. Tertiò Magister distinguit, & signa, & res: Primò de signis inquit, ex signis aliqua sunt tantùm signa, vt omnia sacramenta veteris legis. circuncisione excepta; illa namq; solùm ratione fidei, aut charitatis annexæ, siue ratione operis operátis, iustificabant; & non in se, siue ratione operis operati, sicut hæc nostra: Aliqua verò sunt signa, quæ non solùm significant, sed, & ferunt secum, & causant ipsam gratiam, cuiusmodi sunt sacramenta nostra nouæ legis. De rebus verò, distinguendo, dicit, quòd aliæ sunt quibus fruimur, illæ.s. quæ beatos nos faciunt, vt est Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; aliæ sunt quibus vtimur, vt sunt res creatæ; vtimur autem illis ad vitam tuendam, ad alleuiandum laborem, ad delectationem, vt sint nobis auxilio ad adhęrendum illis, quibus deinde fruimur. Ex quo patet, quòd res creatæ iurè dicuntur schalæ, & gradus quidam, per quos ascendimus ad Dei cognitionem: Præterea aliæ sunt res, quæ vtuntur, & fruuntur; vt sunt homines viatores, & Angeli, àc beati in Patria. Sed nunquid Beati vtantur rebus creatis? Respondeo quod licet sint extra hunc mundum, & proindè non egeant rebus istis, dicuntur tamen vti. Verùm quo vti dicuntur? Intellectu, & voluntate; quibus etiam Deo fruuntur. Quartò quædam sunt res (vt clarè dicit Magister in Epilogo) per quas fruimur; vt sunt virtutes, & potentiæ animæ; nam homo fruitur Deo per voluntatem, & intellectum: quia anima est, quę fruitur; fruitur autem per suas potentias, & fruitur etiam virtutibus.i. per virtutes. quæ tamen res, per quas fruimur, sunt illæmet etiam, quibus vtimur. Hanc autem quadrimembrem Magistri distinctionem, D. Bonauentura trimembrem facit: & inquit, Rerum aliæ sunt finis; & sic Deus propriè res est: aliæ sunt res dirigẽtes ad finem; quę media dicuntur ad finem: Tertiò sunt res, quæ diriguntur ad finem; vt sunt creaturæ naturales, & intellectuales. quę quidem diuisio optima est: quoniam sub illius secundo membro, continetur secundum, & quartum, diuisionis iam allatæ. In qua quoniam Magister vsus fuerat hac duplici voce vti, & frui; ideo quarto loco definitione vtitur, declarando quid sit vtrumq;. Et inquit frui est amore inhęrere alicui propter se ipsam. Vti verò est, id quod in vsum venerit, referre ad obtinendum illud, quo fruendum est. Vnde habemus fruitionis, & vsus distinctionem, pœnès relatiuam, & absolutam dilectionis inhæ-

sionem, accipiendam esse; nam dicitur quod frui est rei amore inhærere solùm propter se ipsam; vti verò est rei amore inhærere, non finaliter propter se ipsam, sed inquantum ordinata est ad illam, qua fruendum est. Ex quo sequitur, quòd etiam nos viatores, Deo frui possimus; quia illum (vt præceptum est) per se ipsum, & supra omnia (saltem ex gratia) diligere possumus. sed quoniam Magister aliam apponit definitionem ipsius frui, & vti; dicendo, quod frui est vti cum gaudio, non spei, sed iam rei: Et vti, est assumere aliquid, in facultatem voluntatis: sequi videtur, quod soli Beati fruãtur, quia soli habent gaudiũ rei. & profectò (vt ipsè determinat) sic se res habet, quòd tantùm Beati propriè, & perfectè fruuntur: iusti verò impropriè, & imperfectè, nam perfecta delectatio, in qua cõsistit ipsa fruitio, ante finis consecutionem non habetur. Propter hęc autem dubitat Magister, primò an hominibus sit fruendum, & Respondet quod non simpliciter, sed in Deo; iuxtà illud Apostoli, Ego te fruar in Domino, quo quidem modo, potius Deo, quam homine fruimur; & ratio est, quia homo non est propter se diligendus. Secunda dubitatio est An Deus vtatur nobis, vel fruatur. vtrumq; enim videtur inconueniens, nam si vtitur, ergo agit propter aliud; si fruitur, ergo indiget bono nostro. Respondetur quod vtitur nobis, non tamen eodẽ modo, quo nos alijs rebus vtimur; nos enim vtimur alijs rebus, propter nostram vtilitatem; Deus autem certè propter suam bonitatem, sed ad nostram vtilitatẽ nobis vtitur. Tertiò dubitat An virtutibus sit fruendum; & Respondet (vt in diuisione rerum dictum est) quod illis, non est fruendum, sed per illas fruimur Deo; licet enim ratione delectationis, quam secum afferunt virtutes, propter se expeti videantur, vlterius tamen ad vltimum finem, diriguntur. Vltimò (& est alia pars huius distinctionis) Magister ponit Epilogum & procedendi ordinem; dicendo quod ex dictis patet, res esse quadruplices: & cum res prę cedant signa, quia signa sumuntur per similitudinem ad res, dicit primò agendum esse de rebus, deinde de signis: quod è contra faciendum esset, si per huiusmodi signa, res, quæ præmittuntur, significarentur. cum ergo de rebus, sermo sit in primis tribus libris, sequitur quod iurè tres primi libri præcedant quartum; in quo de signis .i. de sacramentis. Inter res autem ab illis incipit Magister, quæ perfectiores sunt, & nobiliores, & Priores; quales sunt

les sunt, quibus fruimur, quæ (vt dicendum est) sunt Deus, & tota Trinitas, à qua omnia pendent. ergo de ipsa Trinitate in primo libro agendum est. Et hæc dixisse sufficiat quantum ad literalem intelligentiam Textus; in sequenti illud, quod in omni distinctione, quarto loco faciendũ proposuimus, difficultates remouendo, aggrediemur. sed nunc Textum perlegamus.

LECTIO SEXTA.

HAnc præclarissima, m& maximè Diuinam, Theologiæ partem, quam præ manibus habemus (Iuuenes studiosissimi) simpliciter, siue literaliter tantùm exponere, ideo ipse mihi antea proposueram, quia tunc Scolasticas quæstiones, quotidianis nostris disputationibus facilè, àc sufficienter determinari posse putabam; quando quidem, nil certius inuenitur, quàm quod dente disputationis, discutitur. Verùm postea animaduerso, quod in his, quæ non sunt fidei, sæpe diuersæ, àc contrariæ sunt Theologorum sententiæ; ad omnium vestrum maiorem vtilitatem, quid de proposito sentiam, post Contextus Magistri expositionem, paucis perstringere sum pollicitus. Nunc igitur de ipso vti, & frui, de quibus hìc est omnis quæstio, quatuor disputanda propono, vel potius disputata, absq; aliqua aliorum iniuria, determino: puta quid sint, cuius sint potentiæ, cui naturæ competant, & de quibus sint. Primùm de vti, non discedendo ab his, quæ à Magistro accepimus, dicimus quod est assumere aliquid in facultatem voluntatis, propter finẽ cognitũ, in quo voluntas conquiescere debeat. Dicitur autem, assumptio propter finem, ad significandum huiusmodi vsum, non esse frustratorium; & quod quies est in fine, propter quem fit vsus: estq; talis assumptio, non quidem sensibilis, nec tantummodo per operationem intellectus, sed spiritualis, vel intentionalis, per imperium voluntatis, dirigente intellectu, àc exequentibus potentijs, quibus vtitur voluntas. Vnde sequitur, quod vti, quo ad imperium, est ipsius voluntatis; quo ad directionem, ipsius intellectus: & quo ad executionem cœterarũ potẽtiarum: quamuis primò, & per se, actus sit ipsius voluntatis. vt ex eius definitione clarè conspicitur. & confirmatur, quia in voluntate est meritum, & demeritum; nam cuius est meritum & demeritum, illius de-

bet esse operatio, & vsus. Ex quo etiam benè colligimus, quòd vti, naturæ intellectuali, & rationali competit; atq; vniuersaliter omni habenti voluntatem: exceptis damnatis, qui voluntate sua abutuntur, non vtuntur; eo quòd omnia referunt in indebitum finem, ideo, & Deus nobis vtitur, vt communicet suam bonitatẽ, & sapientiam. Angeli similiter intellectu vtuntur, & voluntate; quibus nostrã salutem operantur; àc etiam ad aliquas functiones peragendas, corporibus vtuntur aliquando. Sed quibus vtendum est? Equidem videtur quod hisce terrenis Creaturis, vti, nobis non liceat; quia illo vtimur, quo tendentes ad beatitudinem iuuamur, & illis Creaturis impedimur frequenter; Angelis verò, & Cœlo, multò minus nos vti posse videtur; quia operationibus nostris, non subiacet: at Deo fortasse vti poterimus, quoniam illum referri videmur ad mercedem, quando propter mercedem, & retributionem (vt fieri conuenit) illi seruimus. Res tamen è contra se habet, quia veritas est, quod omni re bona vti possumus, Deo excepto; nam Deus in vlteriorem finem referri non potest; & malum culpæ, in bonum non est ordinabile: sed cæteris rebus, quæ quodammodo mediant inter ista, vti possumus, quamuis ratione diuersa, hoc est, vel vt instrumento, vel vt habitus, vel vt actu, vel vt obiecto; accipiendo illud, si bonum est; & detestando, si malum: ideo, ad ea, quæ obijciebantur, dicendum est, quòd Deus est ipsa merces: quòd alijs Creaturis non vtimur, vt à nobis operatis, sed sicut in Dei cognitionem ducentibus: & quod ex defectu nostri prouenit, si Creaturæ nobis sunt impedimento ad beatitudinem; quia.s. illis non vtimur, sed abutimur: omnis.n. Creatura in se, & ex natura sua est valde bona. Et sic ea patent, quæ de ipso vti proposita erant. Ex quibus eadem de ipso frui, ferè sunt manifesta: cum enim dictum sit, quòd frui est vti cum gaudio; habito quid sit vti, dimidium quæstionis est explicatum; sed quia dicitur etiam, quod frui est in fine cognito per delectationem conquiescere; sciendum est, quod vti & frui in hoc conueniunt, quòd cognitionem præsupponunt, & delectantur. Sed differunt, quoniã fruitio plenè quiescit in his rebus, quibus fruitur; vsus verò non plenè, in his, quibus vtitur: & ideo in aliud dirigitur, àc fertur: & cum eius sit frui, cuius est vti, & cuius est amor, àc dilectio, quæ essentialiter est fruitio; sequitur, quod actus fruitionis, propriè sit actus vo-
luntatis.

luntatis. Præterquam quod, fruitio est actus potentiæ nobilissimæ; quia est actus beatificus, & voluntas est nobilissima potentia, ratione propriæ libertatis; quia ipsum intellectum potest auertere à quacunq; sua actuali speculatione, & per libertatis suæ imperium, alterius rei considerationem sibi iniungere. Hinc præterea deducitur, quod omni naturæ habenti voluntatem, & non obstinatæ in malo conuenit frui; vel hoc sit in spe, vel in re; siuè imperfectè, & completè. Deus enim se ipso perfectissimè aut perfectè fruitur, per omnimodam identitatem cum summo bono; Beati Deo fruuntur, per vnionem glorię; vbi cadit indigētia necessitatis, quæ est de bono habito; & sancti homines viatores Deo fruuntur per gratiam; in qua fruitione est indigentia cuiusdam penuriæ, quæ est de bono, non plenè habito. Vltimò cum dicitur, quod res, quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, de obiecto fruitionis debetis intelligere; nos enim aliquo fruimur, vt instrumento; sicut potentijs ipsis; aliquo dispositiuè, & preparatiuè, ad hoc, scilicet, quod possimus impleri veritate, & gloria; & sic fruimur virtutibus, præsertim fide, spe, & charitate; aliquo fruimur formaliter, eo scilicet, in quo forma fruitionis consistit, cuiusmodi est intuitiua visio; & demum ipso Deo fruimur tamquam obiecto, ipse namq; solus, & nullum bonum creatum, ordinatæ fruitionis, potest esse obiectum; quia de ratione intrinseca obiecti fruibilis, est, quod animæ rationalis sit quietatiuum totaliter, quo ad suum totum desiderium: quod nulla Creatura facere potest. & in hoc consistit animæ nostræ beatitudo, qua in omnibus suis potentijs beatur; dum scilicet, Trinitate fruitur; quod vnica fruitione facit, sicut nunc vnica adoratione tres diuinas personas, veneratur, & colit, ratione vnius tantùm summæ bonitatis, quæ est in illis. Et hæc vobis sufficiant pro intelligentia eorum, quæ à Magistro, & à Scolasticis in hac prima distinctione dicuntur.

DISTIN-

DISTINCTIO SECVNDA.

De vnitate Essentiæ, & Trinitate personarum secũdum scripturas.
- Præmittit
  - Inquirentium condictionem. A.
  - Scribentium intentionem. B.
  - Procedendi ordinem. C.
- Determinat
  - autoritatibus veteris testamenti.
    - Communiter
      - Ad mentẽ D. Augustini. D.
      - Ad mentẽ D. Hilarij. E.
    - Distinctè
      - De Patre, & Filio. F.
      - De Spiritu Sancto. G.
  - Authoritatibus noui testamenti. H.

LECTIO SEPTIMA.

H*Oc itaq; vera àc pia fide tenendum est, quod Trinitas sit vnus solus, àc verus Deus. &c.* A. Iterũ Dei nomine inuocato, vt det nobis in suo Sancto Spiritu, recta sapere, & de eius consolatione semper gaudere; secundam hanc distinctionem aggredior. Si quidem altissimum Trinitatis misterium, quod in ea exorditur Magister, opus est, ac negotium, vltra vires nostras; sed tamen quale possit à nobis, simul cum Dei gratia, facilè sustineri. Quod animaduertens Magister, in huius lectionis exordio, vt attentissimè, & deuotissimè; magnaq;

gnaq; cum modestia, àc timore, ad illud accedamus, nos admonet. Et cum proposuerit de rebus fruibilibus primùm agendum esse; accedétemq; credere oporteat, quid à nobis de rebus fruibilibus principaliter sit credẽdum, hoc in loco proponit; & duo facit, nam modum, illud quod quæritur inuestigandi, ostendit; & illud firmiter credendum esse demonstrat. Sed primùm, quod statim nobis occurrit, tres habet particulas; quia vt Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate cognoscere valeamus, quid vos facere conueniat, quid alij fecerint, & quis sit ordo seruandus, & à Magistro seruatus, prænouisse oportet: quorum necessitas ex eo pendet, quod vera, àc pia fide tenendum est, quod Trinitatis sit vnus solus, ac verus Deus. Pro cuius dicti intelligentia sciendũ est, quod Trinitas, dicitur vnus Deus, quantũ ad essentiam; & trinus in personis, vel quantum ad personas; & hic Deus, est solus, ipso dicente. Non est alius Deus præter me; quod eos potissimùm falsitate arguit, qui Deum, alterum bonorum, & alterum malorum, authorem asserebat; atq, verus Deus dicitur, quia naturaliter, & essentialiter est Deus, ad differentiam eorum, qui Dij nuncupatiuè tantùm dicuntur; vel hoc sit abusiuè, vt Dij falsi gentium; vel adoptiuè, vt ego dixi Dij estis; vel dignitate, vt Dijs non detrahes; vel solicitudine, vt de his, qui felicitatem in voluptatibus statuerunt, dicit scriptura, quorum Deus venter est: igitur noster Deus, verus est Deus, quia naturaliter, & essẽtialiter est Deus. Deusq; dicitur vel à Theim quod est currere, aut fouere; vel ab Ethin, quod est ardere; vel à Theaste, quod est omnia videre, & contemplari: ex quibus tria eius attributa sumũtur, videlicet sapiẽtia ex eo, quod omnia intuetur, & prospicit; omnipotentia, quia omnia cõtinet, & fouet; bonitas, quia omnia suo amore inflammat. Ideoq; Trinitas est vnus verus, àc solus Deus. quod, quamuis rationibus demonstrari posset, priustamen simpliciter credendum esset, vel teneri deberet fide vera. s. non ficta, nec hæsitante; & fide pia, hoc est, per dilectionem operante: tùm quòd sic credenti dictum est, fides tua te saluam fecit. Tum quia habet Isaias 7. nisi credideritis, non intelligetis: propter quod ipse Magister in textu, fidem, intellectioni præmisit, dum inquit, & hæc Trinitas creditur, & intelligitur: vbi cum addit, quod etiam cernitur à purgatissimis mentibus, sciendum est, quod qui à sensibilibus, & phantasmatibus

tantùm sunt purgati, Trinitatem tanquam summum bonum naturaliter cernunt: qui autem vlterius ab erroribus, & naturalibus rationibus purgantur, Trinitatem ipsam, fide intuentur; qui verò amplius, ab omni culpa, & miseria purgati sunt, & absoluti; ipsam per essentiã, iam clarè conspiciunt: siquidem sicut non nisi purgatissimus oculus solem aduersum, rectè intueri potest; sic mens nostra, in excellentia diuinæ lucis, vt aliquid determinatè cognoscat, nisi recta sit in Deum, & proximum; salubriter non figitur. imo sicut passerculus alligatus funiculo, dum vult eleuari in Aerem, cadit in terram; sic mens nostra, humanis affectibus alligata, dum diuina contemplatur, in errorum tenebras cadit: quia primùm in quadam cognitione falsa inuoluitur; deinde quippiam ad fidem necessarium ignorare incipit; Tertiò diuinis inspirationibus, quasi ostium claudit; & deniq; peccato consentit. Quarè à Magistro paternè monemur, vt de summa, & excellentissima re proposita, cum modestia, & timore; dubitando, inquirendo, àc docendo loquamur: & attentissimis auribus: atq; deuotissimis, quæ de illa dicenda sunt adiscendo; maleq; dicta corrigendo, audiamus. Quæ à nobis libenter sunt facienda, tùm quòd (vt inquit Magister) nullibi periculosius erratur; fortè, quia Trinitas est fidei fundamentum, quo destructo, totum ruit ædificium: tùm quia nihil laboriosius quæritur; quando mentis humanæ acies per se inualida, in tam excellenti luce non figitur: tùm etiam, quia fructuosius nihil inuenitur; cum in eius fruitione beatitudo nostra consistat. Ad quod etiam accedit, quod omnes illi, qui de misterio Trinitatis disputarunt, hoc fecerunt, vt ostenderent dari essentiæ vnitatem, & personarũ Trinitatem. Nam Canonistę habent decretalem Innocentij, ab ipso habitam in Concilio Lateranẽsi, vbi ad tollendos aliquos errores de hoc disputatũ est. Similiter D. Augustinus quindecim libros edidit; & D. Hilarius decem libros habuit, de ista sanctissima Trinitate; & alij etiam plures, de sanctissima Trinitate scripserunt: quorum sententijs, firmatur veritas à Magistro posita, quod.s. vnus verus, àc solus Deus est Trinitas. quia.s. vna est Essentia, & tres personæ; de quibus verum est dicere, quod vna persona est alia, ab alia persona, nõ tamen aliud: quia, aliud, dicit alietatem substantiæ, & essentiæ; quæ vna est omnino, & simpliciter. Vltimò de huius tractationis ordine, habet Magister,

ster, quod primò assertionem fidei simpliciter affirmabit, secundò authoritatibus sacrarum scripturarum cōfirmabit, tertiò rationibus catholicis, & similitudinibus congruis eandem demonstrabit. Vbi si quærat aliquis, an liceat erigere demonstrationes ad ea, quæ sunt fidei. Dicatis quod ad fidem faciendam, & firmandam non licet; sed benè ad pugnandum contra garrulos. Vnde dicit Magister, quod faciet ad defensionem fidei. & cum addit se velle vti similitudinibus; scire debetis, quod in qualibet similitudine Creaturæ ad Deum, maior est dissimilitudo, quàm similitudo; cum præsertim quælibet res, secundùm quod est in actu, ad Dei similitudinem accedat, & ab ea recedat, secundùm quod est in potentia. Sed hæc pro prima parte sufficiant.

LECTIO OCTAVA.

P*Roponamus ergo in medium veteris, àc noui Testamenti authoriates. &c.* D. Hæc est secunda pars distinctionis secūdę; in qua diximus, & nunc iterum affirmamus, Magistrum, authoritatibus, tùm veteris, tùm noui Testamenti, monstrare; quo cum vnitate Essentiæ, personarum Trinitas manet. Verùm primò insurgit dubitatio non leuis, An.s. Deum esse, & esse vnum sit articulus fidei. Magister namq; initiò distinctionis huius, dum inquit. Vera àc pia fide tenendum est, quod Trinitas est vnus, solus, àc verus Deus. hunc esse articulum fidei, liberè videtur statuisse. Et ex altera parte, ratio adest huiusmodi. De essentia, àc vnitate Dei habetur scientia, ergo Deum esse, & esse vnum, non erit articulus fidei; Consequentia probatur, quoniam de eodem sciētia, & fides haberi non potest. Antecedens verò ex Aristotele sic est manifestum, Motus est, ergo, & Deus est, & est vnus; nàm cum motus sit actus entis in potentia, inquantū huiusmodi; omne quod mouetur, ab alio, quod sit in actu, moueri est necesse; per quod.s. de potentia ad actum deducatur: & nè detur processus in infinitum, quia tunc nihil moueretur (vt optimè deducit Aristoteles 8. Phy.) oportet deuenire ad vnum primum motorem immobilem; quē dicimus esse Deum. & sic remanet, quòd Deum esse, & esse vnum naturaliter cognoscitur: propter quod fides, nec locum, nec meritum habet vllum; Cuius tamen oppositum cum Magistro defendimus: asserendo, quod Deum esse, &

esse vnum, vel est articulus, vel pars articuli fidei. Nec ratio adducta concludit. quoniam ad eam, duobus, vel tribus modis, respondere possumus; primò glosando propositionem, quę ad probationem consequentiæ adducebatur, hunc in modum, scientia, & fides de eodem haberi non potest; verum est ab eodem; vnde hoc quod ego demonstratione noui, ab altero demonstrationē non habente, fide teneri potest. Quamuis, etiam ab eodem (nisi egregiè fallor) idem sciri, & credi, & non sine merito possit; dummodo propter Ecclesiæ authoritatem, & non propter rationem, illud credatur: & fides enim, his, quę physicè sciri possunt, rectè, triplici de causa, vel ob triplicem vtilitatem, adhibetur; prima est, vt quilibet ad veritatem citius perueniat; quia dum dicit mihi Symbolum quod est Deus, citius hoc percipio, quàm si per scientiam illud idem percipere, deberem: Secunda ratio vel vtilitas est, vt cognitio illius rei, quæ habetur per scientiam, vniuersalior sit, & communior; inquantum plures sunt, qui vnitatem Dei per fidem, quàm per scientiam possunt intelligere. Altera verò, dictis non inferior, hæc est, vt cognitio rei, quæ habetur per scientiam, addita fide, certior fiat: Cum enim in Philosophia, respectu fidei, secundum aliquos, plures contingant errores; illud sanè omninò verum esse existimabitur, quod fide catholica fuerit confirmatum. Vnde Deum esse, & esse vnum, quod ratione cognoscitur, tanquam verum procul dubio prædicari poterit; quia illud idem, vniuersalis Ecclesia docet. Igitur scientia, & fides de eodem; vel ab eodem haberi non potest, vel si habetur, in obsequium fidei, scientia captiuari debet. Aut etiam dicamus, quod ab eodem, & de eodem habetur & scientia, & fides, sed fides secundum totum, & scientia secundum partem; Cum enim fidei articulus, vno modo secundùm aliquam sui partem, & alio modo secundùm totum nexum illius, considerari posit; quòd primo modo naturaliter cognoscatur, nullum erit inconueniens; quia se habebit tanquam præambulum ad fidem. sic in proposito Deum esse, & esse vnum pars est primi articuli; quia cum eo, quod est Deum esse, & esse vnum, docet etiam esse trinum, quantùm ad personas. quod nullo pacto naturaliter demonstrari potest; non enim valet, si quis arguat, vnus, solus, & verus Deus naturaliter cognoscitur; ergo Trinitas; quamuis per Magistrum, & secundùm veritatem, nil aliud

aliud sit Trinitas, quàm vnus, solus, & verus Deus. hæc namq; Trinitatis non est definitio, quæ definiri non potest; sed tantùm significatur, quòd in Trinitate personarum non est nisi vna sola, & diuina Essentia. Et hoc est (vt ad propositum reuertamur) quod Magister in hac secunda parte, pluribus authoritatibus Noui, & veteris testamenti, persuadere conatur; vbi ea vtitur methodo, qua primùm propositam veritatem, vteri lege, commonstrat; deinde eandem, Prophetarum oraculis corroborat; Tertiò ipsius Christi authoritate sancit; & vltimò Apostolorum dictis confirmat; vt clarè constat in litera. Sed circa illam authoritatem, ex veteri Testamento acceptam, quæ sic habet. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinē nostram: ex qua personarum Trinitatem colligit, dum numero plurali dicitur, faciamus, & nostram; & vnitatem Essentiæ, dum singulariter dicit Imaginem, & similitudinem, quæ charitatis vnitatem supponit; cum ipso Hilario, contra Arrium, de vnitate Essentiæ disputante, longè digreditur. & inquit, quòd ne à veritate discedamus, aut cum hæreticis conuenire videamur, semper, dum de diuinis loquimur, ea nomina vitare debemus, quæ vel significant diuersitatem, vel differentiam, aut separationem, aut diuisionem, & quæ inæqualitatem, disparitatem, alteritatem, discrepantiamq; connotare creduntur. siquidem à diuinis personis remouenda est diuersitas, & differentia; ne tollatur vnitas Essentiæ; similiter remouenda est separatio, quia in diuinis non est compositio tol lenda est disparitas; nomenq; alieni, & discrepantis est auferendum, quia personarum summa est similitudo, & summa æqualitas: quæ tamen omnia ab Arrian is temerè negabantur. Amplius nomine solitarij, & singularis, vti nullo pacto debemus, ne aut diuinam naturam, cum Sabellio incōmunicabilem dicamus; aut eandem à personis separare, videamur. Ad quę Egidius Romanus addit, quòd nomen, vnici, in diuinis vti non debet; quod intelligere debetis, dum de diuinis personis loquimur; quia in officio Ecclesiastico, in festo consecrationis Ecclesiæ, in Hymno ad Laudes, apertè dicitur. Trinum Deum vnicumq;, cum fauore prædicat. Quamuis huiusmodi præcepta, non semper obseruata reperiantur, & præsertim nondum exortis hæresibus; propter quod cautè sunt interprætan da, semperq; in bonum sensum traducenda; vt inferius, de diuinis nominibus loquentes, fu

ſius explicabimus. Hìc autem ſolet dubitari, An poſsimus conuicere Iudeos Moſaica lege, de Trinitate perſonarum. hoc eſt, An per puras, & ſolas authoritates veteris Teſtamenti, Trinitas perſonarum monſtrari neceſſariò poſsit. Ad quam dubitationem affirmatiuè Reſpondet Ioannes Baccon. hac condictione, quod Iudei concedant lectionem noſtram non eſſe deprauatam, vt paſsim affirmant. At Hilarius, & Alphonſus Toſtatus negatiuè reſpondent, tùm quòd huiuſmodi authoritates diuerſimodè poſſunt exponi, tùm quia Deus, ſolùm per Deum, & in lege gratiæ, perfectè cognoſci potuit. Quorum tamen omnium, hæc ſit Clauſula, quod, cum illa ſumma ſimplicitate, omnium, quæ in diuinis eſſe creduntur, fides tradit, & vtriuſq; Teſtamenti pagina, explicitè, vel implicitè docet, in diuinis tres eſſe perſonas, ſibi coeternas, & conſubſtantiales; quarum vna, licèt non ſit alia, non tamen eſt aliud, quia earum, vna tantùm eſt Eſſentia.

LECTIO NONA.

AD maiorem intelligentiam eorum, quæ habita ſunt à Magiſtro in ſecunda diſtinctione, tria compendiò tractanda occurrunt. Primùm erit de vnitate Eſſentiæ, Alterum de multiplicitate attributorum, Tertium de diſtinctione diuinarum perſonarum inter ſe, & ab Eſſentia. Quantùm ad primum, vt intelligeretur, dicere inceperam, quòd cum omnis multitudo ad vnitatem reducatur, ſicut omne per accidens ad illud, quòd eſt per ſe reduci debet; neceſſariò deuenimus ad aliquod, quod maximè eſt vnum, & hic eſt Deus. qui ideo potiſsimùm cognoſcitur vnus, quia cum ſit Ens ſimpliciter ſummum, inintelligibile eſt, àc impoſsibile, quod illi aliquid parificetur: Quamobrem, & Philoſophus, hoc apertè confeſſus eſt. ſed quamuis negaſſet, nos tamen liberè Deum eſſe, & eſſe vnum, corde, & ore confitemur; eo quod fide, hoc acceptum habemus. & ideo (vt ſuperiori lectione dicebamus) illa etiam, quæ demonſtrari poſſunt, valde eſt vtile, quod habeantur per fidem; nè videlicet; propter negligentiam in indaganda veritate, vel propter impotentiam intellectus, aut propter errorem, inquirentium per demonſtrationem, illa ignorarentur, quæ omnibus debent eſſe manifeſtiſsima: Quamobrem cum hoc, de quo nunc eſt ſermo, omnibus nobis,

bis, fide, maximè ſit notum; omnibus alijs contradicentibus audiremus inſiſtere. Sed ſicut alij pro fide, vim vi repellere non verentur, ſic nos rationes, rationibus refutare, àc reicere valeamus, Adnataſſe iuuabit, quod non benè concluditur, plures eſſe Deos, ex eo, quòd meliora ſunt plura bona pautioribus bonis; ſiquidem hoc Ariſtotelis dictum, de bono finito, & limitato debet intelligi, & nō de infinito, ſicut eſt Deus. Ideo dicatis, tunc meliora eſſe plura bona paucioribus bonis, quando plura bona ſunt compoſsibilia; modò cum Deus ſit illud ſummum bonum, quo maius non eſt, nec intelligi poteſt; aliquid aliud à Deo eſſe, quod Deo parificetur, omnino eſt impoſsibile. Similiter cum dicitur, potentior eſt lux ſpiritualis, quàm ſit corporalis, ergo poterit lux ſpiritualis, quę eſt Deus, aliū Deum producere; ſicut lux corporalis ſibi ſimile producere poteſt; & ſic de facto plures erunt Dij, quia in diuinis non differt eſſe à poſſe. Non valet conſequentia, ràtione ſummæ communicationis naturę diuinæ, qua procedens à Deo, pœnitus idem eſt Deus, cum ipſo, & non alius; vnde conceditur, quod lux, pro diuina perſona potuerit ſibi ſimile producere, àc de facto æternaliter produxerit; quia (vt videbimus) pater generauit filium; qui quoniam eiuſdē eſt ſubſtantiæ, vnus cum Patre, & non alius, eſt Deus. Quod ſi inſtet aduerſarius, alium Deum debere generari, ſicut nos alios homines; præſertim quia hoc in nobis eſt perfectionis, àc dignitatis; & quicquid eſt tale in nobis, nobiliori, eminentioriq; modo debet in Deo reperiri. Reſpondetur quod cum duplex ſit perfectio, alia ſimpliciter, & alia ſupplens imperfectionē, qualis eſt in Creaturis producere ſibi ſimile; nō hæc, ſed perfectio ſimpliciter, in Creaturis reperta, ipſi Deo, nobiliori modo eſt aſcribenda. Iſta namq; (vt rectè dixit Anſelmus) in quolibet indiuiduo, non vt talis naturæ determinatæ, ſed abſolutè vt Ens eſt, melius eſt eſſe ea, quam ſuum oppoſitum. Proter quod licet remaneat, vnum tantùm eſſe Deum, Adhuc tamen arguit, ſingulare, & plurale idem ſignificant, ſed hoc nomen Deus habet plurale, vndè dicitur, Deus ſtetit in Sinagoga Deorum, ergo plures erunt Dij. Præterea quorum eſt diuerſa operatio, diuerſa eſt vnitas, & Eſſentia; ſed operatio trium perſonarum eſt diuerſa, quia Filius eſt Incarnatus, & non Pater: ergo trium perſonarum diuerſa eſt natura, ergo plures Dij. Amplius, à Deo, plu

res, & diuersi procedunt effectus, ergo non erit vnus tantum; a b vno enim, non prouenit nisi vnum. Quibus sic facilè Respondetur. Primò quod singulare, & plurale, idem significant quantùm ad denominationem, non autem semper quantùm ad substantiam; imò hoc nomen Deus, quantùm ad significationem substantiæ, & essentiæ non habet plurale; sed solùm vt denominatiuè sumitur, vel nuncupatiuè; vt alias diximus. Secundò Respondetur quòd cum operatio possit considerari, quantùm ad efficientiam, & quantùm ad terminum; Quorum est diuersa operatio, quantùm ad efficientiam eorum, diuersa est natura; at operatio trium personarum in Trinitate, diuersa est solùm quantùm ad terminum; quia Incarnationem terminauit Filius, & non Pater; & similiter missio Spiritus Sancti, à Spiritu Sancto est terminata; quamuis, & missionis, & Incarnationis, vna fuerit trium efficientia; vnde & vna illorum est essentia, siue natura. Tertiò ad tertium dictum, communis est responsio, quod hæc propositio, ab vno nō prouenit nisi vnum, vera est de agente naturali; nec vniuersaliter de omni naturali agente; sed de eo, quod per se agit, & non per accidens; de eo, qui eodē modo dispositus agit; & agit eodem modo respectu eiusdem passi, ac ad eundem finem. Quare Deus cum non sit agens naturale, àc diuersimodè participetur à Creaturis, diuersos potest producere effectus, quamuis maximè sit vnus in Essentia, vt comprobatum, & declaratū remanet.

Nunc de attributis diuinis (quod erat secundum propositum) primò quid sint, deinde quomodo distinguantur. breuiter est dicendum. Et quidem quòd non sint voces, nec conceptus; ex eo patet, quod attributa sunt ab æterno, & inter se non distinguuntur realiter; cuius oppositum de conceptibus, & vocibus verificatur. Sunt tamen attributa illa significata nominum, & conceptuum, quæ secundum modum significandi, se habent ad diuinam Essentiam sicut perfectiones additæ, & sunt perfectiones simpliciter. Vnde sequitur, quod Paternitas, filiatio, & spiratio, non sint attributa; similiter Angeleitas, & humanitas; quia non sunt perfectiones simpliciter; non enim in vnoquoq; indiuiduo, vt Ens est, melius est esse Pater quam non esse; & sic de alijs: sequitur etiam, quod Deitas, non sit attributum; quia non se habet per modum perfectionis additæ, ad diuinam Essentiam; quemadmodum sunt æternitas, immensitas, omnipotentia, & hu-

iusmo-

iusmodi. quæ cum non conueniant Creaturis, falsò dictum, sequitur ab Argentina, quod omne attributum, cõmune sit Deo, & Creaturis: nisi tamen intellexerit illa nobis esse communia, in quantũ aliquo modo participantur à nobis; aut quòd Magis strictè acceperit attributa, videlicet pro perfectione secũda. Quantùm verò ad distinctionem attributorum, placet mihi D. Thomæ sententia; & ideo, illa non formaliter ex natura rei, sed tantùm ratione distingui, censeo. ita tamen quod talis distinctio, etiam ex parte Dei reperiatur, inquantùm potest aliquid vnum correspondere conceptionibus diuersis: & non quod in re sit diuersitas aliqua naturarum: nõ enim est in Deo nisi vna perfectio illimitata, omnino præhabens in se multiplicatas, & multiplicabiles in alijs perfectiones omnes: propter quod si Dei Essentiam in se ipsa videremus, non requireretur rationum, & nominum multitudo; sed esset simplex notitia eius; sicut & simplex est eius Essentia. Vnde apertè dicimus quod in Deo secundum se, nulla est distinctio actualiter; sed tantum distinctio rationis virtualiter, seù fundamentaliter: quamuis in Deo, vt terminat actum intellectus nostri, rationis distinctionem actualiter cõcedamus. Cuius dicti ratio (vt iam diximus) ea est, quòd omnes perfectiones diuinæ, secluso omni opere intellectus, in vnica, & adæquata ratione formali ipsius Dei, adunantur; sicut & virtutes qualitatum inferiorũ, in luce solari reperiuntur, & sic habet in se vnde distinctas rationes, seu conceptiones formales, causare, terminare, àc verificare, obiectiuè possit: actualiterq́; terminat. Et hæc distinctio rationis virtualiter, seu fundamentaliter, cum distinctione rationis actuali, ex parte nostri; ad omnia, quæ opponuntur, soluenda, optimè sufficit. ideo dicendum de tertio proposito, quod fiet in sequenti.

LECTIO DECIMA.

QVoniam Magister noster, supra, vnitatem diuinæ Essentiæ admodùm celebrauit; eamq; tùm veteris, tùm nouæ legis authoritatibus, comprobauit; Ideo post expositionem eorum, quæ habuit in hac secunda distinctione, nonnullis argumentis, quasi quibusdam tormentis, tentauimus, & quodammodo periculum fecimus, An ità res se haberet: non quidem propter rei certi-

certitudinem, ſed propter euidentiam. Et quia omne bonum, quod eſt in his inferioribus, à Deo emanari, & proficiſci, communiter conceditur; & conſequenter in Deo eſſe, nobiliori modo: quia quod eſt cauſa alicuius, habet illud excellentius, & nobilius: quęrendo quid in Deo eſſent nobilitates, & perfectiones Creaturarum, vniuerſaliterq; attributa; & quomodo à Deo, àc inter ſe diſtinguerentur: ea, non ſolùm ſimplicitati diuinę eſſentiæ, non opponi, ſed realiter vnum eſſe cum diuina Eſſentia, apertè cognouimus. Modò quia affirmabat Magiſter, etiam de intentione omnium, in hoc genere, ſcribentium; quòd tres ſunt perſonæ diuinæ, videlicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; & quod illæ ſunt vnius Eſſentiæ; vnuſq; Deus naturaliter. quamuis Pater nõ ſit Filius, nec Spiritus Sanctus, nec è contra; Vt in hoc, omnis tollatur ſcrupulus, duo hac lectione ſunt videnda. Alterum, an cum vnitate Eſſentię, pluralitas perſonarum ſtare poſſit. Alterum, quomodo huiuſmodi perſonæ diuinæ, ad inuicem diſtinguantur. Quæ duo adeò difficilia ſunt, vt nulla naturali ratione conuinci poſsint; non quia rectę rationi contradicant; ſed quia humanę naturæ captum, & intellectum ſuperant. Quare in his à peritiſsimo, & infallibili Præceptore edocti, Perſonarum Trinitatem, in vnitate Eſſentiæ, veriſsimè cõfitemur. Cum enim fides, quæ eſt principium cultus Dei, inſtruat nos (vt inquit D. Bonauentura in Breuiloquio ſuo) de Deo, altiſsimè, & piiſsimè ſentiendum eſſe; Deum ſe ſummè communicare, & poſſe, & velle, non eſt dubitandum; Præterquam quòd apertiſsimè docet Sancta Mater Eccleſia, quod in Deo eſt mens generans, verbum naſcens, & amor vtrunq; nectens; vt clarius in ſequentibus conſtabit. Sed hoc interim, aduerſus propoſitam veritatem, rationes aliquas apparentes adduco, vt ex earum ſolutionibus, & ea nobis aliqualiter innoteſcat. Prima, pluralitas opponitur vnitati, cum ergo Deus ſit vnus, Trinus eſſe non poterit. Secunda, non eſt ponenda pluralitas ſine neceſsitate, ſed diuina perſona eſt in ſe abſolutè perfecta, ergo vna tantùm erit, & non plures. Tertia, impoſsibile eſt plura neceſſe eſſe; ergo impoſsibile eſt plura eſſe ſuppoſita. Ad primam reſpondetur, quod pluralitas opponitur vnitati, quoties pluralitas, & vnitas ſint reſpectu eiuſdem rei, àc eodem modo ſe habentis: modò vnitas in Deo, vnitas eſt eſſentiæ: & Trinitas, eſt perſonarum

Trinitas.

Trinitas. Dicetis Essentia,& personæ,re omnino sunt idem:ergo manet prædicta ratio in robore suo; & confirmatur,quia quę sunt omnino idem,multiplicato vno,multiplicatur,& reliquum: igitur vna erit persona,vel tres Essentiæ.sed respondetur quòd licet Essentia,& persona,re sint idem, ratione tamen distinguuntur: propter quod Essentia,modum habet essendi absolutum, & persona in relatione ad alium. Vnde dicebat D. Thomas in opusc. quod Essentia diuina est eodem modo absoluto in tribus personis, & non melius, nec perfectius; non autem eodem modo relatiuo; quia est in Patre vt non accepta, in filio vt accepta per generationem, & in Spiritu Sancto, vt accepta per processionem. Quare solutum est primum argumentum,eo quod vnitas, non est respectu eiusdem rei, eodem modo se habentis, vt dicebamus; atq; eadem ratione destruitur illud, quod ad confirmationem adducebatur: quæ enim secundum rem,& secundum eundem modum,se habendi,idest,secũdum rationem,sunt idem; multiplicato vno, multiplicatur & reliquum. Quod si adhuc instet aliquis. Aeque nobilis est persona sicut Essentia,ergo sicut non multiplicatur Essentia,nõ debet multiplicari persona. Negatur consequentia, quoniam sicut nobilitas Essentiæ, est non multiplicari; sic posse multiplicari, nobilitas est personæ: actus enim sunt suppositorum & non naturæ;& si Essentia multiplicaretur,hoc esset per proprietates absolutas, & realiter distinctas; vnde plus esset de bonitate in pluribus,quam in vna; & quælibet earum esset limitata; quod non sequitur de personis, cum proprietatibus relatiuis distinguantur; dicente Boetio, quod Relatio est,quæ multiplicat Trinitatem. Ad secundũ dicimus,quod in Deo ponitur personarum pluralitas, non ex necessitate indigentiæ, quasi persona patris non sit in se ipsa absolutè, simpliciterq; perfecta; vel quasi diuina natura in vno supposito perpetuari non possit: sed ponitur ex naturali, & infinita exhuberantia bonitatis, & gloriæ superditissimi, & superliberalissimi Dei; nil proprium sibi soli reseruantis; sed omnia sua superplenissimè communicantis; pro vt suæ infinitissimæ bonitatis, àc liberalitatis, prorsus immensæ, naturale est,& condecens. Quarè necesse est pluralitas in Deo; quoniam necesse est naturam diuinam communicari perfectissimo modo.s. per intellectum, generando filium; & per voluntatem, simul cum filio producendo

Spiritum Sanctum. Ad tertium, & vltimum facilè respondetur quòd impossibile est plura necesse esse, loquendo de esse Essentiæ: quod tribus personis est commune. sed loquendo de esse personæ, non est inconueniens dicere tria necesse esse, quoniam earum quælibet necessarium habet esse. Ex quibus non leuiter patet, quomodo cum vnitate Essentiæ, rectè manet Trinitas personarum. De quarum distinctione, quoniam aliqua dicere secundò loco polliciti fuimus, solùm animaduerto ne cum Sabellio aliquo pacto conueniamus, dicendo diuinas personas ratione distingui. tunc enim videretur sequi, quod ille falsò asserebat, nempè, vnam esse personam in diuinis, quæ aliquando diceretur Pater, aliquando Filius, & aliquando Spiritus Sanctus. Quòd verò realiter personaliter distinguantur, nunc asserimus, inferius, suo loco, declarandum; & principali assertione Magistri concludimus, quod Trinitas est vnus, solus, & verus Deus. Ad cuius confirmationem accedit, quod omnis Principum multitudo, mala, & periculosa est: quia ex ea, & Reipub. perturbatio, & omnis vitæ confusio sequitur, cunctorumq; ordinum euersio extrema. Vnde ad nostri eruditionem, & fidei sanctę perpetuitatem, ipsęmet Deus, vnum instituit vniuersæ Ecclesiæ summum Pontificem, in quem tantam contulit potestatem, vt illum effecerit rerum diuinarum verum, àc summum interpretem. Nos igitur ob FRANCISCVM Magnum Aetruriæ Ducem, felices; quando ipse solus regnat, in quo virtutes omnes imperatorię mirificè continentur.



DISTIN-

DISTINCTIO TERTIA.

Vnitaté Essentię, & Personarũ Trinitaté naturaliter intelligi posse.

- ostendit
  - communiter
    - quantum ad vnitatem essentiæ.
      - authoritate Apostoli. a.
      - ratione
        - causalitatis. b.
        - remotionis. c.
        - eminẽtię
          - quantum ad esse. d.
          - quantum ad cognosci. e.
    - quantum ad personarum Trinitatem. persimilitudinem Vestigij. f.
  - propriè
    - secundũ potẽtias
      - docédo
        - propositum
          - quantum ad earum distinctionem & essentiæ vnitatem. g.
          - quantũ ad earũ æqualitatem
            - proponendo. h.
            - probãdo
              - de memoria. i.
              - de intelligẽtia. K.
              - de voluntate. l.
        - propositi intelligẽtiam
          - instãtia
            - quia proprietas nõ est rei essentia. m.
            - quia proprietates differũt adinuicem. n.
          - solutione. o.
      - animaduertẽdo
        - imaginẽ Trinitati nõ esse oĩo similẽ. p.
        - imaginem Trinitati esse dissimilem.
          - quia tres potentię nõ sunt vnus homo. q.
          - quia vnus homo tres habet potentias. r.
    - secundũ habitus
      - assignatione
        - quantũ ad earũ vnitaté & distinct. s.
        - quantum ad earum processionem. t.
        - quantum ad earũ æqualitatem
          - in esse. u.
          - in contineri. x.
      - applicatione. y.
- concludit. z.

LECTIO VNDECIMA.

A*Postolus namq; ait. &c.* A. Hæc Magiſtri verba, & ſi ea, quæ ſequuntur, adeò ſuperioribus copulant, vt nullo pacto diſtingui videantur; verè tamen, tertiæ diſtinctionis ſunt exordiũ. Vbi illud aggreditur, quod in pręcedẽtis diſtinctionis, Priori particula; àc in illis vltimis verbis, fuerat propoſitum: nempè rationibus, congruiſq; ſimilitudinibus, Vnum, àc Trinum eſſe Deum, oſtendere. Cum enim diuina, & ſupernaturalia, prius credere, quàm intelligere liceat; poſtquàm vnitatem Eſſentiæ, àc Trinitatẽ perſonarũ, ſacrę ſcripturæ teſtimonijs, comprobauit Magiſter: Nunc eandem vnitatem, naturaliter poſſe percipi, rectè perſuadet. quod primò vniuerſaliter, ſiuè communiter facit, & deindè Magis propriè. Nàm primò rationibus, & ſimilitudinibus, ex vniuerſalitate Creaturarum acceptis, & ſecundariò ex his, quæ à Creatura rationali accipiuntur, procedit. Et quidem, quantum ad primum, quòd Vnitas diuinæ Eſſentiæ, inueſtigari naturaliter poſsit; authoritate, & ratione monſtrat. Authoritas eſt D. Pauli, qui ad Romanos ſcribens, Cap. 1. Inquit, inuiſibilia Dei, à Creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur. Nàm per mundi Creaturam, quamuis poſsit intelligi mundi creatio; quia in mundi Creatione, inuiſibilia Dei, eius virtutem, & diuinitatem optimè cognoſcimus: rectius tamen (vt commentatur ipſe Magiſter) hominem intelligimus. & hoc, tùm propter conuenientiam, quam habet cum omnibus Creaturis; vt ratione corporis, cum rebus ſenſibilibus; & ratione animæ cum ſpiritibus: tù etiam propter excellentiam quandam, qua, cæteris Creaturis præfertur; vnde, omnia per ipſum facta, verè dicuntur, ipſeq; à Chriſto, ob id, omnis Creatura, eſt appellatus, cum dixit, Prędicate Euangeliũ omni Creaturæ. Quamobrem, ſequitur quòd homo, per vim intellectiuam, & per Creaturas, naturaliter cognitas, Dei diuinitatem, àc Eſſentiam, imò, & ipſam perſonarum Trinitatem, poteſt cognoſcere. nàm D. Paulus, cum in eius allata authoritate, ad inuiſibilia Dei (quæ per Creaturas dixit cognoſci) & virtutem, & diuinitatem addidit; gloſſa, ſuper huiuſmodi Epiſtolã, per inuiſibilia, exponit Patrẽ; quia ipſe nunquàm

est manifestatus, sicut filius assumendo carnem; & sicut Spiritus Sanctus, in Columbe specie; licet eius vox, in Nube, fuerit audita: & per virtutem interpraetatus est filium, sicut per diuinitatē Spiritum Sanctum. Quiam tamen, sanctissima illa personarum Trinitas, per ea, quae facta sunt, apertè, aut sufficienter (vt inferius declarabitur) cognosci non potuit; commodè cum Cartusiano, per Inuisibilia, intelligimus attributa, quibus Deus in se perfectus est; per virtutem, intelligimus potentiam, secundùm quas Creaturas produxit; & per diuinitatem, finem vltimum, in quem Creata omnia reducuntur. & sic concluditur quòd homines, per ea, quae facta sunt, facile in Dei cognitionem surgere potuerunt, àc possunt. Sed cum homo, tantae sit nobilitatis (vt diximus) Nunquid etiam, Angelo sit nobilior? nisi enim Angelos nobilitate vincit, Creatura mundi, magis erit Angelus, quàm homo. Respondetur facilè, quod cum homo, & Angelus, tribus modis possint ad inuicem comparari, certè ratione naturae, & Essentiae illorum; Angelus nobilior est homine: de quo dicit Propheta, Minuisti eum paulominus ab Angelis. ratione finis vltimi, & supernaturalis, quia vtrorumq; est idem; aequales eos dicimus, in nobilitate. sed ratione cuiusdam summae dignitatis, qua.s. humanitas nostra, assumpta est à verbo; homo rectè nobilior dicitur Angelo. nunquàm enim legitur (vt inquit D. Paulus) quòd Deus verbum, Angelos assumpserit. cuius causa, iurè optimò, nomine communi Creaturae, significatur homo. sic enim ipse, Creatoris est delicium; & inter Creaturas à Creatore Magis dilectus. & ideo ipse est, qui Inuisibilia Dei, per ea, quae facta sunt, intelligit. quod fieri posse; quatuor rationibus, à Magistro confirmatur: quarum diuersitas sumitur, secundùm vias deueniēdi ex Creaturis in Deum: nàm (vt habet Dionisius Cap. 7. de diuinis nominibus) ex Creaturis, tribus modis, deuenimus in Deum.s. per causalitatem, per remotionem, & per eminentiam: siquidem cognoscendo, Creaturam esse ab alio, in Deum tandem peruenimus; vt in omnium causam: & praeterea, considerando modum, quo Creatura in esse est producta, & quòd imperfectionibus multis, est admixta; à prima omnium causa, imperfectiones omnes esse remouendas, & perfectiones adscribendas, cognoscimus: & sic per remotionem, & modum eminentię, in Dei cognitionem deuenimus. Prima ratio, per viam causalitatis,

litatis, ſumitur hunc in modum. Omne creatum eſt ab alio, & tandem reducitur ad increabile, ne detur proceſſus in infinitum; ſed omnis Creatura, ſaltem mediatè, eſt creata; ergo Creaturæ quærendo cauſam, in primam deuenimus: & præſertim, cum ſit aliquod creatum (vt vniuerſalis mundi machina) quod à nulla Creatura fieri potuit. Secunda ratio, quæ nos ad Deum cognoſcendum perducit, per viam remotionis ſumitur, hoc pacto, omne imperfectum ad perfectum, & omne mutabile ad immutabile, reducitur; ſed omnis Creatura eſt imperfecta, & mutabilis; igitur deueniendum eſt ad vnum perfectum, cui nulla imperfectio admiſceatur; pœnitusq; ſit immutabile. & tale Deus erit. Aliæ duæ rationes, per viam eminentiæ, Deum nobis inuenire faciunt; dùm.ſ. ex omnibus mundi partibus, omnes omniũ perfectiones, tanquàm Flores decerpentes, eas in Deo, earũ authore, eminentius reponimus. Nàm, ſi in his creatis, Corpus eſt bonum, & Spiritus melior; quis non videt, optimum debere eſſe, qui Spiritum fecit, & Corpus? Similiter ſi bonum eſt ſentire, & melius intelligere, & ob id, pulchrior animus ipſo Corpore; cur non pulcherrimum Deum dicemus, à quo omnis pulchritudo manat? Hæc igitur ex his creatis, tanquàm ex vmbris colligẽtes, diuinæ Eſſentiæ vnitatem, per rationes naturales inuenimus; nàm ſi Deus eſt potentiſsimus, immutabiliſsimus, optimus, & pulcherrimus (vt quatuor propoſitis rationibus, eſt deductũ) quòd vnus ſit Deus eſt neceſſe, ne alter ſit ſuperfluus. De quo tamen, pluraliter locutus eſt D. Paulus, dùm dixit, Inuiſibilia Dei &c. quoniam (vt inquit Magiſter) ſimplex illa Dei Eſſentia, per ea, quæ facta ſunt, pluribus modis cognoſcitur: vt ex perpetuitate Creaturarum, æterna; ex earum magnitudine, omnipotens; ex ordine, & diſpoſitione, ſapiens; & ex gubernatione, bonus. nam quicquid egregium, quicquid præclarum, in his creatis offendimus, omnes ſunt diuinæ naturæ, notæ; ſignaq; clariſsima. Vnus eſt ergo Deus. & quod ſit Trinus, ratione veſtigij, & imaginis, in ſequenti, monſtrabitur.

LECTIO DVODICESIMA.

VNitatem Eſſentiæ, àc perſonarum Trinitatem, quam ſupra monſtrauerat Magiſter, per ſcripturas; in tertia diſtinctione (vt

ne (vt audiuiſtis) per Creaturas cœpit explicare. vndè, primo loco (vt externa lectione expoſitum fuit) quatuor rationibus catholicis, monſtrauit Eſſentiæ vnitatem. In reliqua parte huius diſtinctionis, ſequitur, eadem via, perſonarum Trinitatem commonſtrare: ſed quia Trinitas, duplici ſimilitudine poteſt inueſtigari, confuſa, videlicet, & diſtincta; cùm ſemper notitia confuſa, præcedat diſtinctam; Magiſter primo loco agit de veſtigio Trinitatis, quod eſt ſimilitudo quædam ipſius confuſa; deindè candem monſtrabit, per imaginem; quæ, reſpectu veſtigij, dicitur ſimilitudo diſtincta. De veſtigio autem loquendo, tria facit Magiſter. Primò dicit, illud reperiri in qualibet Creatura. Secundò docet nos, per illud, in cognitionem Trinitatis poſſe deuenire. Tertiò oſtendit hanc eſſe exiguam cognitionem, & pœnitus confuſam. & hæc habet Magiſter, in hac particula de veſtigio, quæ modò, à nobis exponitur. Quæ vt intelligatur, prę-notandum eſt, quid ſibi velit iſta vox veſtigium: & primò accipiendum eſt, quòd in triplici ſignificatione reperitur. Aliquando enim veſtigium, Dei prouidentiam ſignificat; vt apud Iob Cap. 11. dicitur, Forſitan veſtigia Dei compræhendes? veſtigia dicit.i. opera & curam Dei, in mundi gubernatione. Aliquando ſignificat operationes omnium virtutum Chriſti; vnde dixit Paulus, vt ſequamini veſtigia eius. Tertiò, & vltimò, veſtigium dicitur impræſsio facta, aliqua parte corporis, & præſertim pedibus animalis, & in hoc ſenſu, metaphoricè tamen, & per tranſlationem, accipitur hìc veſtigium. Cum enim per imprę ſsionem pedum, inueſtigetur via, & inceſſus Animalis, non quidem indiuidui Animalis, ſed ſecundùm genus, vel ſpeciem; ſequitur, quod hoc nomen veſtigij, ad ſignificandam ſimilitudinem cuiuſcunq; rei, confuſo modo, poſsit accipi: Repræſentatio enim, non ſecundùm indiuiduum, ſed ſecundùm genus, vel ſpeciem, dicitur repræſentatio confuſa. Quare, cum quæritur An in Creaturis ſit veſtigium Trinitatis, hoc eſt idem, ac ſi vellemus intelligere, An in Creaturis ſit aliqua ſimilitudo exigua, & confuſa; per quam veniamus in cognitionem Trinitatis, confuſo modo. Ad quod affirmatiua eſt reſponſio, quod in omni Creatura reperitur. Nàm, ſi omnis effectus, aliquam ſuæ cauſæ, ſimilitudinem, gerit; cur non in Creatura, Creatoris erit veſtigium, per quod, aliqua de Creatore cognitio, haberi poſsit?

Et cum tale veſtigiũ, ſimilitudo ſit potẽtię, ſapientię, & bonitatis Dei, ab ipſo in Creaturis impreſſa, & derelicta; quis (licèt à longè) perſonarum Trinitatem, non agnoſcet? Nàm (vt inquit Magiſter) Creaturæ omnes habent vnitatem, vel modum, ſpeciem, & ordinem; ſiquidem habent ſubſtantiam, qualitatem, & quantitatem; ratione ſubſtantiæ, habent vnitatem; ratione qualitatis, habent ſpeciem: & ratione quantitatis, quæ pondus ſignificat, habent ordinem: quæ tria dicuntur eſſe de ratione veſtigij. Dicũtur autem Creaturæ habere vnitatem, vel modum; inquantùm habent Terminum; inquantùm.ſ. menſuræ ſunt limitatæ: dicuntur habere ſpeciem, inquantum aliquam redolent pulchritudinem (hìc enim accipitur ſpecies pro pulchritudine): Tertiò, dicuntur habere ordinem, inquantùm referuntur in finem. & hæc habent Creaturæ, ex neceſsitate; quia Deus, eorum omniũ eſt cauſa, efficiens, exemplaris, & finalis. Vndè Creaturæ, inquantum habent modum, & terminum, ſignificant Deum, vt cauſam efficientem: inquantùm verò aliquam habent pulchritudinem, ſignificant Deum, tanquàm cauſam exemplarẽ: Vltimò, inquantum ſunt ordinatæ in finem, præſeferunt ipſum Deum, vt cauſam finalem. Cum igitur hæ partes, in omnibus rebus creatis, reperiantur; in omnibus etiam reperitur, & veſtigium: è quo, leui quadam cognitione, percipere poſſumus, & intelligere, perſonarum Trinitatem: Nam dicitur quòd vnitas ſignificat Patrẽ; pulchritudo vel ſpecies, quæ dicit diſpoſitionem, & ſapientiam, ſignificat filiũ; & ordo ſignificat pondus in charitate; vnde, cùm charitas, & bonitas ſignificent Spiritum Sanctum, aliqualiter deuenire poſſumus in cognitionem Trinitatis. Non enim (inquit Magiſter) per Creaturarum contemplationem, ſufficiens notitia Trinitatis poteſt haberi; ſine doctrinæ, vel interioris inſpirationis, reuelatione. Hæc namq;, ſupra omnem corporis, animiq; ſenſum, longè eminet: ideoq; ad illam, ea intelligendi vis, quæ nihil cognoſcit aliud, quàm id, quod aut exceperint aures, aut viderint oculi, euadere non poteſt: niſi ipſęmet Deus, lucem quandam in noſtros animos, ſua benignitate, infunderet; quæ, quid vobis credendum eſſet, quidúe abnuendum, doceret; fidemq; in nobis gigneret certam, atq; conſtantem, rerum diuinarum: ſine qua, deficimus in contuitu Trinitatis: vt Magi Pharaonis (inquit Magiſter) in tertio ſigno, Vbi, hoc eſt animaduerſione

uerſione dignum, quomodo ſcilicet, Magi Pharaonis in tertio ſigno defecerint, quando in productione Cinifum defecerunt: quod ſignum, quarto loco factum fuit: vt patet in libro Exodi Cap. 8. Nàm primum ſignum fuit commutatio virgæ in ſerpen tem, ſecũdum fuit putrefactio aquarum, Tertium productio Ranarum, & quartum productio Cinifum, vel pediculorum; in quo defecerunt. Sciendum igitur quod hæc ſigna, dupliciter poſſunt conſiderari; vel ſecundum ordinem actuum, vel ſecundùm ordinem materie, in qua facta ſunt huiuſmodi ſigna. Primo modò, certè ſignum illud, in quo defecerunt, quartum fuit. ſed, ſecundùm ordinem materiæ, Tertium. Nàm, primum factum fuit in ligno, ſecundum in aqua, Tertium in terra, vel in puluere; penès, ergo materiam, dicitur tertium ſignum. vel Dicatis, quòd huiuſmodi ſigna, poſſunt conſiderari, vel vt ſigna ſunt ſimpliciter; vel vt ſigna ſunt, & plagæ ſimul: ſi primo modo conſiderentur, ſecundũ quem magna oſtenditur Dei virtus, ſic defecerunt in quarto ſigno: ſed ſi cõſiderentur ſecũdo modo, dicitur, quòd defecerunt in tertio ſigno. Nàm primũ ſignũ, quòd fuit cõmutatio virgæ in ſerpentẽ, ſignũ fuit ſolũmodo, & non plaga; Reliqua verò, & ſigna, & plagę. patet ergo quarè dicatur, quòd defecerũt in tertio ſigno. Si autẽ quęreret quis veſtrũ, quomodo potuerint magi Pharaonis, ſigna illa facere, quæ non ſine Dei virtute fecit Moyſes: Reſpõdetur quod fecerunt virtute, & auxilio Dęmonũ. qui quidẽ Dæmones, quadrupliciter hoc facere potuerunt. Primo modo, non cõmutando virgas in ſerpentes, ſed hinc inde col lectis ſerpẽtibus, in medium adducendo. Secundo modo potuerunt hoc facere, peruertendo imaginationẽ eorũ. Tertio modo, commutando ſenſus exteriores, ita vt viderentur illi homines cognoſcere, & videre ſerpentes. Vltimo modo, potuerunt hoc facere coniungendo actiua paſsiuis; quod quidem faciunt, ferè in inſtanti, propter cognitionẽ, quam habent rerum naturalium. & hoc modo dicendum eſt, quòd Dęmones operati ſint huiuſmodi ſigna. putrefactio enim aquarum, non potuit aliundè colligi, & in eo loco adduci. Verùm adhuc circa literam Magiſtri illud eſt animaduertendum, quòd cum dicitur, ea quæ arte diuina, facta ſunt, Trinitatis veſtigium habere; Deum Artificem eſſe, quantum ad ſapientiam, & non quantum ad modum operandi, debetis intelligere. Cum enim artifex ſibi ſupponat materiam. &

Deus cuncta creauerit, nulla re subiecta; quamuis Deus, communiter loquendo, omnium dicatur artifex: in disputatione tamen, vbi propriè loquimur, negatur: vt apertè facit ipse Magister, in principio secundi sententiarum, contra Philosophos, qui Deum artificem, & non Creatorem faciebant; igitur, in prima rerum constitutione, ea solùm ratione, Deum artificem dicere possumus, quòd in se, omnium rerum habet Ideas, sapientiamq; infinitam; qua cuncta fecit, & regit. sed in constitutione particularis hominis, etiam alio modo potest dici artifex, respectu.s. Corporis; nam anima creatur, & creando infunditur. Et hæc dicta sint pro præsenti particula.

LECTIO TERTIADECIMA.

N*Vnc verò ad eam iam deueniamus disputationem. &c.* G. In hac vltima parte distinctionis tertiæ, quid sibi velit Magister, ipsemet in primis verbis aperit: & inquit, eius intentionem esse monstrare, quomodo per imaginem, quæ reperitur in homine, in diuinæ Trinitatis, àc vnitatis cognitionem, deuenire posſimus. Cùm enim supra, ostenderit Magister, nos posse cognoscere Trinitatem, per ea, quæ reperiuntur in omnibus rebus creatis, scilicet per vestigium: Nunc, in eiusdem diuinæ Trininitatis cognitionē, per similitudinem, in homine tantùm repertam, nos posse venire, docet. quæ cognitio nobilior est, & perfectior ea, quæ habita est à nobis per vestigium. respectu cuius, & propinqua, & distincta dicitur. Et quoniam imago, & secundum potentias, & secundum habitus animæ, considerari potest: primò intentum exequitur, per potentias imaginis; & deindè per habitus eiusdem; primumq; docet, in quo similitudo consistat, mox eam, cum magna disſimilitudine esse, animaduertit. Vt autem hæc, quæ pluribus tractatur à Magistro, paucis comprehendam; Animam dico substantiam esse imaginis, secundū quòd capax est Dei, eiusq; particeps esse potest: & partes imaginis, sunt memoria, intellectus, & voluntas. Quæ, duplicem habent similitudinem cum Trinitate personarum; Altera est, quantum ad earum distinctionem, in vnitate essentiæ; quia sicut tres personæ sunt vnus Deus, ratione vnius, eiusdemq; essentiæ; & personaliter, oppositione relatiua, ad inuicem distinguuntur; ità quòd

quòd Pater non eſt Filius, nec Filius Pater, & ſic de Spiritu Sancto, reſpectu Patris, & Filij: ſic tres potentiæ, quæ ſunt in anima noſtra, vnius ſunt eſſentiæ; quia vna ſunt anima, & in ipſa eſſentia animæ, non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter exiſtunt: & tamen memoria non eſt intellectus; nec intellectus voluntas; nec è contra: imò, ſicut & diuinæ perſonæ, relatione diſtinguuntur. quòd intelligimus de potentijs ratione actuum. quorum vnus oritur ab alio, eo ordine, quo diuinæ perſonæ, ad inuicem producuntur. Alia ſimilitudo, quam habent tres animæ potentiæ, ad tres diuinas perſonas vnius eſſentiæ, per quam in illarũ cognitionem poſſumus deuenire; quantum ad earum æqualitatem conſideratur: & in eo conſiſtit, quòd ità ſunt æquales tres dictę potentiæ, in vna eſſentia animæ, & ità ad inuicem ſe capiunt, ſicut capiũt ſe diuinæ Perſonę: per quod ad inuicem maximè ſunt æquales. Nàm, ſicut Pater eſt in Filio, & Filius in Spiritu Sancto, & è contra; & Pater, non eſt maior Filio, nec Filius maior Spiritu Sancto, & è contra; ſed quælibet diuina perſona capit alias duas, & ſeipſam (vt clarius videbimus, cum de earum æqualitate, cum Magiſtro tractabimus) ſic æquales ſunt animæ potentiæ: quia vna capit aliam, & quælibet capit omnes. & probo; primùm de memoria, quòd ſeipſam capiat. Quicquid eſt præſens memoriæ, illud eſt in memoria; ſed ipſa tota memoria eſt ſibi præſens; ergo ipſa tota memoria, eſt in ſe ipſa. ſiue ſe iſam capit. quòd verò eadem memoria alias duas potentias capiat, hoc eſt, Intellectum, & voluntatem, ſic oſtenditur. Quicquid intelligo, & volo, ſcio me intelligere, & velle; ſed quicquid ſcio me intelligere, & velle, eſt in memoria; ergo id omne, quod ſcio, & volo, capit memoria. ergo memoria, intellectum, & voluntatem capit. Hoc idem de intellectu ſic monſtratur. omne, quòd non eſt ignotum, eſt in intellectu; ſed quicquid eſt in intellectu, in voluntate, & in memoria non eſt ignotum: ergo quicquid eſt in intellectu, voluntate, & memoria, ab ipſo intellectu capitur. Quod itidem de voluntate, hunc in modum, oſtenditur; omne illud, quo vtor, eſt in voluntate; ſed omne, quod volo, quod intelligo, & memoror, vtor; ergo omne quòd volo, intelligo, & memoror, in mea eſt voluntate. En quomodo humana mens, ratione ſuarũ potentiarum, & vnitatis eſſentiæ, & Trinitatis perſonarum eſt imago. In qua tamen (vt nos animaduertit Magi-

 ſter)

ſter) magna eſt diſsimilitudo, per quā cognoſcimus differētiam, inter Trinitatem, quæ reperitur in nobis; & illam, quæ eſſentialiter eſt in Deo : ſiquidē tres perſonæ in diuinis, ſunt vnus Deus. Tres verò illæ potentiæ, nō ſunt vnus homo, ſed hominis vnius. Præterea Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt tres perſonæ; ſed memoria, intellectus, & voluntas, non ſunt perſonæ; ſed benè ſunt tres potentiæ vnius perſonæ. igitur hæc, quæ dicta ſunt de imagine, ſecundùm potentias, ità ſummæ Trinitatis ſimilitudinem gerunt, vt imperfectè in illius cognitionem faciant nos peruenire. Quòd etiam de imagine, quæ in mente, notitia, & amore dicitur conſiſtere, vtiq; eſt aſſerendum; non ſolùm, quia nulla imago Trinitatis creatæ, ſine magna diſsimilitudine Trinitatis increatæ, repræſentata inuenitur; cum realis ſit differentia inter eas; ſed etiam, quia hæc vltima Imaginis aſsignatio, non eſt ità propria, & conformis, ſicut prædicta. In illa namq; exprimitur Trinitas, in memoria, intelligentia, & voluntate : & vnictas in ſubſtantia animæ : In hac autem ſub nomine mentis, duo compræhenduntur. ſ. ſubſtantia, animæ, & naturalis actus, vel habitus memorandi, reſpectu ſui ipſius. Præterea imago prima, aſsignari videtur potiſsimum, per comparationem ad obiectum, quod eſt Deus : hæc autem, per comparationem ad obiectum, quod eſt ipſamet anima. & ità, prima aſsignatio imaginis, expreſsior eſt, quam iſta : quæ tamen, inquantùm eſt in anima ſubſtantialiter, diuinæ Trinitatis vnitatem, nobis ſignificat : & inquantùm mens, & notitia eius, & amor, tria quædam ſunt; perſonarum diſtinctionem importat. Amplius ex mente procedit notitia, & ab vtroq; amor, ſicut vna perſona diuina, ab alia procedit : & quoniam, inquantùm eſt mens, intantùm ſe nouit, & amat; & vtrunq; iſtorum in altero concluditur, æqualitatem perſonarum demonſtrat. Igitur quiſquis hæc tria, & illam vnam eſſentiam, in qua iſta ſunt, viuaciter conſiderat, ad contemplationem creatoris ſe extendit; àc vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate, videt. Quare, ob huiuſmodi conſiderationem, credimus, quod in illa Sancta Trinitate vnus eſt Deus Pater, qui ſolus eſſentialiter, de ſe ipſo, Filium vnum genuit : & vnus Filius eſt, de vno Patre, ſolus eſſentialiter natus; & vnus Spiritus Sanctus, qui ſolus eſſentialiter, à Patre, Filioq; procedit.

LECTIO DECIMAQVARTA.

SI circa ea, quæ habita sunt à Magistro, in Tertia Distinctione iam exposita; omnia, quę Scolastici animaduersione digna, iudicarunt, hìc perpenderentur; certè (.N.) pulcherrima ea, quę sequũtur, & scitu dignissima, à nobis, penuria tẽporis, vel cognosci minimè possent. Quarè non omnia Theologorũ quæsita, quę hìc afferuntur, nec ea etiam formaliter, siuè scolasticorum more, hoc in loco tractare, intendimus: sed tantùm ex illis ea breuissimè adnotabimus, quibus iam dicta, melius, àc facilius teneãtur. Hæc autem genere, tria erunt; videlicèt de cognitione Dei, de Creaturarũ vestigio, àc de earundem imagine, respectu vnitatis, Trinitatisq; Dei. quæ omnia tribus lectionibus, alijs tribus superioribus respondentibus, persolui volumus. Quantùm ad primum (de quo tota erit præsens hæc disputatio) duo videbimus, videlicet, An Deus sit à nobis cognoscibilis; & An per Creaturas cognosci possit. Et quidem (vt rem aggrediar) Deum in se, cognoscibilem esse, negare non possumus: Ipse namq; suaptè natura, omnibus patens est, & apertus: non cernitur autem ab animis nostris, neq; videtur; quoniam immenso interuallo, omnem superat intelligentiam. Itaq;, Deum esse, dicimus per se notum, secundum se; quia prædicatum includitur, in ratione subiecti: siquidem Deus, est suum esse. sed quo ad nos, non est per se notum; quia rationes terminorum nos latent.i. quia ratio subiecti, & prædicati; non est nobis nota. Vndè, sequitur posse manifestari, per medium, quo ad nos.i. à posteriori, vel ab effectu. ex quo accipiatis velim, quòd in propositione per se nota, ibi, per se, non excludit medium à posteriori; quando.s. est nobis ignota. Et si dicatur, cognitionem eius, quòd est, Deum esse; nobis, naturaliter esse insertam: sciatis hoc affirmari, propter naturalem promptitudinem, quam habemus ad eum intelligendũ: & non quia de eo, notitiam habeamus actualem, & distinctam: vel quia mediante potentia cognitiua, nobis naturaliter data, possumus cognoscere Deum esse. Quamuis cum D. Thoma, & Ric. de Media Villa, asserimus, quòd cognoscere Deum esse, in aliquo comuni, àc sub quadam confusione, est nobis naturaliter insertum; & est dicere, quòd Deum esse, est nobis per se notum,

notum, quantum ad conditiones sibi, & Creaturæ cõmunes: nõ communitate vniuocationis; sed analogiæ: quæ est ens, vnum, bonũ, verum. quia aliquod ens esse, & vnum esse. &c. vltrò se offerunt cognitioni nostræ. sed quantum ad conditiones, à quibus, hoc nomen Dei imponitur, ad significandum (quæ sunt fouere vniuersa, posse consumere omnem malitiam, considerare omnia) ipsum esse, non est nobis perse notum. quoniam Deus, conceptu proprio, & quidditatiuo, cognoscibilis non est à nobis, naturaliter: eo quòd necessariò non videtur, sicut corpora: vnde naturà inuisibilis dicitur. & licet voluntate sit visibilis, etiam dicto modo: quia videri potest, quando vult, & sicut vult (vnde dicitur obiectum voluntarium respectu intellectus nostri) cognitione tamen compræhẽsiua, nec etiam à beatis cognoscitur: quoniam intellectus finitus, non potest compræhendere infinitum. Igitur, licet Deus non se abdiderit in tenebris, vt vel Angelorum, vel hominum fugerit cognitionem; quia tamen lucem habitat inaccessibilem, à nobis hìc degentibus, intueri non potest, nisi vniuersaliter; aut in sua immensitate priuatiuè. cognoscendo. s. de ipso, quid non est. Pro cuius veritatis defensione, sciendum est, quod dictum illud, oculus noster ad Deum, sicut oculus Nicticoracis ad solem, se habet: Intelligitur de notitia intuitiua. & illud, sicut se habet res ad esse, sic ad cognosci; valet de cognitione aptitudinali: non autem de actuali, nisi respectu intellectus, cognoscentis omnia, secundùm cognoscibilitates suas. Et illud, infinitum, vt infinitum, est, ignotum; verum est de infinito, quòd se tenet ex parte materiæ: non de infinito ex parte formæ. & illud, Non est cognitio sine phantasmate; intelligitur quantum ad primam motionem intellectus: non autem quantum ad secundos actus & sequentes: vel dicendum, quòd Deus cognoscitur per phantasmata effectus sui. Vnde, ad secundam partem huius quæsiti accedens, Respondeo, quod illa, quæ de Deo cognoscimus naturaliter, per Creaturas cognoscimus. Cuius rei ratio est, quòd omnis naturalis cognitio ortum habet à sensu. Tria autem, per Creaturas cognoscimus, videlicet, causalia, negatiua, & supereminentia: hoc est, cognoscimus, quòd Deus est omnium causa; quod non est aliquid eorum, quæ ab eo causantur; & quòd superexcedit omnia. sed quando Creaturæ, Deo, Magis dissimiles, quàm similes inueniuntur, imperfectissima

ſima eſt talis cognitio. adeò quod per illam, non quidē in Deum, ſed ad aliquid ſub Deo, peruenire dicamur; & ipſum quid eſt Dei, cognitione huiuſmodi acceptum, Magis nos lateat, quàm ſit à nobis cognitum. Nec valet, Dei quid eſt, eſt ſimplex: ergo vel totaliter ſcitur, vel totaliter ignoratur. Quoniam totaliter ſimplex, totaliter ſcitur, aut totaliter ignoratur; quando cognitione ſimplici, & non compoſita cognoſcitur. Quod ſi ſcribitur, nos non poſſe, de Deo, aliquid affirmare; intelligendū eſt, quòd nec propriè, nec ſufficienter, de Deo loqui poſſumus. Quamobrem, affirmationes dicuntur incompactæ, quoniam, licet affirmemus de Deo, mediante nota compoſitionis, quæ importatur per hoc verbum eſt; Tamen, iſti compoſitioni, non reſpondet aliqua compoſitio realis, in ipſo Deo: vt cum Deus dicitur iuſtus, non ſignificatur ibi, compoſitio iuſtitiæ ad Deum; quia non componitur, nec inhæret: ſed Magis ſignificatur eſſe iuſtitia, quàm iuſtus. Nec ſequitur, Deus eſt, & eſt ſummè, & infinitè bonus, quia omnia bona ſuperexcedit, ergo debet deſtrui omne malum: Quoniam, ad infinitam Dei bonitatem ſpectat, quòd malum ſit in effectibus ſuis; licèt non in ſeipſo; vt deinde ex malis eliciat bonum. Præterquàmquòd, in voluntariè agentibus (vt rectè inquit Scotus) vnum oppoſitorum infinitum, non deſtruit totaliter aliud: ſed benè in naturaliter agentibus. intelligendo etiam, quòd illud tale infinitum, ſit communicabile alijs, ſecundùm eandem rationem, vt ignis, ſi eſſet infinitè calidus. Ex quo ſequitur quod Deus, quamuis naturaliter ageret, non tamen deſtrueret omne malum: quia non infinitè participatur. Quarè, Deus in ſe, maximè cognoſcibilis; à nobis, qui in præſenti ſtatu, Deū, ſine medio, cognoſcere non poſſumus; per Creaturas (vt dictum eſt) cognoſcitur. quod, cognitione intellectuali, & non ſenſibili, eſt intelligendum. quoniam cuiuſcunq; materialis condictionis, ſine quibus nihil appræhendit exterior, aut interior ſenſus; Deus omninò eſt expers. Quo quidem modo, cum Deum in ſua ſpecie, & ſicut eſt, videre non liceat; per gratiam hoc obtinere, ſtudeamus: vt deinde per gloriam, facie ad faciem videndo, perfectè beari poſſumus.

LECTIO

LECTIO DECIMAQVINTA.

ERat secundum Caput propositum, de Creaturarum vestigio, circa quod, tria à nobis, hodiè disputāda sunt; videlicet, eius quid est, partes, & subiectum, aut fundamentū. Quantùm ad quid est ipsius vestigij, conueniunt omnes dicentes, vestigium esse similitudinem imperfectam ipsius Dei, vel potius Trinitatis: per quam, in ipsius cognitionem deuenire possumus. Ex qua descriptione, colligimus tria esse de ratione vestigij.s. quòd sit similitudo, quod sit imperfecta, & quòd per eam deueniatur in cognitionem rei, cuius est similitudo, & vestigium. Et quia (vt dicebamus in expositione textus Magistri) similitudo imperfecta, quæ est in nobis ad Deum, ideo dicitur vestigium per translationem, quia vestigium propriè dictum, quod est impresio pedum, confusè ducit nos in cognitionem animalis, cuius apparet vestigiū; hinc est, quòd magis dicitur, in creatura esse vestigium Trinitatis, quàm diuinæ essentiæ. quia similitudo, quæ est in nobis ad Deum, magis confusè repræsentat distinctionem personarum, quam essentialium attributorum. Quamobrem est notandum, quòd differt vestigium ab imagine; quia imago est similitudo representatiua totius: vestigium verò est similitudo partis. Prætetera vestigium representat quo ad causalitatem, vt fumus; imago quo ad formam: quod si facit etiam vestigium, imperfectius tamen quàm imago. Vndè impresio pedis in puluere, non dicitur imago, nisi cum addictione; videlicet, imago pedis; quia nō est imago totius animalis. & ideo vestigium dicitur. Quare vestigium non representat totum, cuius est vestigium, nisi secundùm partem: nec ex vestigio potest immediatè cognosci totum; sed illatiuè tantùm: pro quanto illud, quod representatur per vestigium, cognoscitur esse aliquid totius. Et quamuis in Trinitate non sit propriè totum, nec pars: tamen in intellectù nostro, conceptus Trinitatis est quasi totalis; & persona est quasi pars: & etiam appropriatum, vt appropriatum, vel vt appropriabile acceptum, est quasi pars; quia ratio huius saluatur in vnica persona. Amplius notandum, quòd illa, quæ habent rationem vestigij in creaturis, respectu Dei; sunt in duplici differentia: quædam enim representant secundùm rationem similitudinis; cuiu-

smodi

ſmodi ſunt iſta tria, Vnitas, Veritas, Bonitas: & iſta etiam, Vnitas ſpecies,& ordo. alia verò repreſentant, ſecundùm rationem proportionabilis tantùm: vt in illa aſsignatione Auguſtini, modus, ſpecies,& ordo. ſiquidem, cum ſpecies, & modus, ſumatur pro limitatione rei; hæc repreſentant in Deo illimitationem principij actiui; non per rationem ſimilitudinis, quia ratio modi, & numeri, non inueniuntur in Deo: ſed ſecundùm rationem pro portionabilitatis: cùm limitationi creaturę, proportionabiliter correſpondeat, illimitatio primę cauſæ. His ergo pateat quid eſt veſtigij. Cuius, talis poteſt eſſe perfecta deſcriptio, Veſtigium eſt ſimilitudo Dei imperfecta, reperta in Creatura, nata ducere in cognitionem recordatiuam appropriati, vel appropriabilis; ſed non propriorum, trium perſonarum. Vbi, additur particula illa, nata ducere in cognitionem recordatiuam; quia in hoc con ueniunt veſtigium, & imago, quod ducunt nos in notitiam reme moratiuam rei habitualiter notæ: ideo pręſupponunt aliquam aliam notitiam rei, cuius ſunt veſtigium vel imago. Additur, ap propriati, vel appropriabilis; quia per creaturam nullo modo po teſt inueſtigari proprium diuinæ perſonæ; nec poteſt cognoſci appropriatum, vt appropriatum; niſi prius cognoſcatur illud, cui appropriatur: & in Creaturis reperiuntur aliqua, quæ repræſen tant ea, quæ ſunt appropriabilia diuinis perſonis. & hæc de quid eſt veſtigij. De ſecundo autem propoſito, dicimus, quod tres ſunt partes veſtigij, ſecundùm quod in cognitionem Trinitatis, nos debent adducere: veſtigium enim inuenitur in Creatura, inquantùm imitatur diuinam perfectionem: & perfectio Creaturę dicitur conſiſtere in principio, medio, & fine: per quæ tria, repręſentatur Trinitas, quamuis illa tria, poſsint pluribus modis expli cari, in Creatura; vt pro principio accipiatur forma, pro medio virtus, pro fine operatio. Vel principia rei, inclinatio adeſſe prin cipiati, & limitatio principiorum, ſub forma principiati. Quo factum eſt, quòd partes veſtigij, à diuerſis, diuerſimodè ſunt aſsignatæ: vt numerus, pondus, & menſura. Modus, ſpecies, & ordo. Vnum, verum, & bonum. Principium, mediũ, & finis. Ex quibus tertium quæſitum, quod erat de ſubiecto, & fundamento veſtigij, terminatum apparet. Nàm patet, quòd in omni creatura, re periuntur aliqua tria, repreſentatiua aliquorum; quæ ſunt appro priabilia tribus perſonis diuinis. Et confirmatur hoc ex libro ſapientiæ

pictiæ vndecimo, vbi habetur, quòd Deus omnia fecit in numero, pondere, & mensura. Simpliciter tamen inuenitur vestigium in his, quæ perfecta sunt; cuiusmodi sunt indiuidua in genere substantiæ: in accidentibus verò secundùm quid. quatenus etiam non dicuntur entia simpliciter; sed entia secundùm quid, scilicet aliquid entis. nam secundùm illud esse, quod secum afferunt in substantia, sic habent modum, speciem, & ordinē. Quarè colligimus, quòd sanctissima Trinitas quantū ad propria, quibus distinguuntur personæ, naturaliter inuestigari non potest; sed solùm quantùm ad essentialia quædam; quæ personis appropriantur, vt potentia, sapientia, & bonitas: per quæ Philosophi potuerunt cognoscere Deum esse potentissimum, sapientissimum, & optimum: non autem esse trinum: quoniam caruerunt ratione formali distinctiua; & appropriata. non cognouerunt in ratione notionali. quatenus.s. potentia attribuitur patri, sapientia filio, & bonitas Spiritui Sancto; sed ea cognouerunt in vniuersali, & confuso quodam modo; per quam cognitionem, Trinitas perfectè cognosci non potest: quando etiam Trinitate per intellectum remota, illa remanent in diuinis. Sed contra hæc instat aduersarius. Primò authoritate Apostoli ad Rom. primo, vbi dicendo, quòd homines sunt in excusabiles in cognitione Dei; videtur, quod naturaliter, Trinitatem distinctè cognoscere potuerint. Secundò ratione sic instat. Vestigium est impressio quędam consequens motum eius, cuius est vestigium: sed Deus sine aliquo motu est, & fecit omnia: igitur per vestigium inuestigari non potest. Tertiò modus charitatis est non habere modū; ergo cum charitas, quædam sit Creatura, falsum est in omni creatura esse vestigium; quòd in modo, specie, & ordine consistit. Respondetur facile, Ad primum; quod in eo sunt inexcusabiles, quòd cultum latriæ, quem vni Deo deberi cognoscebant, pluribus Dijs manufactis reddiderunt. Ad secundum; quòd in his, quæ dicuntur per translationem, non sequitur applicatio similitudinis in omnibus, sed sufficit, quòd attendatur similitudo quantùm ad aliquid. Ad vltimum dicitur, quòd cùm charitas, vno modo possit accipi, ratione subiecti, in quo est; & alio modo respectu obiecti, in quo nos ducit, & inclinat: Antecedens falsum est primo modo; quia cùm charitas sit in subiecto finito, & ipsa est finita. Secundo autem modò, conceditur; quòd eius obiectum,

ctum, quod est Deus, interminatum, & infinitum est. Vel conceditur totum argumentum, quia si charitatis modus, est non habere modum, non debet inferri, ergo non habet modum, sed potius oppositum, quia non habere modum, dicitur eius modus.

LECTIO DECIMASEXTA.

IN expositione tertię Distinctionis versabamur: atq; cum ipso Magistro, vnitatem diuinæ essentiæ, Trinitatemq; diuinarum personarũ, diuinitus reuelatam, ex his creatis rebus, quodam pacto, hoc est, per vestigium, & imaginem, intelligi posse, asserebamus. Quod nunc iterum affirmantes, sine fide, non benè fieri, animaduertimus: dicente Domino, Nisi credideritis, non intelligetis. Et cum de vestigio satis sit dictum; Nunc de imagine, duo theoremata propono: quorum occasione multas, & ferè omnes difficultates, in hac parte contingentes, remouebimus. Primùm quidem erit cognoscere, An homo ad imaginem Dei fuerit creatus. Alterum verò An eadem adhuc, in nobis diuinas leges transgredientibus, perseueret. De primo, habemus sacram scripturam in Genesi, sub persona Dei creantis, apertè dicentem, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. & superius etiam, lect. 13. dicebamus, Animam substantiam esse imaginis, & quòd eius partes sunt memoria, intellectus, & voluntas; atq; actus, siue habitus naturales. Verùm Philo Iudeus in opificio sex dierum, Per hominem factum ad imaginem Dei, Non intelligas (inquit) hominem ex limo factum, sed hominem archetypum, qui scilicet est in mente Dei, & est Deus ipse, ideoq; ipsi Deo quam simillimus. Et Robertus Abbas libro secundo de Victoria Verbi Dei, hominem dicit factum esse ad imaginem Dei potentia, & non actu. ita quod homo non habuerit, in initio creationis suæ, imaginem, & similitudinem Dei; sed solùm talis fuerit factus, vt similitudinem, & imaginem potuerit consequi, consequutusq; fuerit per gratiam in ipso Adam. Sed quòd è contra res se habeat, ex dictis iam patet: nàm primò de homine hoc in mundo producto, & non de Archetypo quæritur, An ad imaginem Dei fuerit creatus: quòd cùm negari nequeat, dicebat Xistus Senensis, Philonem non absolutè negasse, hominem hunc mortalem, ad imaginem Dei factum esse; sed

negasse, comparando hunc ad illum æternum, in mente Dei. Præterea, hominem ad imaginem Dei, actu, creatum fuisse, ex loco sacræ scripturæ citato, constat manifestè; Cum enim dictũ est à Deo, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; subiungitur, & fecit Deus hominem ad imaginem suã. quod nõ est dictum de similitudine, vt significaretur imaginem, ad animæ essentiam pertinere; & similitudinem, ad eius qualitates, quæ proprio studio debent comparari. Sic exponit Origenes, de quo dicitur, quòd vbi benè dixit, sicut hoc in loco, nullus melius est loquutus; & vbi malè nullus eo peius. Patet igitur quòd homo, actu ad imaginem Dei fuit creatus. Sed vt res sit euidentior; & facilius intelligi, àc tueri possint, quæ videntur contraria, pauca quædam sunt notanda; & primùm, quòd cum triplex sit imaginis acceptio; quia alia dicitur imago Creationis, alia recreationis, & alia imago similitudinis; hìc de imagine creationis est sermo, quæ, quia in essentia animæ consistit; in omnibus hominibus reperiri dicitur: de imagine autem recreationis, quæ in iustis tantùm inuenitur, siue de imagine similitudinis, quæ in beatis est solummodo, fortè locuti sunt Philo Iudeus, & Robertus Abbas. Secundo notandum, quòd ad creationis imaginem tria requiruntur, videlicet, quòd sit similitudo repræsentatiua rei, cuius est imago; quod repræsentet secundùm totum; in quo distinguitur à vestigio: & quòd sit ibi imitatio, siue essentialis ordo respectu rei, cuius est imago. Ex quibus sequitur, quod imago Trinitatis, repræsentare debet, personarum distinctionem in vnitate essentiæ; àc personarum originem; per quam fit distinctio realis personarum: & amplius imitationem quandam respectu ipsius Trinitatis. Tertiò sciendum est, quòd in anima nostra, est aliquid, quòd est actus primus, respectu actuum secundorum: vt anima ipsa, siue potentia intellectiua, quæ obiectum habet sibi præsens; & dicitur memoria: quæ duplicem habet fœcunditatem scilicet, intellectiuã, & volitiuam; pro vt, scilicet est in actu primo, respectu vtriusq; actus secundi. Ideoq; est in anima aliquid, quod est receptiuũ intellectionis, habensq; ipsam intellectionẽ, & dicitur intelligentia: & tertiò est aliquid, habens actualem volitionem, & dicitur voluntas. Quartò notandum, quòd anima potest comparari ad triplex obiectum, videlicet ad ipsum Deum; ad se ipsam, vel ad Angelum; & ad inferiora

riora ſe; & tunc, primo, & ſecundo modo, dicitur portio ſupe-rior animæ: tertio modo, quando.ſ. inferiora ſe conſiderat, por tio inferior: quamuis etiam ſuperior portio animæ ſit, quando anima, lumine ſuperinfuſo, aliquid contemplatur; & portio infe rior, quando illud idem, vel diuerſum lumine puro naturali con ſiderat. Vltimò ſciendum eſt, quòd imago non diſtinguitur à ſi-militudine, ſecundùm communem rationem ſimilitudinis: quia ſic includitur in ratione ipſius imaginis: ſed diſtinguitur, ſecun dùm quod ſimilitudo, vel deficit à ratione imaginis, vel eſt ima-ginis perfectiua: vnde imago repræſentat diuinam eſſentiam, & accipitur (vt diximus) ſecundùm memoriam, intellectum, & vo luntatem. Similitudo verò, ſecundùm qualitates, & accidentia animæ, vt ſecundùm innocentiam, & iuſtitiam. Vnde etiam di citur, quòd imago eſt in cognitione veritatis, & ſimilitudo in di-lectione virtutis. Sed Recentiores in ſancta lingua edocti vtráq; vocem, imaginis, videlicet, & ſimilitudinis, vnum, & idem He-breis ſignificare, dicunt; ità tamen, vt poſterior augeat, ampli-ficetq; Priorem: ità quod ſit ſenſus, faciamus ad imaginem, &c. ideſt, faciamus hominem nobis quàm ſimillimum. His autem animaduerſis, facilè reſpondetur ad multa, quæ hìc communiter quæruntur. Vt quando quæritur An imago ſpectetur in memo ria, intellectu, & voluntate, ſecundùm quod ſunt nomina poten tiarum, vel ſecundùm quod ſunt nomina actuum: facillimè re-ſpondetur, quòd imago propriè, & formaliter eſt in eſſentia ani-mæ, per comparationem ad ſuas potentias, inquantùm ſunt in actibus ſuis. ſiquidem (vt dicebatur in ſecundo notando) imago debet dicere originem perſonarum, quæ maximè eſt in illis po-tentijs reſpectu ſuorum actuum. Et quia D. Auguſtinus habet, quòd anima eſt imago Dei, quo eius eſt capax; Dicatis hoc ve-rum eſſe fundamentaliter: ſic enim eſt in potentijs animæ, vt po tentiæ ſunt: in quibus dicitur eſſe, modo imperfecto, ſiuè incom pletè. Similiter cum quæritur An imago attendatur in dictis po tentijs, per comparationem ad obiectum, quòd eſt Deus; vel ad obiectum, quod eſt anima ipſa; vel ad obiectū, quod eſt aliquid ſibi inferius. Reſpondetur quòd propriiſsimè conſiſtit in illis potentijs ſolùm per comparationē ad obiectum, quod eſt Deus. & patet hoc, per illud, quod à nobis ſecundo loco fuit adnota-tum: quoniam, cum imago debeat dicere imitationem diuina-

rum

rum personarum; hoc maximè est in anima, per conuersionem suarum potentiarum ad ipsum Deum: dum enim ipsius meminit, ipsumq; cogitat, & aliqualiter amat; in eius similitudinem aliquo pacto transformatur. Quòd itidem fieri posse, non negatur, dum pro obiecto, semetipsam, vel Angelum habet; quàmuis imperfectiori modo; sicut, & multò imperfectius, dum ea, quæ sunt ipsi animę inferiora, pro obiecto sibi proponit: eo quod in ipsis, Trinitatis imago, multò minus relucet. sic autē patet primum quæsitum, quod est hominem ad imaginem Dei creatum esse, quoniā eius imago in animæ substantia potissimùm consistit. Ex quo, & secundum propositum determinatur, quando, si per peccatum, animæ essentia non deperditur, nec imago amitti valet. Origenes tamen oppositum docuit; & quamuis Epiphanius in quadam sua Epistola hunc dicat Origenis errorem, Diuus tamen Augustinus idem quòd Origenes sentit; & ait hominem, per peccatum, Dei imaginem amisisse. Quid igitur dicemus? Responsio est clara, ex positis fundamentis; & clarissima reditur ex libro secundo retractationum D. Augustini Cap. 4. cum enim eo in loco sententiam mutauerit Diuus Augustinus non est dubitandum, quod res sic habet (vt diximus) quod scilicet, homo, peccando, Dei imaginem, non amisit. At quia ex D. Augustino, loco retractationum citato; Ex Euperio Episcopo, libro primo super Genesim; & ex D. Ambrosio in Epistolam ad Tessal. super illud, Induentes nouum hominem. &c. apertè habetur, quòd imago duo significat, hoc est, impresionem animæ secundum essentiam, & impræssionem animæ secundum qualitates; defendi potest Origenes, si secundo modo accepit imaginem: quoniam licet imago, secundum animę essentiam, non possit amitti; & si quodammodò labefactetur, imago tamen, secundum qualitates, hoc est, imago pro similitudine accepta (omnium Patrum testimonio) peccādo amittitur. Alia plura hìc essent notanda, quæ tamen omitto, vt in solitis dispu tationibus aliquid vobis sit reliquum.

DISTIN-

DISTINCTIO QVARTA.

De processione vnius personæ ab alia, quãtum ad terminum, in concreto significatum, Dubitationum solutiones
- Docet
  - Principaliter
    - Negando. A.
    - Distinguendo. B.
  - Secundariò. Quòd vnus Deus est Trinitas. C.
- Confirmat. In eo quod dicitur Deum de Deo, & tamen nec se, nec alium Deum gignere. D.

LECTIO DECIMASEPTIMA.

HIc *quæritur quæstio satis necessaria. &c.* A. Intentionem Magistri in hac parte, duplici modo assignatam inuenio, aliqui enim scribunt, Magistrum velle agere de æterna generatione filij in concreto:& alij dicunt, quòd Magister, incidentes difficultates, circa iam determinata, soluit. Quæ secunda explicatio, ex eo conuenientior apparet, quòd ipse Magister, id tertio loco se facturum promisit. Siquidẽ in tertia particula distinctionis secundæ,primùm sanctæ scripturæ authoritatibus,veritatem se velle demõstrare,dicebat,Deinde rationibus catholicis, & similitudinibus congruis, contra Garrulos eandem manifestare : & tertiò ad defensionem fidei, eorum inquisitionibus satisfacere. Quorum primis duobus iam præstitis,remanet vt hoc in loco,tertium exequatur. Postquam enim in prima Distinctione materiam,de qua in toto hoc opere, & potissimùm in hoc primo libro, est agendum, proponendo; dixit,de rebus,& signis esse tractãdum;primumq; de rebus fruibilibus: In secunda distinctione propositum aggrediens,hanc veritatem, quæ est Deum esse vnum, & trinum; sacræ scripturæ authoritatibus demonstrauit. Et in tertia, eandem, per vestigium, & imaginem naturaliter intelligi posse, docuit; Igitur restat vt nunc ijs rationibus satisfaciat, quæ dictam veritatem oppugnant.

pugnant. Quo in negotio, quoniam (vt dicebat Magister) etiam mansueti plenius instruuntur, alia huius distinctionis assignata Intentio, minimè spernatur à vobis; cùm enim dicitur, æternam filij generationem, ratione termini essentialis in concreto, considerari; hanc partem subdiuidendam esse intelligimus, vt non tota, hac præsenti distinctione, absoluatur. Quarè, sic moniti, proprium Magistri consilium, in hac distinctione, dicimus esse, Dubitationes circa processionem vnius personæ ab alia, quantùm ad processionis terminum in concreto significatum, contingentes, pœnitus remouere. Quòd est quærere, siué determinare, quid nam intelligatur produci, cum dicitur Deus generat Deum: quæ dubitatio indè potissimum surgit, quòd in vltimis verbis distinctionis tertiæ, dictum est, quòd in sanctissima Trinitate, vnus est Deus Pater; qui solus essentialiter, de seipso filiũ vnum genuit; & vnus filius, qui de vno patre solus essentialiter est natus; & vnus Spiritus Sanctus, qui solus essentialiter à patre, filioq; procedit. Propositum autem exequitur Magister, rem primò catholicè determinando; deinde eandem magis confirmã do. Et sic exorditur. *Hic quæritur quæstio satis necessaria.* Ex quo infertur eam non esse simpliciter necessariam, sed tamen valdè vtilem, inquantum nos, qui Theologiam profitemur, & veritatem tueri, & hæreticis respondere tenemur: Statimq; assertionem veram apponit, & inquit, Constat, & irrefragabiliter verum est, quòd Deus Pater genuit Deum filium, licet enim hoc, necessaria ratione probari, nòn possit; tamen sacra scriptura docet, & Ecclesia sancta tenet. Vt cum dicitur, ego hodie genui te, idest, in die æternitatis generando, naturamq; communicando, produxi: similiter cum dicitur. Ex vtero ante luciferum genui te. patet, quòd in diuinis est generans, & genitus. Nam hoc Prophetæ dictum, de generatione Salomonis, intelligi nõ potuit; eo quòd Salomon longo post tempore genitus fuit, hoc est, post luciferum, idest, post Angelorum creationem. At Esaiæ testimonium Cap. *66.* omnino est irrefragabile, quia authoritate, & ratione videtur procedere cum inquit, Ego, qui alijs generationem tribuo, sterilis ero? quasi oppositum, nec suspicari possit. Et certè si (vt patet per Aristotelem quarto Meteororum Cap. 19.) vnumquodq; tunc est perfectum, quando potest generare alterũ tale, quale est ipsum, generatio, à Deo summè

mè perfecto, remouere non poterit. Et ideo verè dicitur à Magiſtro, Deum Patrem genuiſſe Deum Filium. Et ſi dicatis, quòd conſtat generationem eſſe in diuinis, per ea, quæ dicta ſunt: ſed non conſtat generationem eſſe Dei Patris, & Dei Filij. Reſpondetur, hoc, per ſimbolum Apoſtolorum, per illud Nicenum, & per illud Athanaſij, manifeſtum eſſe. Aduerſarius tamen veritatem impugnare non deſinit, & inquit. In diuinis non eſt niſi eſſentia, relatio, & ſuppoſitum ex vtraq; conſtitutum; ſed eſſentia non generat, nec generatur (vt ſequenti diſtinctione monſtratur) relatio etiam non poteſt eſſe principium, aut terminus generationis (vt patet 7. Phyſicorum Tex. Com. 17.) igitur neq; ex vtraq; conſtitutum generare, aut generari poterit. quia omne, quod conuenit conſtituto, vel conuenit ei ratione vtriuſq; conſtituentium; vel ratione alterius tantùm. Præterea addit. Quando aliquid inuenitur perfectum, & imperfectum in Creaturis, ſi vt perfectum eſt, in Deo non reperitur, nec vt imperfectum debet reperiri: ſed generatio, vt eſt perfecta, quæ eſt per ſeminis effuſionem, in mixtione maris, & fœminæ, in Deo non reperitur: ergo nec imperfecta reperietur. quæ eſt ſine ſeminis effuſione, vt in plantis. ergo nulla pœnitus erit in diuinis generatio. Verùm pro veritate quid Aduerſario reſpondeamus non deeſt. Ideo ad Priorem rationem dicimus, quod ſicut ſecundùm Philoſophum 7. met. nec materia generatur per ſe. nec forma, ſed compoſitum ex vtroq;, ſic in diuinis, nec eſſentia generatur, nec relatio, ſed ex vtraq; conſtitutum. cui quod conuenit, licèt conueniat ratione alterius conſtituentis, non tamen opportet quod eo modo, quo conuenit conſtituto, conſtituenti conueniat: ſiquidem, quòd conuenit conſtituto, in ratione quod, conſtituenti conuenit in ratione quo. & ſic eſt in propoſito, quia ſicut Pater eſt illud, quòd generat, & eſſentia diuina eſt principiũ quo, generat; ſic filius eſt ſuppoſitum quòd generatur, & eſſentia eſt illud, quo filius generatur. cum ipſa Eſſentia ſit formalis terminus generationis. Et quamuis in nobis, generatio paſsiuè ſumpta, dicat imperfectionem, quia eſt quoddam pati, de prædicamento paſsionis: in diuinis tamen, non minoris perfectionis eſt generatio paſsiua in filio, quàm generatio actiua in Patre: quia ſicut generare eſt proprietas Patris, ſic generari eſt proprietas Filij. & cum huiuſmodi ſine motu ſit, & ſine tranſmutatione;

non oportet quod generatur, quandoq; non esse. quia ibi non est aliud generari, & generatum esse. Nec etiam ob id, conceditur in diuinis prædicamentum passionis; quia sicut ibi quantitas, & qualitas transeunt in substantiam, sic actio, & passio, in relationem transeunt: siuè in modum relatiuum. Pro solutione verò alterius rationis, sciendum est, quòd nullus modus processionis in Creaturis, diuinam generationem perfectè repræsentat. Sed ex multis oportet colligere similitudinem, omnes imperfectiones semper remouendo, quæ aut ex parte materiæ, aut ex parte formæ, genitum, vel generantem consequuntur. Siquidē, in solo Deo potest esse generatio, sine imperfectione mutationis, & diuisionis. ergo huiusmodi nec Angelis, nec animæ rationali, nec cœlis conuenit. Quare ipsi Deo propriè conuenit generatio: quæ communicatio, vel productio, communiter dici debet; vt significemus omnes imperfectiones, quæ generationem humanam consequuntur, à diuina generatione remoueri debere: Illa namq; (vt diximus) perfecta est, & est æterna, & naturalis; naturalis quidem, non solùm, quia natura communicatur, sed etiam ratione modi; quia pater in diuinis seipsum intelligens generat filium: & quia illa notitia non potest esse accidens, ideo est substantia, ideo est filius: quoniam verò ab illa intellectione deficere nō potest, ideo æterna est diuina generatio. Magister ergo iurè optimò dicere potuit, irrefragabiliter verum esse, quòd Deus pater genuit Deum filium. Sed remanent soluendæ hæreticorum cauillationes; quarum prima est huiusmodi. Si Deus generat Deum, vt dicimus; ergo (inquiunt) vel generat se Deum, vel alium Deum; probatur consequentia, quia idem, & diuersum sufficienter diuidunt ens. Sed non potest affirmari prima pars, quia idem generaret seipsum: & secunda pars concedi non debet; quia tunc sequeretur, quòd non esset tantùm vnus Deus (vt supra catholicè credendum esse cum Magistro asserebamus.) Igitur nec Deus, Deum generare poterit. Ad quam argumentationē respondet ipse Magister per interemptionē, hoc est, negando vtrunq;, & dicendo, quòd istæ propositiones, Deus generat se Deum, vel aliū Deum; nō debent vllo pacto concedi. Quod debetis intelligere de illis absolutè prolatis; quoniā expositæ, in aliquo sensu cōceduntur; vt patet ex solutione secūdæ cauillationis, ac in vltima particula huius dist. vt insequēti videbimus.

LECTIO

LECTIO DECIMAOCTAVA.

SEd adhuc opponunt garruli ratiocinatores. &c. B. Proposita quæstione satis necessaria, àc veritate determinata, quòd.s. Deus Pater genuit filium; hæreticorum cauillis, in calce præcedentis lectionis, duce Magistro, respondere cepimus: sed quoniam premissa argumentatio, adhuc vim facere videtur; eademq; doctrina, qua, cætera hic consideranda, resoluitur; eam diligentius repeto; vt simul etiam, rectius percipiatur, tota hæc cauillosa distinctio. Primò autem animaduerto, quòd, huius distinctionis Prior pars, duas habet particulas: in prima namq;, principali respondet quæsito: & in altera cuidam difficultati consequenti, satisfacit. Et quoniam principale, duplici via, ab hæreticis impugnabatur; hinc est, quòd à Magistro, in alijs duabus particulis, diuisum fuit. In quarum prima talis afferebatur hæreticorum cauillus. Si Deus genuit Deum. igitur genuit, vel se Deum, vel alium Deum: sed neutrum consequentis, est concedendum (vt præterita lectione deducebamus) ergo nec antecedens. In altera particula aliud eorum habetur argumentum. Si Deus genuit Deum, sequitur quòd vel genuerit Deum, qui est Deus Pater, vel genuerit Deum, qui non est Deus Pater; quia de quolibet vera est affirmatio vel negatio; sed Deum, qui est Deus Pater gignere non potuit, quia seipsum genuisset: & Deum, qui non est Deus Pater, gignere non licuit; quia plures essent Dij: ergo verum, iam à nobis receptum, quòd.s. Deus Deum genuerit, falsum erit? Absit. quandò apertè legit, & canit sancta Mater Ecclesia, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Vnde iam cum Magistro ad primam rationem dicebamus, quòd Deus, nec se Deum, nec alium Deum genuit: non se propter distinctionem, necessariò requisitam, inter gignens, & genitum: non alium Deum, propter vnitatem diuinæ naturæ: quæ principaliter intelligitur, in hoc termino, Deus. Sed tantùm, Deus, Deum generat, quia Deus Pater generat Deum filium. Modò contra hanc responsionem aliqui adhuc acutè, argutèq; sic instant. Si hæc propositio conceditur, Deus generat Deum, quia vera est de persona Patris; ergo & ista, Deus non generat Deum, concedenda erit, pro persona filij. Imò, quia

contradictoria non possunt absolutè concedi, vt Deus generat Deum, & Deus non generat Deum; difficultatem sic augent. Hæc dicta propositio, Deus generat Deum, est falsa pro persona filij. ergo absolutè est neganda. consequentia probatur, quia iste terminus, Deus, quantùm est de se, æquè benè supponit pro filio, sicut pro patre. nisi apponatur aliquid restringēs, vel coarctans illum, ad determinatam personam. Sed, in proposito, nihil est ibi huiusmodi, nisi tale dicatur, illud verbum, generat, vel genuit; quod esse non posse, docet nos regula logicalis; quæ habet, quòd nihil positum à parte prędicati restringit, vel coarctat subiectum: igitur dicta propositio, Deus, Deum generat; non erit concedenda. Vel si concedatur, satisfaciendum est rationi, & dicendum, quarè non sequitur, quòd Deus, qui Deum generat, se Deum, aut alium Deum generet. vt omnino probare videtur, secundus hæreticorum cauillus. Quibus omnibus, vt facilè satisfaciamus, pauca quædam, diligenter obseruanda, propono. Et primùm, quòd in explicatione huius altissimi misterij, quòd est, de sanctissima personarum Trinitate, in vnitate Essentiæ; tùm quòd hæretici multa impiè, àc peruersè affirmarūt; tùm quia nos, tanquàm pauperes, vti cogimur verbis alienis, idest verbis non proprijs. sed communibus; quibus vtimur in nostro modo loquendi; qui sæpe sæpius audienti, vel legenti difficultatem facit non mediocrē: Propositiones æquiuocę, & quæ plures sensus habent, vt in proposito ista, Deus generat alium Deum. nullo pacto recipi debent, nisi statim accedat recta eorum expositio, & intelligentia. Secundò notandum est, quòd terminus habens multitudinem suppositorum, sine distributione acceptus, pro illo supponit, pro quo reddit locutionem veram. vt cum dicitur, homo currens, vera est locutio pro currente, si aliquis sit currens. Amplius sciendum, quòd termino habenti formam, non multiplicabilem; non differt præponere, & postponere negationem. Vnde non differt dicere, Petrus non currit, & non Petrus currit. Quartò datur hæc regula, quòd semper relatiuum refert antecedens, sub eodem modo supponendi, sub quo antecedens præcessit; nisi faciat relationem simplicem. Vltimò (vt quibus nominibus vti nobis liceat, ex parte intelligamus) nō est ignorandum, quòd cum ex nominibus apud Logicum, àc Philosophum, aliqua sint substantiua, & aliqua adiectiua; atq; ex substantiuis,

stantiuis, aliqua sint abstracta, & aliqua concreta: apud Theologos, qui hoc eodem modo loquendi, vti coguntur; essentia,& Deus, vt substantiua se habent: alius, & alter vt adiectiua: hoc nomen, Deus, vt concretum: & Essentia vt abstractum. quibus accedunt aliqua alia nomina, quæ medio modo, inter abstracta, & concreta se habent; vt sapientia, bonitas, & huiusmodi. quæ regulam seruant, nominum substantialiũ concretorum. Et quoniam nomina abstracta imponũtur forma a forma, vt albedo imponitur à forma albedinis; vndè puram naturam, & formam significant, nullo pacto connotando subiectum; & nomina concreta, imponuntur à forma, sed supposito, & non formæ; vt album imponitur à forma albedinis, non formæ, sed supposito; vt alicui rei albæ; Quamobrem, non significant puram formam, sed formam in subiecto; quia album significat subiectum album, vel habens albedinem: Hinc est quod dum loquimur de generatione æterna, quæ operationem, ad suppositum spectantem, dicere videtur; nominibus essentialibus concretis vtimur. Ideóq; conceditur ista, Deus genuit Deum. siquidem iste terminus, Deus, cùm sit concretus; & si à forma essentiali, idest, à Deitate ortum habeat, personæ tamen, sine supposito imponitur: sicut album, ab albedine, rei albæ imponi dicebamus: & ideo supponit, & reddit locutionem veram pro persona, non pro forma qua ratione, hæc (in sequenti distinctione) negabitur, Essentia generat essentiã. De nominibus autem adiectiuis,& potissimùm de isto, alius, alia, aliud; sciendũ est, quòd non semper, secundum vnamquamq; vocem, idem significat: vnde hęc non conceditur, Deus Pater est aliud à filio: quia Essentia non multiplicatur. in voce masculina personam dicit, & suppositum: & ideo hæc est vera, Deus Pater est alius à filio, quia realiter personaliter distinguuntur. In voce verò fœminina, notionem dicit, & non suppositũ, nec essentiam; vndè non reperitur absolutè positum, sed semper cum alio nomine coniunctum: & tunc si cum nomine exprimente essentiam coniungitur; non conceditur in sermone de generatione æterna: sed benè cõceditur coniunctum cum nomine, exprimente personam, vel suppositum: quia verum est quòd Deus genuit aliam personam,& suppositum. His autem perceptis, ad ea, quæ superius opposita sunt, accedo. Et primùm, ad argumentationem, contra solutionem primi cauilli hęreticorum, Responsionem

ſionem dicimus eſſe manifeſtam; ex eo, quod ſecundo loco, adnotauimus: quia ſcilicet, ille terminus, Deus, non reſtringitur, aut coarctatur ab aliquo, ſed tantùm pro illo ſtat, pro quo eſt locutio vera. vndè cùm dicitur, Deus generat Deum, terminus ille, Deus, ſupponit pro perſona Patris. Neq; oppoſita propoſitio ſcilicet, Deus non generat Deum, poteſt eſſe vera, pro perſona filij; vt patet ex tertiò adnotatis; Cum enim iſte terminus, Deus, formam dicat, non multiplicabilem; & ob id, non differat ei præponere, & poſtponere negationem: ſicut negatio præ poſita, totaliter à ſubiecto, remouet prædicatum; vt dicendo, Non Deus generat. quia generationem remouet, à quolibet ſup poſito; cum illi propoſitioni æquiualeat, Nullus Deus genuit: ſic etiam, & poſtpoſita, prædicatum omnino remouebit: ergo in negatiua propoſitione, non poteſt eſſe locutio vera, pro filio; quamuis in affirmatiua ſit veritas, pro Patre. Ad illud verò, quod quærebatur, quarè non valeat hæc illatio, à Magiſtro negata, Deus Deum genuit, ergo vel ſe, vel alium Deum genuit. Reſpō detur quia non eſt ſufficiens diuiſio; nàm prætermiſſo, quòd ſe generare nō poteſt, quia nihil ſeipſum gignit; hoc nomen, Deus, quod ſubſtantiale eſt, & concretum, pro ipſa eſſentia, aliquando poteſt accipi; & tunc remanet, quòd ſuppoſitum, vel perſona poſsit generari, ſicut verè generatur, & non eſſentia. Quo quidem modo, etiam hæc argumentatio peccat, Deus genuit alium: ergo vel alium Deum, vel alium, non Deum. Non enim eſt con tradictio, niſi accipiatur negatio reſpectu totius prędicati; in quo duo dicuntur, quod ſcilicet, Deus Deum, & quod alium in Deita te, genuerit. Similiter, hæc non valet, eſt Deus, & eſt alius, ergo eſt Deus alius. imò eſt fallacia à ſimpliciter à ſecundum quid; ſicut in iſta, eſt bonus, & eſt citharedus, ergo eſt bonus citharedus. Tunc, ad ſecundum cauillum optimè reſpondet Magiſter per ea, quæ, ſupra, quarto loco adnotabantur; cùm enim relatiuum, omninò habeat ſuppoſitionem antecedentis; quando dicitur, Vel genuit Deum, qui eſt, vel non eſt, Deus pater. quo niam ille terminus, Deum, in prædicato: ſupponit pro Deo ge nito; relatiuum, qui, refert pro illo: & ità ſenſus eſt, Deus genuit Deum, qui Deus genitus, eſt Pater, vel non eſt Pater. & hæc negatiua eſt vera. Nec licet inferre ergo Deus non eſt Pater; quia mutatur ſuppoſitio, & committitur fallacia dictionis à ſe-

cundum

cundum quid ad simpliciter. Vndè dicit Magister, quòd huiusmodi propositiones debent exponi; quia Deus filius, est ille idē Deus, qui est Deus Pater, sed non est eadem persona, quæ pater. Cuius doctrinam edocti, non erit incōueniens concedere, quòd Deus, alium Deum genuit; cum hac intelligentia, quod aliam personam, in eadem deitate, genuisse intelligamus. àc itidem quod Deus se Deum generat: exponendo ibi, se, in casu ablatiuo; quia tunc sensus est, quòd Deus, se solo, genuit Deum filium. Verùm semper est obseruandum, nè aliquandò absolutè aliqua propositio concedatur, quæ tantùm exposita permittitur: nè cum hæreticis, aliquo pacto conuenire, videamur: qui profectò velint nolint, concedant oportet, quòd Pater, Filius, & Spiritus Sanctus est vnus Deus. quemadmodum è conuerso conceditur, quòd vnus Deus, siuè vna diuina Essentia est tres personæ. vt in secūda particula primæ partis, pluribus authoritatibus ostēdit Magister. Qui tandem in calce præsentis distinctionis præmissam veritatem confirmando, quòd scilicet, Deus genuit filium: D. Augustini dictum, quod iam determinata, videbatur infirmare, exponit: simulq; eius dicti, quòd est, Deum nec se, nec alium Deum genuisse, intelligentiam aperit. Cum enim habet D. Augustinus, quòd Deus, alterum se genuit; inquit Magister sic intelligi debere, quòd Deus alterum, idest, alteram personam, genuit; quę est se, idest, idem in natura cum ipso. per quod intelligimus, quod Deus, se genuit, quatenus genuit filium, qui realiter est vnum cum ipso, idemq; Deus. & genuit alium Deum: inquantum filius, alius est à Patre; & personaliter ab eo distinguitur.



DISTIN-

DISTINCTIO QVINTA.

Contra hęreticorũ cauillos, oſtẽdit quod nomina ſignificantia eſſentiam in abſtracto, non ſunt, diuinę generationis
- Terminus.
  - Ratione
    - Quia eſſentia relatiuè diceretur ad Patrem. A.
    - Quia Pater generaret ſeipſum. B.
    - Quia Pater generaret id quo ipſe eſt. C.
  - Solutione obiectionum. D.
- Principium.
  - Ratione. E.
  - Reſpõſione
    - Reſpectu Eſſentiæ, ad authoritates
      - Auguſtini. F.
      - Hilarij
        - Adducẽdo. G.
        - Soluendo. H.
    - Reſpectu perſonæ ſecũdæ
      - Proponendo. I.
      - Exponendo. K.
      - Confirmando. L.
      - Inferendo. M.

LECTIO DECIMANONA.

P*Oſt hæc quęritur vtrum concedendum ſit quòd Pater genuit diuinam Eſſentiam. &c.* A. Cùm hæretici; in Eccleſia Sancta Dei, nullo modo ſuſtinendi ſint, aut tollerandi; nè tanquam vetus fermentum, totam maſſam, Eccleſiamq; corrumpant: Quid mirum quòd ſententiarum Magiſter, veritatem prius expoſitam, de ſanctiſsimo Trinitatis miſterio, contra hæreticos, hoc in loco defendat? id enim tanquam principale ſibi propoſuit: vt ſcilicet, clipeis Dauiticæ turris, ignitisq; ſagittis, hoc eſt, ſacræ ſcripturæ authoritatibus, Apoſtolorum dictis, prophetarum oraculis, & ſanctorum Patrum teſtimonijs; contra errores carnalium, & animalium hominum, fidem noſtram muniret, ſiuè munitam oſtenderet. Optimè igitur quòd præcedenti diſtinctione facere cæpit, nunc proſequitur: ſed cùm hoc diſcrimine, quòd in illa, errores confutauit, loquentium de diuina generatione, ſecundùm terminos eſſentiales in concreto; & in hac, idem facit, ſecundùm terminos eſſentiales in abſtracto: eaq;

eaq; talis est difficultas, An Deus Pater genuerit essentiam; vel potius essentia genuerit filium; vel tertiò essentia genuerit essentiam; vel tandem, ipsa essentia non generet, nec generetur. Quę dicta ad duo capita reducuntur: in quibus diuiditur tota hęc pręsens distinctio; videlicet, An diuina Essentia in generatione possit se habere tanquam terminus à quo, vel tanquam terminus ad quem. idest, An possit generare, vel generari. Nàm primò quęritur, An possit esse terminus generationis diuinæ: Secundò, An eiusdem, possit esse principium. Qua quidem in re, absq; dubio, non esset modò laborandum, nisi hæretici, peruersa intentione, veritatem extorquendo; vim fecissent in verbis. quoniam cùm omnia, quæ sunt in diuina Essentia, omninò sint vnum, ac identificentur (sicut aquæ omnium fluminum, quę intrant mare, statim sapiunt naturam maris, & cùm ipso identificantur) facilè concessissent, concederentq; catholici, quòd essentia generat, & generatur: ea tamen intelligentia, qua nunc dicuntur esse loquuti, qui hoc affirmasse videntur. Quæ doctrina à nobis fortè non esset animaduersa: Vnde etiam de hoc, Deo gratias debemus agere imortales: quoniam ille, qui ex quolibet malo, elicit aliquod bonum, sic, voluptatem ex sacris literis, fecit nobis degustare incredibilem. hęretici enim, vt habet Diuus Augustinus in libro primo contra Manicheos cap. primo & tom. primo, omninò à somno excitarunt fideles, feceruntq; vt diuinas scripturas (quæ dulciora sunt super mel & fauum) diligentius, & accuratius fuerint intuiti; quamuis, praua eorum intentio esset, fidem corrumpere. propter quòd, non solum ab Ecclesia, per excommunicationem separari; sed etiam per mortem, à mundo excludi, funditusq; deleri, maximè merent. Quarè nè cum illis conueniamus, ad rem accedentes, cùm Magistro apertè dicimus, quòd diuina Essentia non generat, nec generatur. Et hæc est integra resolutio, atq; conclusio huius totius disputationis. In cuius prima parte, quæ hac lectione tractabitur, Magister diuinam Essentiam generari non posse, primùm tribus rationibus demonstrat; mox aduersariorum oppositionibus satisfacit. In probatione autem, ea supponit, quæ à nobis supradicta sunt; videlicet, quòd ex nominibus, quædam sunt quasi concretiuam, quædam abstractiua, & quædam medio modo se habentia: & tunc diuinam Essentiam se accipere dicit, pro diuina natura; quæ communis est tri-

bus perſonis; & tota ſingulis communicatur: quamuis diuerſimodè; quia Patri, qui à nullo eſt; communicatur per innaſcibilitatem. filio, per generationem. & Spiritui Sancto, per proceſſionem, ſiuè ſpirationem (ſecundum noſtrum modum loquēdi) paſsiuam. Præterea, cùm inquit Magiſter, hanc quæſtionem ſe determinare, ſecundùm catholicos tractatores; ſciendū eſt quòd Abbas Ioachim, qui tempore Magiſtri floruit, libellum quendam edidit, contra doctrinam ipſius Magiſtri, circa miſterium Trinitatis: in quo arguebat ipſum, quòd poneret quaternitatem: eumq; hæreticum, ac inſanum appellabat: eo quòd, hoc in loco, dixiſſet, Trinitatem ſummam quandam rem eſſe, quæ nec eſt generans, nec genita, nec procedens. ponit enim Magiſter in diuinis, perſonam generantem, genitam, & ſpiratam, & rem, quæ nec generat, nec generatur ergò (dicebat Abbas) ponit quatuor res, quatuorq; perſonas in diuinis. ſed hic libellus, ad manus tandem Pontificis, illius temporis, qui fuit Eugenius tertius deuenit; qui, authoritate ſua, doctrinam Magiſtri recipiendam eſſe, determinauit: & illam Abbatis Ioacchini relinquendam; quę poſtea, in ſequenti Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio tertio celebrato, anno ſalutis 1215. omninò damnata fuit. Magiſter ergo, ſecundùm Catholicos tractatores, determinat primò diuinam Eſſentiam, nullo pacto poſſe generari: quòd ſic demonſtrat, Omne quod generatur, reſpectum, & relationē dicit ad illum, à quo generatur: ſed Eſſentia diuina eſt quid abſolutum, nec relatiuè dicitur, aut pro relatiuo poteſt accipi; quia quòd relatiuè dicitur, non indicat ſubſtantiam: ergo diuina Eſſentia, nullo pacto generari poteſt. Præterea, ipſe Magiſter, Diui Auguſtini authoritate, ad aliud incommodum deducit, aſſerentes naturam eſſe genitam. ad hoc videlicet, quòd idem generaret ſeipſum: nàm, inquit, Pater eſt diuina Eſſentia: ergo, ſi Pater diuinam Eſſentiam genuit, ſeipſum genuiſſe dicemus. quòd non ſolùm abſurdum, ſed, & impoſsibile eſſe, præteritis diebus docebamus. Tertiò, ad idem ſic arguit Magiſter; Pater, Pater & Deus eſt, per diuinam Eſſentiam; Ergo ſi genuit diuinam Eſſentiam, genuit id per quòd ipſe eſt. quod non eſt minus impoſsibile, quàm quòd aliqua res ſeipſam generet: Quemadmodum (vt addit Magiſter) eadem ratione, à D. Auguſtino probabatur, quòd Pater non eſt ſapiens, ſapientia genita; quia videlicet, cùm idem ſit ei ſapere, & eſſe

& esse; si per illam sapientiam, quàm genuit, esset sapiens; per il lud, aut ab illo haberet esse, quòd ipsemet genuit. Quòd cùm stare non posit, sequitur quòd Pater non sit sapiens sapientia ge nita: & similiter quòd essentiam suam generare nõ potuerit, nec posit. Verùm, sic opponit aduersarius, Pater (D. Augustini te stimonio) generando verbum, genuit id quod ipse est: sed iam dictum est, quòd Pater est diuina Essentia, ergo Pater diuinam Essentiam genuit. Ad quòd facilè respondet Magister, dictum D. Augustini sic exponendo, Pater genuit id quòd ipsę est, hoc est, Pater genuit filium, qui est illud, quòd Pater est: quia scilicet, eiusdem est essentiæ, siuè eandem habet essentiam, cùm Patre. Vndè conceditur filium esse illud, quòd est Pater; quoniam illud in voce neutra (vt dicebamus) essentiam significat, quę vna est trium personarum: sed non cõceditur, quòd filius sit ille, qui est Pater: quia, ille, in voce masculina personam significat; quę alia est à persona Patris. Igitur patet quòd diuina Essentia nec genita est; nec generari potuit. In sequenti probabitur, quod generare non potest.

LECTIO VIGESIMA.

I*Ta etiam non est dicendum quòd diuina Essentia genuit filium. &c.* E. Naturam diuinam nõ esse genitam, in huius distinctionis Priori particula, catholicè conclusum fuit. In hac autem secunda, eandem generare non posse, probandum aggredimur. Magister enim, postquam in æterna personarum processione, diuinam Essentiam, tanquam terminum se habere non posse, probauit; In hac reliqua distinctionis parte, eandem Essentiam, diuinæ processionis principium quod, esse non posse, demonstrat. Idq; primum ratione, deinde, argumentorum solutione: primumq; respectu essentiæ, deindè respectu personæ, concludit. Ratio autem, qua diuinam Essentiam non generare, probat; sic formatur, Si diuina essentia generaret, vel filium, vel essentiam generaret: sed vtrumq; est inconueniens, ac imposibile; ergo similiter & antecedens. minor propositio, ex eo est manifesta, quòd filius in diuinis, est diuina essentia; vnde essentia, seipsam generaret, si filium gigneret, aut essentiam. Quòd ab intellectu, vel fingi non valet. ergo diuina essentia, diuinæ generationis non est prin

cipium. Argumenta verò, quæ contra hanc veritatem (vt magis elucescat) afferuntur, ex D. Augustino, & ex D. Hilario sunt accepta; & primùm quòd diuina essentia, essentiam generet, D. Augustini authoritate, quæ in Ecclesia plurimùm valet, hunc in modum probatur. Habet D. Augustinus libro septimo de Trinitate, cap. primo, quod pater, & filius, simul sunt vna sapientia: quia vna essentia: sapientiaq; de sapientia, sicut essentia de essentia; ergo essentia generat, vel alio modo producit essentiam: sicut significatur, sapientiam producere sapientiam, in eo quòd dicitur, sapientia de sapientia. Secundò idem D. Augustinus, in libro de fide, vbi docet Petrum, quid credere debeat de ipso Christo, inquit, Deum verum crede, vt diuinitatem eius, de natura Patris, natam esse, nõ dubites. igitur erit nata, & genita ipsa diuina essentia. Tertiò in 15. libro de Trinitate cap. 20. habet idem Augustinus, quod filius est consilium de consilio, & voluntas de voluntate; quia scilicet voluntate gignitur (vt sequenti distinctione distinctè videbimus) & quod pluris est, maioremq; facit difficultatem, dicit quòd filius est substantia de substátia. ergo substantia, genita est à substantia: ergo substantia generat, siuè producit substantiam. Hæ sunt D. Augnstini authoritates, diuinam essentiam generare affirmantes: quibus accedunt dicta Hilarij, quæ certè valdè augent difficultatem propositam, eo quòd clarius, & apertius essentiam generare, ac generari fatentur. Nàm in eius quarto libro de Trinitate, scribit quod filius non habet nisi natum. ex quo, cùm essentiam habeat, necessariò sequitur, essentiam esse natam, & genitam. Præterea, in eodem tractatu libro quinto, dicit, quod natiuitas Dei, idest filius, aliunde quàm de Deo non subsistit. quod etiam libro vndecimo apertius confirmat, dicendo quod ex innascibili Deo, Natiuitas vnigeniti, in naturam vnigenitam subsistit. Cùm ergo hi duo grauissimi Patres, naturam diuinam, & genitam, & genuisse dicant, quì nec genuisse, nec genitam esse poterit tueri? Horum enim, aliorumq; sanctorum Patrum authoritates, quibus totum Trinitatis misterium, explicatũ habemus, negari nullo pacto possunt. & tamen veritas est (vt cùm Magistro diximus, & Innocentius tertius, contra Abbatem Ioachinum confirmauit) quòd essentia non generat nec generatur; quando etiam in diuinis, verum est, quod actiones sunt suppositorum. Gaudete in domino (Iuuenes)

nes) eo quod regulam habemus ex Hilario, à Magiſtro, hoc in loco, acceptam; qua, non ſolùm præmiſſa, ſed etiam omnia, quę aliquando in ſacra ſcriptura, ſiuè inter catholicos ſcriptores pugnantia viderentur, facillimè diſſoluentur, dilucida fient, enucheatéq; intelligentur. & hęc eſt quòd INTELLIGENTIA dictorum, ex cauſis eſt aſſumenda dicendi. præceptum quidem literis aureis commendandum, memoriaq; ſempiterna cuſtodiendum: ſiquidem non res vocibus, aut nominibus; ſed voces, & nomina, rebus ſubijci, ſupponiq; debent: quoniam, non ab eo quod ſic dicitur eſſe, res ita ſe habet; ſed ab eo, quod res eſt, vel nõ eſt, illud quod dicitur, An verum ſit cognoſcimus. Vt igitur dictæ authoritates intelligantur, videndum eſt, quidnam in illis ſibi voluerint, D. Auguſtinus, & D. Hilarius: inquirenda (inquam) eſt cauſa, quarè ſic loquuti fuerint, & ad quodnàm propoſitum. Vbi ſciatis velim, quòd omnium ſanctorum Patrum, ſemper conſuetudo fuit, ita ab hæreticis diſcedere, vt ne dum cùm illis conueniendi, ſuſpicione carerent; ſed etiam omninò oppoſitum viderentur ſentire. Quamobrem D. Pau. contra Iudeos, qui proprijs viribus, nimium confidebant; ſolam fidem iuſtificare aſſeruit: quamuis ex oppoſito, ac ſine contradictione, alibi dixiſſet, fidem ſine operibus mortuam eſſe: diuerſis enim loquebatur, ac diuerſa de cauſa. ſicut etiam D. Auguſtinus, cum hæreticis, vel potius, contra hæreticos loquendo, qui liberum negabant arbitrium, illud adeò commendauit, vt gratiam de medio tollere, omninò videretur: cuius oppoſitum fecit, contra eos, qui Dei gratiam, ad opus meritorium requiri negabant. Ex quibus conſtat veritas regulæ allatæ. quòd ſcilicet intelligẽtia dictorum ex cauſis dicendi ſemper ſumi debet. Quæ nàm ergo fuit cauſa, ob quam Auguſtinus, & Hilarius ſic loquuti fuerunt, vt viſi ſint concedere, diuinam eſſentiam generare, & generari? Dicimus illam fuiſſe, vt omninò contradicerent illis hæreticis, qui filium Dei, puram creaturam aſſerebant. vnde ſic quodammodo ſunt argumentati, Tantùm abeſt quòd filius Dei, pura ſit creatura; quòd potius ſit natus de eſſentia Patris, & nihil habeat, niſi quod natum eſt, de eſſentia Patris; & non ſit aliud quàm ipſa diuina eſſentia. Quarè, ex illorum dictis, veritatem, ſolummodo debetis animaduertere, & intelligere; modum autem dicendi minimè, ideo hanc ex illis dictis accipiatis

veritatem,

veritatem, quod tota essentia Patris communicata est filio. non autem, quod filius genitus sit, ab ipsa substantia Patris. Et cum dicitur quòd filius est de natura Patris; not. quod, natura, eo in loco potest dupliciter accipi; vno modo adiectiuè, alio modo substantiuè; hoc est, vno modo accipitur, pro proprietate suppositi; alio modo pro ipsa essentia: vnde, si accipiatur in illo dicto, natura, pro proprietate suppositi, intelligitur quòd essentia, quam habet filius est illi communicata à Patre: & si ibi, natura, dicit essentiam; intelligitur quòd filius habet eandem essentiam, quàm habet Pater. iuxta quam distinctionem possunt solui, & declarari omnes authoritates, & omnium dicta. vndè non valet, filius est de essentia Patris, ergo essentia generat, vel generatur. quoniam, argumentum transit de natura suppositi, ad naturam communem, quæ dicitur essentia: ideo sensus est, natura Patris, idest, ipse Pater, generat naturam filij, idest, filius generatur. Quamobrem istæ propositiones sic glosantur, filius est essentia, idest, habet communicatam essentiam. essentia est de essentia, idest, filius habet essentiam, & est de essentia, quia illi communicata est. Natus est filius de natura propria Patris, idest, de persona Patris. & filius non habet nisi natum; idest, non habet aliud, quàm quod nascendo accepit. sic soluuntur dictæ instantiæ. Sed quarè essentia, non potest supponere pro persona, sicut supponit hoc nomen Deus; ita vt dicatur, essentia generat, sicut dicitur quòd Deus generat? Sciatis, quòd causam huiusmodi, affert Scotus, quia scilicet, in hac propositione, essentia generat. subiectum, videlicet, essentia, est nomen vltimata abstractione abstractum; prædicatum verò videlicet, generat, quia est verbũ, non potest prædicari nisi formaliter: modò ipse habet regulam talem, Quãdocunq; est subiectum, vltimata abstractione abstractum, & prædicatum, ex ratione sua, non potest prædicari nisi formaliter; non potest propositio esse vera, nisi sit per se, primo modo. est ratio ergo immediata, quarè non posit dici essentia generat, quia illa propositio, non est vera per se primo modo: si quidem, prædicatum non est de per se intellectu subiecti, ex eo quòd relatio, non est intra conceptum absoluti. Deus verò, quia non est abstractum vltimata abstractione, potest supponere pro persona vt cùm dicitur, Deus creat, vel Deus generat &c. similiter sapientia potest dici nata, quia potest stare pro supposito;
quoniam

quoniam non est quid abstractum vltimata abstractione : licet enim sapientia abstrahatur à sapiente, quòd est operans, tamen adhuc significat potentiam operatiuam, vel principium operatiuum. Vltimo hoc accipiatis, quòd non valet, essentia est Pater, ergo essentia generat. & ratio est, quia quando propria passio non potest prædicari, prędicatione eiusdem rationis, qua prædicatur subiectum; non potest ex subiecto inferri propria passio. licet ergo Pater prædicetur de essentia, nõ tamen propria passio Patris, quæ est, generare, potest prædicari de essentia; quia prędicatio, quæ est inter Patrem, & essentiam, est identica, non formalis : quo quidem modo, non potest prædicari passio, quæ est generare quia verbum non prædicatur, nisi formaliter. sicut & participia, & nomina adiectiua. & hæc pro intelligentia huius partis.

LECTIO VIGESIMA PRIMA.

D*Icitur quoq;, & frequẽter in scriptura legitur Patrem de sua substantia genuisse filium. &c.* I. Hęc est secunda particula, alterius principalis partis : in qua, propositum erat Magistri, ostendere; quòd diuina essentia, in diuina generatione, principiũ producens, esse non poterat. Cùm enim oppositum probaretur, respectu diuinæ essentiæ, & respectu consubstantialis filij: postquam in Priori particula, aduersariorum rationibus satisfaciendo, diuinam essentiam, seipsam, aut aliam diuinam essentiam, generare non posse, mõstrauit; In hac secunda, & postrema, quòd eadem diuina essentia nullam personam in diuinis producat, & præsertim filiũ non generet; vt ab aduersarijs obiiciebatur, obiectionibus respondendo, catholicè persuadet. Distinctè autem, ac ordinatè (vt solet) procedit; prius proponẽdo rationes oppositas, quæ ab authoritate ducuntur, quando ad huiusmodi, nulla potest erigi sensata demonstratio : præterea, exponendo obiecta, confirmando propositum, & tandem veritatem catholicam inferendo. Rationes oppositæ sunt huiusmodi, Vna est natura, & substantia, siuè essentia Patris, Filij, & Spiritus Sancti : sed filius est natus de natura, & substãtia Patris : igitur à diuina essẽtia est genitus, ergo diuina essẽntia genuit filium. minor propositio ex D. Augustino, apertè colligitur; ipse namq; in libro de fide, ad

de, ad Petrum cap. ſecundo ita ſcribit, Pater Deus, de nullo genitus Deo, ſed de ſua natura, ſine initio genuit filium Deum, ſibi æqualem. ſimiliter in libro 15. de Trinitate cap. 19. circa finem, dicit, Chriſtum eſſe filium ſubſtantiæ Patris, & de ſubſtantia Patris genitum. ergo patet quòd diuina eſſentia genuit filiũ. Prӕterea ipſemet Auguſtinus in libro tertio contra Maximinum hæreticum, tomo quarto cap. 14. ſic argumentatur, Aeternus Dei filius, aut de aliqua ſubſtantia eſt natus, aut de nulla: non de nulla; quia tunc eſſet de nihilo, quod vos non cõceditis: ergo natus erit de aliqua ſubſtantia; & tunc, ſi eſſet natus de alia ſubſtantia à Patre, non eſſet ipſius Dei Patris, verus filius: quod nè dicamus, ſequitur filium eſſe de vera ſubſtantia Patris. & ſic Dei ſubſtantiam, genuiſſe filium. & hoc ei ominò opponitur, quòd dicebamus, diuinam eſſentiam non generare. Verùm licet hæ rationes, ipſum Magiſtrũ vehementer mouerent; vt in hoc alios audire mallet, quàm ipſe aliquid tradere: eius tamen ſancta doctrina, facilè ſoluuntur: imò ex iam acceptis in ſuperiori lectione, inueniuntur ſolutӕ. Siquidem, eadem intelligentia, qua ſuperius, eſſentiam de eſſentia dici, docebat; omnia nunc oppoſita, hìc exponit. & cùm D. Auguſtino, inquit, ea ratione dici filium eſſe de ſubſtantia Patris, quia eſt à Patre genitus, & cùm eo eſt eiuſdem ſubſtantiæ: vt cùm dicitur Natura coӕterna de Deo eſt; ideſt, filius coæternus Patri, de Patre eſt: ita quod eſt eadem cùm eo natura, vel eiuſdem naturæ. Et ſimiliter, confirmando oſtẽdit, non eſſe dicendum, perſonas eſſe ex eſſentia, vel de eſſentia; niſi in ſenſu prædicto: dicendo ſemper, Pater genuit id, quod ipſe eſt. ideſt, genuit filium, qui eſt hoc quod Pater. & ſubſtantia Dei genuit filium, qui eſt eadem ſubſtantia, & eiuſdẽ ſubſtantiæ. Ex quo (vt infert) optimè ſequitur, quòd ſolus vnigenitus Dei, dicitur natura filius; quia videlicet eiuſdem naturæ eſt. & eadem natura eſt cùm Patre. quòd autem hæc ita ſe habeant. & talis fuerit D. Auguſtini, aliorumq; doctorum intentio, ex vſu regulæ Hilarij ſuperiori lectione allatæ, rectè proſpicitur. Cùm enim hæretici, & potiſsimum Arriani, malè, ac impiè de filio Dei ſentirent; eſſerẽtes quod ad Patrem relatus, erat mendacium, licet ad homines comparatus, eſſet veritas: & quod ideo minimè adorandus erat cùm Patre. coacti fuerunt Eccleſiæ Patres, non ſolùm veritatem ſimpliciter aſſerere, dicendo quòd Dei

Dei filius, eſſet conſubſtantialis Patri: ſed etiam quòd eſſet ſubſtantia de ſubſtãtia,& omninò de natura Patris. vt ſic etiam,eius oſtenderent originem; & quòd de nihilo eſſet factus, pœnitus excluderent. Vnde quòd ſic locuti fuerint, omnis admiratio ceſſat. Verùm hinc oritur ſcrupulus, & difficultas inter Theologos,An ſcilicet,filius ſit de ſubſtantia Patris,ſicut de materia,vel quaſi de materia, vel vt nullo modo de materia. Nàm cùm conceſſum ſit,filium eſſe de ſubſtantia Patris; hoc poteſt intelligi dupliciter, primò quòd ſit de hypoſtaſi Patris, ideſt à Patre; & hoc veriſsimum eſt: ſecundo modo quòd ſit de hypoſtaſi, quia ſcilicet ſit de Patre,tanquam de materia; & hęc intelligentia (ne diú vos detineam) tantùm abeſt à veritate, vt et etiam falſiſsimus ſit error. nàm perſona,eſt indiuidua ſubſtãtia,intellectualis; ſi ergo indiuidua, non poteſt multiplicari: præterea ibi nulla eſt materia, ergo falſa eſt iſta opinio. Propter hęc, dixerunt aliqui alij, diuinam eſſentiam eſſe formam,quæ perfectionem dicit;ſed addebant, eam non eſſe eandem in Patre, & filio, & Spirituſancto: Vnde fuit hæc ſententia condennata Pariſijs; vt patet in calce libri ſententiarum. Ideo fuit alia opinio, & potiſsimùm Enrici Gandauenſis, quòd diuina eſſentia, non eſſet quidem materia,vt dicebat prima poſitio,ſed tantùm quaſi materia. nàm dicebat,in qualibet generatione, conſideramus materiam, quæ eſt vehiculum formæ; ſecundò formam,quæ eſt eius perfectio; tertiò ex illis reſultans compoſitum. Vndè ſicut in natura, ſic etiam in diuinis, ſecundùm noſtrum modum intelligendi,conſideramus eſſentiam, tanquam materiam;relationes tanquàm formam;& perſonam tanquàm compoſitum. Quæ poſitio certè videbitur poſſe defendi, quia animaduertit ſe loqui,ſecundùm noſtrum modũ intelligendi, & remouere omnem imperfectionem; dicendo eſſentiam diuinam, non abſolutè eſſe materiam; ſed quod ſe habet tanquam materia, & quaſi materia; videlicèt loco materiei. Scotus tamen diſtinct. 5. p. ſentent. q.2. & in reportatis circa 5. diſt. q. 2. Enricum redarguit, eo quòd materia ſemper ſecum ferat imperfectionem aliquam, & quia videremur ponere compoſitionem in diuinis, & ſequeretur quòd diuina perſona eſſet compoſita. propter quæ, ſententia hæc ab alijs communiter recepta, vt à nobis facilè tueri poſsit, ſciendum eſt, quòd hæc propoſitio,de,multipliciter accipitur; aliquando enim ſignificat ma

teriam, vt cùm dicitur ſcamnum de ligno: aliquando ſignificat originem, vt radius de ſole: aliquando ordinem, vt dies eſt de nocte, ideſt, poſt noctem: aliquando ſignificat ſubſtantiam, vel terminum formalem, productionis; ſicut in generatione vniuoca, genitum eſt de eadem natura cùm generante; & aliquando etiam dicit ſubſtantiam, & originem ſimul, vt filius eſt de Patre; ideſt, de ſubſtantia Patris, & originatur à Patre. & hoc vltimo modo accipitur, in propoſito, cùm dicitur, filius eſt de ſubſtantia Patris: nàm ibi propoſitio, de, non dicit tantùm originem, quia tunc, & creaturæ dicerentur de eſſentia Patris; quando ab ipſo habeant originem: nec etiam dicit tantùm ſubſtantiam, & eſſentiam, ſiuè conſubſtantialitatem; quia tunc vera eſſet conuerſa, videlicet Pater eſt de ſubſtantia filij: ſed notatur ſimul originatio, & conſubſtantialitas, ita vt in iſta propoſitione, filius eſt de ſubſtantia Patris, ibi, de, denotet conſubſtantialitatem; ſic quòd filius habet eandem ſubſtantiam, cùm Patre; & ſimul notet principium originans: quòd potiſsimum oſtenditur, per illud, quòd ponitur in genitiuo, ſcilicet, Patris; non enim dicitur abſolutè, filius eſt de ſubſtantia; ſed de ſubſtantia Patris. Vnde totalis intellectus huius ſermonis, filius eſt de ſubſtantia Patris. eſt iſte; filius eſt originatus à Patre, vt conſubſtantialis ei. & ita exponit Magiſter, de Patris ſubſtantia, ideſt de Patre, qui eſt eadẽ ſubſtantia. vbi cùm dicitur de Patris, ſignificatur orginatio; cùm dicitur ſubſtantia, ſignificatur conſubſtantialitas. Quarè remanet quod filius in diuinis, non eſt de ſubſtãtia Patris, ſicut de materia, aut quaſi materia; & patet difficultas propoſita. & etiam tota quinta diſtinctio.

DISTINCTIO SEXTA.

Confutantur Eunomiani Hęretici quantum ad generationis modum
- Veritatem determinando. A.
- Argumento reſpondendo. B.
- Propoſitum explicando. C.

LECTIO VIGESIMASECVNDA.

PRæterea quæri ſolet, *Vtrum Pater genuerit filium voluntate, an neceſſitate. &c.* A. Quoniam munus eſt docentis, non ſolùm veritatem aperire; ſed etiam tueri; ſiuè ipſam ſe ſola ab omni falſitate, defenſam, oſtendere: Hinc eſt, quòd, veritate habita de vnitate Dei, in Trinitate perſonarum, eaq; aliquibus ſimilitudinibus expreſſa; alteram eius partem, in quarta diſtinctione, aggreſſus fuit ipſe Magiſter. Verùm quia ab aduerſarijs, & hæreticis, ex triplici parte, vniuerſaliter impugnabatur; hoc eſt, quantùm ad generationis diuinæ ſubiectum, ſiue terminum; quantùm ad illius generationis modum: & quantùm ad eiuſdem principium: non mirum ſi adhuc, errores, ac hæreſes pœnitus extirpando, in eodem perſeuerat. Cùm enim ſolùm primo capiti, hucuſq; ſatisfecerit; dum de diuinę generationis termino, in concreto, & in abſtracto, diſputauit; reſtat vt quantùm ad alia duo veritatem defendat eandem. ex quo ſequitur neceſſitas duarum ſequentium diſtinctionum. Proindè in hac, de modo quo filius à Patre procedit; & in ſequenti, de principio, quo producitur tractatur. Tres autem habet partes præſens diſtinctio; quoniam perquirendo, An per modum voluntatis, vel natura, ſiuè per modum neceſsitatis, filius ſit genitus, Primùm, quęſtionem proponit ac determinat: deindè dubitationem remouet: vltimò determinationis intelligentiam aperit. Hìc ergò quæritur, An Deus Pater, ſuppoſito quòd filium generet (vt ſuperius accepimus) eum genuerit voluntate, vel neceſsitate, vel natura. & hæc diſputatio ab hæreticis occaſionem ſumit; & potiſsimùm ab Eunomio. qui licèt ab Arrio diſceſſerit in eo quòd filium, nullam cùm Patre ſimilitudinem habere, dixerit; in alium tamen, non leuem errorem, incidit; dicendo quòd voluntas diuina eſt principium productiuum filij: & quòd voluntariè, quaſiq; contingenter eſt genitus. ſic autem argumentabatur Deus Pater generat; ergò vel voluntariè generat, vel neceſſariò: non neceſſariò, quia diuina voluntas cogi non poteſt: ergò liberè. ergo filius genitus eſt voluntate. Vel ſic, Deus Pater generat; igitur vel generat volens, vel nolens: non ſecundum; quia in eo eſſet miſeria. igitur volens generat. igitur filius, voluntatis erit filius

& non naturæ; vt communiter aſſerimus. Hic erat cauillus Eunomij, & ſeguacium, quo credebant fideles inter ſaxum & ſacrum (vt dicitur) deducere. Et certè Catholici, qui tunc temporis, logica non multum callebant, difficile reſpondebant: vndè, laudatur in litera à Magiſtro, quidam, qui per aliud inconueniens, difficultatem prædictam ſoluebat: quamuis fortè ex induſtria hoc fecit; vt ſcilicèt, oſtenderet cauillum adductum nullius eſſe valoris, ex eo quòd ſimiliter poſſet concludi, Deum voluntate, & non natura, Deum eſse: quia Deus eſt volens, & non præter eius voluntatem, quaſi coactus. Verùm ipſe Magiſter, alijq; Eccleſiæ Patres, nè cùm aliquo hæreticorum conuenirent, nullam dicti problematis partem concedebant: quamquam hoc rectè fieri poſset, quoniã illud problema non eſt contradictoriũ; vt eſset quęrẽdo An Deus Pater genuerit volens, aut non volẽs. Sed tunc ſic opponebantur. In diuinis idem eſt natura, & voluntas; quia non eſt aliud, Deo eſse; & aliud velle; ergo ſi conceditis ò catholici, quòd Deus, natura ſit Deus; & Dei filius, natura filius; quid quòd Deum, voluntate Deum; & filium Dei voluntate filium Dei eſse, negatis? quibus facilè reſpondet Magiſter, dicendo quòd ratio negationis conſequentiæ eſt, quia diuina natura, & eius voluntas, ratione, ſiuè connotato differunt: quamuis re ſint idem. idq; huiuſmodi declarat exemplo. Idem eſt in Deo ſcientia Dei, & eius voluntas: quia ſunt ipſamet diuina natura, ſiuè eſsentia; nec eſt aliud Deo ſcire, & velle, quàm eſse; & tamen non omne, quod dicitur de ſcientia, de voluntate conceditur: quoniam Dei ſcientia, de bonis eſt, & de malis; voluntas verò, & prædeſtinatio tantùm de bonis. igitur, ſicut Deus, non omnia, ſua voluntate vult, quæ ſua ſcientia nouit; quamuis vnũ, & idem ſit eius ſcientia, & voluntas: ſic licèt vnum ſit Dei natura, & eius volu tas; Patrem tamen, filium genuiſse natura, & non voluntate, Deumq; eſse natura, & non voluntate; rectè dicere poſsumus. Igitur reſtat quòd, ſicut Deus, nec voluntate, nec neceſsitate; ſiuè nec volens, nec nolens eſt Deus; ſic non neceſſitate, neq; voluntate; ſiuè non volens, nec nolens, filium genuerit. Quod quidem dictum, vltimo loco exponens ipſe Magiſter, inquit intelligendum eſſe de voluntate præcedente, vel accedente; de qua intelligebant aduerſarij, inferentes Deum eſse mutabilem: quippe qui, & Deus eſt, & genuit abſque huiuſmodi voluntate;

luntate : non tamen sine voluntate omninò . Vndè sicut potens, bonus , & sapiens genuit ; sic etiam & volens genuisse conceditur : atq; ea necessitate , qua ipse necesse est . Et hæc est Magistri doctrina, & determinatio . Ad cuius maiorem euidentiam, diligenter notanda est distinctio necessitatis, & voluntatis . Albertus Magnus, ex duplici genere causę, necessarium accipi docet : videlicèt ex causis externis,& ex internis : & cùm causæ externæ sint agens. & finis; internæ verò materia, & forma; necessarium ex parte causæ agentis, necessarium coactionis , vel violentiæ appellat : & necessarium ex parte finis, necessarium dicit sine quo non , vel suppositionis . Necessarium verò , quod sumitur à materia , vt cùm dicitur quòd homo necessariò est interitui obnoxius ; necessitas potest dici naturalis ; sicut & illa quæ subitur ex parte formæ ; vt cùm dicitur quòd homo est scientiæ capax . & tunc inquit Albertus, quòd in Deo non potest esse ne cessitas ex parte materiæ : quia Deus materiam non habet. neq; etiam ex parte formæ ; quia hoc in naturalibus dicit compositio nem . Patet autem quòd necessitas, quæ sumitur ex causis extrin secis, in Deo esse non potest ; quia ipse superiorem causam,quę ipsum cogere possit, non habet : & cum sit summum bonum, ve rèq; finis,media non indiget ad consequendum finem . Quamobrem sequitur , quòd iuxta hanc diuisionem , nulla sit necessitas in Deo . Veruntamèn,conceditur ab alijs, & Theologis,& Phi losophis , eam necessitatem in Deo esse , quæ sumitur ex parte formæ : quod , cùm intelligant secundùm quandam proportionem,& non propriè;ab Alberto non negatur: imò apertè docet, Deum Patrem, huiusmodi necessitate, quam vocat immutabilitatis , filium generasse . Quod itidem D. Bonauentura confirmauit, dùm inquit, Deum necessariò generare,necessitate ineuitabilitatis . à quibus non longè discessit Doctor subtilis , cùm dixit Patrem generare necessitate requisitæ perfectionis : quoniam huiusmodi requisita perfectio, re, idem est, quod apud Al bertum immutabilitas, & apud. D. Bonauenturam, ineuitabilitas . Quarè, propositæ difficultatis, partem tuemur negatiuam, loquēdo de necessitate ex causis externis accepta; atq; etiam de ea, quæ sumitur ex parte materiæ; nec non de illa , quæ formam sequitur, si propriè formam in diuinis intelligamus : cùm quo,al teram partem concedimus , scilicèt , Deum de Deo esse neces-

ſariò, ea neceſsitate qua eſt; quæ ſecundùm quandam proportionẽ ſumitur à forma; & dicitur neceſsitas immutabilitatis, vel ineuitabilitatis, ſiuè perfectionis requiſitæ. Denique voluntatem diſtinguentes, vt quòd Deus Pater voluntate generet, cum Magiſtro, ſimul affirmare, & negare poſsimus; breuiter cùm Scolaſticis animaduertimus, quod alia eſt voluntas antecedens, alia accedens, & alia cõcomitans: voluntas antecedens eſt quæ opus præcedit, accedens eſt quæ ſubſequitur, concomitans eſt quæ ſimul eſt cùm opere. Et tunc cuilibet intelligenti patet; atq; per cõmunem omnium Theologorum conſenſum, eſt manifeſtum, quòd Deus Pater, filium generat voluntate concomitante; non autem antecedente, vel accedente. quod mehercule à nullo, vel Theologię terminos intelligenti, negari poteſt: tùm quòd Deus eſt immutabilis, tùm quia filius Patri eſt coeternus. Ad hæc autem addatis, quòd cùm dicitur, Patrem in diuinis generare filiũ, natura; non eſt intelligendum, quòd natura ſit principium generationis: quia hoc eſset dicere, quòd eſsentia generat. ſed intelligendum eſt, quòd filius per modum naturę producitur, quia Patri omninò ſimilis. Atq; ſciendum quòd cùm generare per modum naturæ, tribus modis poſsit intelligi; nempè, comparando habitudinem virtutis productiuę ad actum producendi; non minus Spiritus Sanctus, quàm filius eſt per modum naturæ: at conſiderando ſuppoſita producentia; filius dicitur eſse per modum naturæ, quia ab vno procedit; & Spiritus Sanctus dicitur per modum voluntatis, quia eſt à duobus: Tertiò verò, conſiderando ordinem productorum, & producentium; filius per modum intellectus produci dicitur; & Spiritus Sanctus per modum voluntatis: ſi quidem primùm eſt cognitio boni, & deinde amor illius. Ex his autem manifeſtè conſtat quomodo verum ſit, & quomodo falſum, Deum generare voluntate, vel neceſsitate, vel natura: quod erat Magiſtri propoſitum in hac diſtinctione. Quarè, hæc annotaſse, ſufficiat.

DISTIN-

DISTINCTIO SEPTIMA.

- Defendit proceſsio Diuinarum perſonarum, quantum ad generationis principium, determinando
  - An filius poſſit generare
    - Appoſitione recta. A.
    - Oppoſitione apparenti
      - Ad partem affirmatiuã. B.
      - Ad partem negatiuam. C.
    - Solutione cõuenienti
      - Inſinuando difficultatẽ. D.
      - Exponendo oppoſita. E.
  - An potentia generandi ſit in filio
    - Recta intelligentia. F.
    - Vberiori doctrina. G.

LECTIO VIGESIMATERTIA.

HIc *ſolet quæri à quibuſdam, Vtrum Pater potuerit, vel voluerit gignere filium.&c.* A. Conſilium Magiſtri in hac diſtinctione, ex prius dictis eſt elicere; propoſitam veritatem, de diſtinctione diuinarum perſonarũ in vnitate eſſentiæ, quantùm ad generationis principium; contra aduerſarios, & hæreticos, defendendam, tuendamq; eſſe. Continuatio verò eiuſmodi eſt, cùm enim dictæ veritatis defenſionem, quantùm ad generationis modum ſuſceperit: dùm Patrem Deum, nec neceſsitate cogente, nec voluntate accedente, filium generare docebat: & primò eandem veritatẽ tutatus fuerit, quantùm ad eiuſdem generationis ſubiectum, ſiuè terminũ: quando Deum Patrem generare filium; Deumq; filium generari à Patre: & rurſus, diuinam eſſentiam non generare, nec generari, demonſtrauit. Sequitur vt tertium caput, quod ab hæreticis ad eiuſdem veritatis deſtructionem impugnabatur, exponendo, defendat. Contextus verò ſeries hæc eſt, quòd anteà reſpondet quærentibus An filius in diuinis poſsit generare: poſtea An generandi potentia ſit in filio, percontantibus, ſatisfacit. nàm poteſt eſſe hoc ſecundum, ſine primo; quia poteſt quis habere po-

tentiam generandi, & deinde nè ad actum generationis veniat, impediri: quia primum continet secundum; ideo illud præponit, vt, si fieri posit, vnica responsione affirmante satisfaciat: vel potius vt aduersarios sensim, pedetentimq; confutet, comprimat, & confundat. Primum itaq; nomine aduersarij, sic proponit, Vtrum Pater potuerit, aut voluerit generare filium? Equidem, quòd non potuerit, siuè noluerit, non est opinandum; quia Pater esset impotens, aut inuidus: imò cùm iam habitum sit, quòd filium genuit, sequeretur, quod saltèm contra suam voluntatem genuisset. & sic, non solùm necessitate imutabilitatis (vt superiori lectioni dicebamus) verùm etiam (quòd cogitare est absurdum) necessitate coactionis filium produxisset. Igitur potuit, & voluit Pater generare filium. Concedimus. Tunc inquit aduersarius, ergo sequitur quòd filius non sit æqualis Patri, & per consequens neq; consubstantialis, vt dicebatis; siquidem ipse filius nec potest, nec vult filium generare; alioquin iam generasset; quia in diuinis non differt esse à posse: vel saltem si potest, & vult generare, generabit aliquando; quia talis potentia debet reduci ad actum, ne sit frustra, & tunc erunt in diuinis duo filij; & non amplius Trinitas. Non.n. filius, Patris pater esse potest; quia ille est ingenitus, & innascibilis: preterquàmquòd fieri nō potest, quod aliquis generet id à quo ipse est. Nec sui potest esse Pater, quia nihil seipsum gignit. Neque tertiò Spiritum Sanctum potuit generare; quia ipse nasci non potuit; sed tantùm spirari. ergo si filius posset generare, non esset amplius Trinitas in diuinis: sed saltem quaternitas. & si non potest, similiter tollitur Trinitas, quia earum aufertur æqualitas; & consequenter consubstātialitas: qua sublata, non esset amplius vnus omnium Dominus; & vnus Princeps: sed tres Domini, & tres Dij. quod omninò falsum, & hæreticum est asserere. Huic difficultati, & si non facilè sit respondere (vt innuit Magister in quarta huius distinctionis particula) ipse tamen rectè, ac apertè satisfacit; & inquit Verum esse quòd filius, nec potest nec vult filium generare. sed statim, falsum esse, addit, quòd ob id, filius non sit æqualis Patri; aut quòd aliqua perfectione essentiali careat: & ratio est (inquit) quoniam posse, aut velle generare filium, non est aliquid posse, aut velle, subiectum diuinæ potentiæ, vel voluntati, qua vna dicuntur potentia, & vna voluntas; sed tantùm est posse generare; quòd

quòd filio non competere, non est inconueniens, cùm sic etiam, nec Patri conueniat generari. Pro cuius solutionis vberiori intelligentia, sciendum est, quòd cùm operationum Dei, aliæ sint ad intra, hoc est, in sinu sanctissimæ Trinitatis, quæ scilicet tres diuinas personas solùm respiciunt; & aliȩ sint operationes ad extra, quæ scilicet ad creaturas habent respectum, & habitudinem; Hæc solùm, sub Dei omnipotentia dicuntur contineri : hoc est, ob huiusmodi solùm operationes externas, dicitur Deus omnipotens. & quia tales, omnibus tribus personis sunt communes, quia ad omnes illas, simul, ac æquè, concurrunt, ideo in potentia dicuntur coęquales, & simul vnus omnipotens. Quarè cùm generare filium in diuinis, earum sit operationum, quæ dicuntur ad intra; hoc posse, non continetur sub illa potentia, qua dicuntur vnus omnipotens. & ideo, non posse generare filium in diuinis, non infert impotentiam, nec inæqualitatem. & ideò optimè dixit Magister quòd posse, aut velle generare filium, non est aliquid posse, vel velle, subiectum potentiæ vel voluntati. Sed quoniam addit quòd huiusmodi posse, est aliqua potentia; & tamen non est posse, aut velle aliquid. adhuc scire vos velim, quòd cùm omne quod est in diuinis, aut essẽtia sit, aut relatio; quicquid conuenit Deo, vel ratione essentiæ, vel ratione relationis sibi conuenit. & tunc (vt nullus non concedit) quod conuenit sibi ratione essentiæ, commune est tribus personis; ac dicitur aliquid. quòd verò illi conuenit ratione relationis, non oportet quòd omnibus tribus personis sit cõmune; nec dicitur quid, aut aliquid sed solùm ad aliquid. ex quo licet vobis inferre, quòd cùm posse generare, Deo competat, ratione relationis; scilicet, ratione Paternitatis; non est necesse, quòd omnibus tribus personis conueniat. Atq; sequitur quòd illa persona, quæ hoc potest, non dicitur posse aliquid, sed solùm ad aliquid. Vndè manifesta sequitur Magistri responsio, ad præmissum argumentum : quòd videlicèt, filius non potest generare, & tamen non est impotens; nec Pater, qui generare potest, aliquid dicitur posse, quòd non possit filius. Verùm huic sententiæ aduersari videtur D. Augustinus, eo quòd scribens contra maximinum, qui Patrem potentiorem filio esse dicebat, eò quòd Pater genuit Deum Creatorem, filius autem, alium non genuit; sic inquit, Absit, vt ideo potentior sit pater filio (sicut putas) quia creatorem genuit Pater; fi-

lius autem non genuit creatorem: neq; enim nō potuit, sed non oportuit, his enim verbis, apertè videtur concedere, quòd filius potuerit generare. quod negatum est à Magistro. Ideò ipsemet respondet D. Augustini dictum, hunc in modum glosando; Non enim non potuit, sed non oportuit. idest, non ex impotentia filij factum est, quòd ipse alium filium non generauerit; sed quia posse generare, non conueniebat proprietati eius, qua est filius, & non Pater. sicut enim non arguit impotentiam in Patre, quòd non possit esse filius; sic è contra, impotentiæ filij ascribi non debet, quòd ipse, Pater esse non possit. Nàm diximus, quòd cùm generare in diuinis, operatio sit ad intra; non oportet quòd omnibus tribus personis conueniat. & cùm ipsam proprietatem, siuè relationem insequatur; patet quòd non est posse aliquid. & quòd sub Dei omnipotentia non includitur. Hanc autem D. Augustini fuisse intentionem ex D. Hilarij regula, superius, distinctione quinta, à nobis recepta, facilè est intelligere: Si enim intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; constat quòd D. Augustinus, contra Maximinum hęreticum disputabat; quem vt conuinceret, potuit quòd negabat asserere; videlicet, filium in diuinis posse generare: cùm hoc, rectam habeat, intelligentiam; scilicet, ex impotentia filij, quod non generet, non procedere. vt optimè expositum est à Magistro. Cùm igitur (vt conclusum est) filius generare non possit; Nunquid saltem, potentiam habeat generandi? hoc quæritur à Magistro in secunda parte distinctionis, & statim affirmatiuè respondet: eo quòd potentia generandi, est idem realiter cùm diuina essentia; quæ tota communicata est filio. sed quia ratione relationis implicitæ, talis potētia alicui personæ fit propria; hęc est huius difficultatis resolutio, videlicet, quòd eadem potentia est in tribus personis; sed modus, quo reducitur ad actum, est diuersus. Nàm, in Patre ista potentia reducitur ad actum, per generationem actiuam: in filio, per generationem passiuam; & in Spiritusancto, per productionem passiuam. Et sicut vna eadéq; potentia est, qua Pater potest generare, & qua filius potest gigni, siuè generari; sic etiam eadem est voluntas, qua Pater vult esse Pater, non filius: & filius vult esse filius, non Pater. & talis est huius distinctionis finis. Verba textus perlegite.

LECTIO

LECTIO VIGESIMAQVARTA.

CIrca septimam distinctionem, quam, præcedenti lectione, ad literam exposuimus; tria potissimum quæruntur à scolasticis: quæ quamuis à nobis, diligenti examine tractari, non debeant;ne diutius quàm par sit in illis immoremur: silẽtio tamen nullo modo sunt inuoluenda. Quamobrem quæ à me breuiter dicentur, à vobis diligenter custodiantur. Est autem omnis hęc disputatio de potentia generandi. videlicèt, An sit in diuinis, & præsertim in patre. An dicat quid, vel ad aliquid. & tertiò An sit in filio. Equidem, de primo dubitandi occasio, inde surgit, quòd omnis potentia, saltèm respectu sui actus, imperfectionem dicit: & solùm videtur se habere, respectu eorum, quæ possibilia sunt: cuiusmodi nihil est eorum, quæ sunt in diuinis. Præterquàm quod talis potentia, in Deo non videtur necessaria;tùm quòd in Angelis,& celestibus corporibus non reperitur: tùm quia aliqua inuenitur natura, quæ non operatur per aliquam potentiam mediam, sed per se ipsam: sicut sol illuminat aerem, & anima viuificat corpus. Vndè, sic argumentantur Scolastici, Omnis potentia, vel est actiua,vel passiua; sed vtraq; est cùm aliqua indignitate; ergo neutra Deo est ascribenda. minor propositio, de potentia passiua est manifesta: de actiua verò, ex eo persuadetur, quòd omnis potentia actiua, per Aristotelem, principium est transmutandi aliud, & in alio pro vt alterum est: & sic supponit materiam; quæ nullo pacto conceditur in diuina generatione. atq; quandam dicit causalitatem,& superioritatem;quæ inter diuinas personas,non reperitur. igitur nec talis actiua potentia erit admittenda. ne simul videamur concedere, quòd filius sit actus, vel factus. quod est contra fidem. At, validius adhuc, dicta potentia destruitur, hunc in modum, Omnis actus (respectu cuius est potentia productiua) eliciendus est, ac per consequens,est distinctus à tali potentia;à qua egreditur, nec manet in ea: sed actus generandi, atq; actus spirandi (quæ enim hìc de potentia generatiua dicuntur, etiam de spiratiua valent) in diuinis, non distinguuntur ab his, quorum sunt; & manent in eis. ergo respectu diuinæ generationis,aut spirationis diuinæ, nulla potentia debet in diuinis reponi. Quibus accedit,

quòd iam dictum est, non posse generare, nullam dicere impotentiam. cùm enim affirmatio, & negatio (ex primo Perihermineias) de eodem sint; si negatio potentiæ generandi, non est negatio potentiæ; nec affirmatio potentiæ generandi, affirmatio erit potentiæ. proindè, generandi potentia, & quæuis alia omnis omninò remouenda venit. Verùm hæc, non quidem conuincere, sed dubitandi solùm (vt dicebamus) occasionem præbere, intelligimus. Quarè ad rem accedentes, potentiam generandi, & eorum omnium, quæ sibi conueniunt, faciendi; in Deo reperiri, ac esse; verè & ex animo concedimus. Et ratio est, quoniam, sicut in rebus inferioribus, cuicumq; attribuitur actio, attribuitur aliquid actionis principium, quòd potentia nominatur; sic & in diuinis: quamuis in Deo, non sit differentia potentiæ, & actionis; sicut in rebus creatis. Igitur generatione in Deo posita (vt superius accepimus) quia Deus est purissimus actus, & natura cuiuslibet actus est, quòd seipsum communicet, quantùm fieri potest, sequitur quòd etiam in eo sit potentia generandi, vel generatiua: eo quòd generatio, per modum actionis significatur. Verum tamen est quod probant rationes oppositæ, & quod maximè notari debet, potentiam in Deo, non esse secundùm quod potentia, propriè à Philosophis accipitur. non enim in Deo est accidens; nec in materia, per quam subsistat, recipitur; neq; ab actu distinguitur: sed pœnitus est sine imperfectione. ideòq; de ea loquẽdo secundùm nostrum modum, quem scilicèt, intellectus noster capit ex rebus inferioribus, ex quibus scientiam sumit; semper accipiendum est quod dicitur: sed non illud quòd consignificatur. vt (per exemplum) cùm dicimus filium generari à Deo, duo dicimus, videlicet. quod Pater, per generationem, essentiam communicat filio; & quòd filius eam recipit, & sic patitur à patre: quod secundum, ex nostro modo loquendi imperfectò, consignificatur; ideò reijciendum est: & recipiendum, ac retinendum primum; per quod (vt patet) importatur potentia generandi. quæ (vt sine imperfectione esse, significaretur ab Alberto magno) dicta est superpotentia, & super actiua potentia: sicut, & ipse Deus, supersubstantia dicitur, quia super excedit, & vincit omnem actiuam potentiam, omnemq; substantiam. Quarè, cùm dicebatur quod potentia in Deo non est reponenda; quia dicit imperfectionem; & quia est

respectu

respectu possibilium. hoc verum esse constat, de potentia quæ differt ab actu; & quæ ad actum, mediante motu, reducitur. atq; similiter patet, quòd cùm omne illud, quod est principium actionis, vt quo agitur; habeat potentiæ rationem; siuè sit essentia, siuè aliquod accidens medium; puta qualitas quædam, inter essentiam, & actionem; potentia in omni agente reperitur. Vnde sol mediante luce, quæ in ipso est, illuminat: & Angeli, cœlestiaq; corpora, non sine potentia operantur; quamuis generare illis non competat; quia generare in creaturis, est cùm aliqua indignitate; eo quòd in illis esse non potest, sine diuisione essentiæ, vel naturæ secundùm esse: cùm natura non sit suum esse. Quòd si anima, per sui essentiam, viuificat corpus, viuificare, licèt per modum actionis dicatur, non tamen est in genere actionis; cùm sit actus primus, magis quàm secundus. Patet etiam quod potentia, quæ in Deo ponitur, nec propriè actiua, nec passiua est: cùm in ipso non sit, nec prædicamentum actionis, nec passionis. imò sua actio, sua est essentia; licèt per modum potentiæ actiuæ significetur. Vndè non oportet quod filius sit actus, vel factus; sicut non oportet quòd propriè sit ibi actio, vel passio: cùm præsertim actio Dei non sit per modum motus; sed per modum operationis, quæ differt à motu (secundum Philosophum in x. ethicoru m c. 4.) sicut perfectum ab imperfecto. propter quod non requirit materiam, in quam agat; sicut necessariò eam requirit actio, quæ est cùm motu. At illud non est manifestum, quod vltimò obijciebatur. quomodo scilicet potentia, in diuinis saluari possit; cum de ratione eius distinguatur ab actu. ideò, sciendum est, quod cùm de ratione potentiæ sit principium; & de ratione principij, distinctio ab eo cuius est principium: rectè potentiam in diuinis ponimus, respectu eorum, quæ secundùm rem, sunt distincta. Vndè, quia Deus à creatura est distinctus; potentiam creatiuam in eo ponimus. & quia vna persona diuina est distincta ab alia; ideò in personis ponimus potentiam, respectu illorum actuum, secundùm quos, personæ procedunt: cuiusmodi est generare, & spirare. quæ quidem potentia, principium est secundùm rem personæ productæ: illius autem actus, qua persona producitur, solùm est principium, secundùm nostrum modũ intelligendi; quo diuina, per creaturas intelligimus. Vnde quia in creaturis, potentia non solùm distinguitur à producto, sed

etiam

etiam ab ipſa productione, diuinam eſſentiam alio conceptu intelligimus vt eſt potentia, & alio vt eſt actio: & ſic alio nomine nominamus. Quamuis, etiam cum Caietano dicere poſſumus, quòd potentia generandi in patre, eſt principium ſecundùm rem generationis; inquantùm ſcilicet ponit genitum. & ratio eſt, quoniam potētia generatiua non eſt productiua, ſiuè elicitiua ipſius generationis; ſed tantùm eſt productiua geniti. nàm quādo actus eſt elicitus, infert potentiā principium illius ſecundùm ſe: Quando verò actus non eſt elicitus, ſed tantùm effectus, ſeù terminus, realiter productus; infert potentiam, principium illius, non ſecundum ſe; ſed ſecundùm ſuum effectum, ſeù terminum. Quòd autem poſtremò addebatur, conceditur, quoniam potentia generādi, non affirmat potentiam, ſed potentiam huiuſmodi; ideſt potentiam, reſpectu talis actus, ſcilicet notionalis. Vnde & Auguſtinus optimè dixit, quòd filius non genuit, non quia non potuit. hoc enim eſſet negatio potentię abſolutę: quam conſtat cōmunem eſſe, toti Trinitati. Eſt igitur in Deo Patre potentia generandi.

LECTIO VIGESIMAQVINTA.

EX tribus quæſitis ſcolaſticis, quæ non erant à nobis ſilentio pœnitus inuoluenda, altero determinato; reliqua duo nunc aggredior; vt hac vna lectione, illa perſtringam. Quæritur ergo illud, quod ſecundo loco propoſitum fuit, An ſcilicèt, potentia generatiua dicatur notionaliter, vel eſſentialiter: hoc eſt, An dicat quid, vel ad aliquid: An videlicèt, ſignificet eſſentiam, vel relationem. Ad quod reſolutè dicimus cùm D. Thoma, quòd potentia generatiua vtrunq; ſignificat; eſſentiam, videlicèt, & notionem. nàm potentia non eſt relatiuum ſecundùm eſſe; ſed tantùm ſecundùm dici. vndè potētia, ſignificat etiam illud, quod eſt principium; & non tantùm relationem principij. ſiquidem, licèt potentiæ conueniat ratio principij; quod eſt in genere relationis; tamen, id quod eſt principium actionis, vel paſsionis, non eſt relatio; ſed aliqua forma abſoluta, videlicèt, eſſentia potentiæ. Quarè potentia, ex parte qua radicatur in eſſentia, eſt quid abſolutum: ex parte autem, qua coniungitur operationi, eſt relatiuum. Vndè, contra id quòd ſcripſit D. Thomas 1. diſtinctione

ctione 7.q. 1. art. 2. habet ipſemet 1. p. q. 41. 5. quòd potentia generandi, diuinam naturam in recto ſignificat: & paternitatem in obliquo. Hæc autem, quæ concluſionis loco dicta ſunt, vt facilius intelligantur, tria animaduerto: Primùm quòd licèt potentia, rationem principij habeat; & principium in diuinis, reſpectu diuinæ perſonæ, notionaliter dicatur; non tamen potentia generandi, notionaliter dicitur: quia hìc potentia importat rationem principij, non abſolutè; ſed rationem principij, reſpectu operationis; quæ notionaliter non dicitur in diuinis: aliàs. voluntas ſcientia, & intellectus, notionaliter dicerentur. modò, in diuinis ſolùm ea, quæ dicunt principium, reſpectu eius, quod eſt operationis terminus, dicuntur notionaliter. nàm principiũ, quod notionaliter dicitur in diuinis, eſt reſpectu perſonæ ſubſiſtentis: operatio autẽ non ſignificatur vt ſubſiſtens: quarè, potentia generandi (vt dixi) complectitur ſubſtantiam, & notionem. neque hoc inconuenit in diuinis: quando relatio eſt realiter ipſa eſſentia. in rebus autem creatis, vnum prædicatum accidit alteri: propter quod, non poteſt ex duobus fieri vnum, niſi per accidens. Secundò, notandum quòd potentia generandi, quæ eſt natura diuina, non oportet diſtingui ab eo, cuius eſt principium; cùm ſit principium quo, & non quod. & licèt generatio ſit propria operatio Patris, inquantùm eſt Pater; non tamen dicendum, quod principium generationis ſit paternitas, quæ ad aliquid dicitur: & non deitas, quæ eſt forma communis: quoniam, in qualibet generatione, principium generationis principale, non eſt aliqua forma indiuidualis, ſed forma quæ pertinet ad naturam ſpeciei. nec oportet quòd genitum ſimiletur generanti, quantùm ad conditiones indiuiduales: ſed quantùm ad naturam ſpeciei. modò, cùm paternitas non ſit in patre, per modũ formæ ſpeciei; ſicut humanitas in homine; quia ſic, in eo eſt diuina natura: ſed ſit in eo (vt ita dicam) ſicut principium indiuiduale; eſt enim proprietas perſonalis: non oportet quod ſit generationis principium principale. alioquin ſequeretur quòd pater, per generationem, non ſolùm deitatem, ſed paternitatem, communicaret: quod eſt inconueniens. Tertiò notãdum, quod licèt paternitas dicatur tantùm ad aliquid, non obſtãte quòd realiter ab eſſentia non differat; tamen potentia generandi, ex eo quod eſt idem cùm natura diuina; cùm relatione ſignificat etiam eſſentiam

essentiam. & ratio est, quia natura diuina includitur in ratione potentiæ generandi; non autem sic in paternitate. Præterea, cum generatio sit naturæ, quæ inquantùm est actionis principium, habet rationem potentiæ; potentia consignificatur cum eo, quod est ad aliquid in diuinis: non autem sic scientia, & voluntas: quia licet principij rationem habeant; non tamen habent rationem principij generationis. Quamobrem, potentiam generandi significare essentiam, ex parte potentiæ; & notionem, ex parte generationis, concludimus: quoniam, potentia generandi quantùm ad rationem principij, significat relationem, & ad aliquid: & quantum ad id, quod est principium, significat essentiam. vndè, cùm D. Thoma dicebamus, potentiam generandi significare diuinam essentiam in recto; & relationem in obliquo. & hæc pro secundo proposito. Tertium verò, quod est, An potentia generandi sit in filio, non paruā similitudinem habet cum illo Philosophico quæsito, quo disputatur, An materia sit in Cœlo, sicut enim aliqui huius problematis, partem concedunt affirmatiuam, dicēdo quòd Cœlum materiam habet; & tamen quod illius materię potentia ad recipiendas infinitas formas, ad actum non reducitur; quia non oportet, & non oportet, quia materia Cœli, est sua forma contenta; eo quod totum eius apetitum implet, & satiat. ita à simili; concedunt aliqui potentiam actiuè generandi, in ipso filio (non enim hìc quæritur An filius possit generari) & addunt, non generare, quia nō oportet; & non oportet, quia non conuenit; eò quòd immoderata esset diuina generatio, si genitus filius nepotem gigneret patri: quando, & eadem ratione, nepos auo suo pronepotem gignere, deberet. Similiter, sicut alij sunt Philosophi, & præclarissimi, qui vel omninò negant materiam esse in Cœlo; in quorum numero est magnus Auerroes. vel eam dicunt alterius rationis, ab ista inferiorum; vt D. Thomas: propter quod, non sequitur Cœlum habere potentiam ad aliam formā, & ob id esse corruptibilem. sic ex Theologis, aliqui absolutè negant potentiam generandi ab ipso filio; & aliqui eam concedunt, distinguentes, & docentes alterius esse rationis, siuè relationis. Qua in re, licèt prima positio, etiam eo exemplo confirmetur, quòd quemadmodum terræ elementum, locum sibi vendicat sub aqua, & tamen magna pars terræ, super aquam manere videtur; eo quod natura non patitur, vt to

ta terra,

ta terra, sub aqua maneat, respectu animalium terrestrium; nec ob id frustra dicitur esse potẽtia terrę, ad esse inferius ipsa aqua: ita similiter non potest dici frustra potentia generandi in filio, licèt non generet; quoniam perfectio diuinæ essentiæ, vlteriorem generationem non requirit: hoc tamen dictum non tuerer; sicut nec primum de materia Cœli; quoniam huius positionis, nulla videtur esse ratio: præter quàm quòd sequeretur (vt optimè arguit Durandus) quòd Deus filius potẽtiam haberet ad id quod inconuenit; quia ad generare, quod sibi non conuenit. Igitur, sicut aliàs vobis exposui, quod vel materia non est in Cœlo; vel est alterius rationis; sic in proposito, potentiam generandi, vel omninò à filio remouemus; vel saltem alterius rationis dicimus esse, à potentia generandi, quæ est in patre. Cuius dicti intelligentia, & doctrina, ex superioris quæsiti determinatione, satis superq; est manifesta. Cum enim generandi potentia, ratione relationis implicitę, propria sit patris; à filio pœnitus negari debet. vel si conceditur, erit alterius relationis; quia non erit generandi potentia, ad generandum actiuè: sed vt possit generari: Erit in filio generandi potentia, quantùm ad id quod dicit in recto; non autem quantùm ad id, quod dicit in obliquo: quantùm ad quid, non quantùm ad modum: quantùm ad potentiam, non quantùm ad generationem: & tandem quantùm ad essentiam, quam dicit; & non quantùm ad notionem, vel relationem, quam importat. Et tamen vna, & eadem erit potentia in patre, & filio: quia sicut eadem essentia, quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio; ita eadem est potentia, qua pater generat, & qua filius generatur. Vnde dicebamus quod filius, eandem habet potentiam, quam Pater; sed cum alia relatione: quia pater habet eam, vt dans; quod significatur cùm dicitur potest generare; filius autem habet eam, vt accipiens; quod significatur, cùm dicitur quòd potest generari. Quod si dicatis aliud est posse gignere, & aliud posse gigni; verum est (inquit Magister) aliam inferendo proprietatem: sed falsum, aliam significando potentiam. Cùm enim dicitur, filius non habet potentiam generandi, quam habet pater; dupliciter potest intelligi: vno modo quod potentia filij, non possit generare; & hoc verum est. alio modo quòd aliquam potentiam habeat pater, quam non habet filius; & hoc est falsum. quia eadem est potentia patris, qua potest esse pater;

& filij, qua potest esse filius. Ex quibus omnibus, illud vnum potestis colligere, quòd videlicèt, potentia generandi, pertinet ad omnipotentiam patris; non autem ad omnipotentiam simpliciter: nàm (vt inquit D. Thomas) ipsa generatio est dei actio, sed prout est patris tantùm: & similiter ipsa potentia generandi, est Dei omnipotentia; sed prout est patris tantùm, nec tamen sequitur quod aliquid possit pater, quòd non possit filius: quoniá, generare non est aliquid, sed ad aliquid. Ideò dicitur quòd aliquid, secundùm vnum respectum, conuenit patri; & secundùm alium conuenit filio: modò ipsa relatio, secundùm rationem sui generis, inquantùm est relatio, non habet quod sit aliquid, sed solùm quod sit ad aliquid: quod verò sit aliquid secundùm rẽ, habet ex illa parte, qua inest; vel vt idem secundùm rem, vt in diuinis: vel vt habens causam in subiecto; sicut in creaturis. licèt ergo vna sit omnipotẽtia patris, & filij; sicut vna essentia: generare tamẽ posse, non pertinet ad omnipotentiã prout est in filio. sicut vna essentia, sub eadem relatione, & secũdùm eundem modũ existendi, nõ est cõmunis tribus personis. Ad hæc, addatis quòd potentia generandi, & potentia creandi vna est, & eadem potentia; si consideretur vt quod est potentia: differunt tamen secundùm diuersos respectus, ad actus diuersos: nàm in potentia, præter id, quòd est ipsa potentia, consideratur respectus quidam, vel ordo, ad id, quòd potentiæ subiacet: vndè, si potentia, quæ est respectu actus essentialis, vt potentia intelligendi, vel creandi, comparetur ad potentiam, quæ est respectu actus notionalis; cuiusmodi est potentia generandi; secundùm id, quod est ipsa potentia, inuenitur vna, & eadem potentia: sicut est vnum, & idem esse naturæ, & personæ: sed tamen vtriq; potentiæ cointelligitur alius, & alius respectus, secundùm diuersos actus, ad quos potentiæ dicuntur. Quarè potentia generandi, & potentia creandi, quantùm ad ipsam (vt ita loquar) potentiæ substantiam, non solùm vniuocantur, sed sunt vnum: Inquantum autem dicuntur analogiè, hoc est, ordine actus; sic non sunt vnum. Ordo enim est in illis potentijs solummodo, prout distinguuntur: Distinguuntur autem (vt dictum est) per respectum ad actus; vndè, potentia generandi dicitur prior potentia creandi; sicut generatio prior est creatione. & hæc sufficiant.

DISTIN-

DISTINCTIO OCTAVA.

Concluditur disputatio de D. essentia, demonstrando eius proprietates, & cōditiones: videlicet.

- Veritatem, eius esse
  - docendo propositum. A.
  - exponendo oppositum. B.
- Incommutabilitatem. ratione, & authoritate. C.
- Simplicitatem
  - propriam
    - quia non conuenit naturæ corporali. D.
    - quia nō competit naturæ spirituali. E.
  - veram
    - quia ipse est suum esse. F.
    - quia in eo nullū est accidens. G.
    - quia non est in prædicamēto substantiæ. H.
  - summam. quia in eo nulla est cōpositio. I.

LECTIO VIGESIMASEXTA.

NVnc de Veritate. siue. &c. A. Si rectè considerentur à vobis, quæ superius commentati fuimus,& quæ modo exponenda succedunt; facilè erit intelligere,quod Magister hoc in loco, aliquas monstrando proprietates, diuinæ essentiæ, ac diuinis personis communes; veritatem prius propositam intelligit concludere. videlicèt, quod Trinitas est vnus & solus verus Deus. Quorsum enim tenderet huius distinctionis tractatio,quę veritatem ipsius esse Dei,eiusdem incommutabilitatem, & semplicitatem ostendit; nisi præmissam conclusionem, quæ ex his proprietatibus consurgit, rectèq; infertur colligere intenderet? & quę nàm alia conuenientior posset afferri ratio, quarè de alijs proprietatibus, vt est immortalitas,inuisibilitas,& huiusmodi hìc nō egisset Magister,nisi quòd hæ non requirebantur,& illæ tres in quibus diuini esse perfectio consistit, satis erant ad propositum concludendum? Accedit quòd cùm dictam conclusioné in distinctione prima proposuis-

ſet; eamq; in diſtinctione ſecunda, & tertia pluribus ſanctorum authoritatibus, multiſq; ſimilitudinibus commonſtraſſet: atq, tertiò in quatuor ſequentibus diſtinctionibus, contra hæreticorum cauillos, eandem (vt iam audiuiſtis) tutatus fuiſſet: Nunc, vt eandem concludendo repeteret, quaſi neceſſariò con ſequebatur. Quod etiam voluiſſe facere ipſe Magiſter, ex eò commodè poteſt intelligi, quia ſtatim ſequenti diſtinctione (vt videbimus) propoſitum aliud aggreditur. Quarè, etiam ex ordine hucuſque ſeruato, quòd Magiſter diſputationem de diuina eſſentia in Trinitate perſonarum concludat, optimè colligimus. & talem eſſe Magiſtri intentionem hoc in loco dicimus. Quam denique in tres partes diſtinguimus; ſecundùm quod de veritate ipſius eſſe Dei, de eius incommutabilitate, eiuſdemq; ſimplicitate, verba facit. Per quæ tria, licèt non diſtinguatur diuina eſſentia à perſonis, quia perſonæ diuinæ idem eſſe habent cùm eſſentia, eodem modo ſunt incommutabiles, & æqualiter ſimplices; à rebus tamen creatis, quæ iſta participant optimè ſecernitur. Modò quantùm ad primum, quod eſt de veritate diuinæ eſſentiæ, Magiſter in duas partes illud diuidit; inquarum prima docet propoſitum, quòd nempè ſolus Deus optimus maximus eſſentiæ veritatem, ſine alicuius non actualitatis admixtione, habet: & in altera, exponit oppoſitum; hoc eſt, quod propoſito videbatur obſtare declarat. Primùm igitur totius diſtinctionis diſputatione propoſita, quòd ſcilicet diuina eſſentia eſt ſummæ veritatis, incommutabilitatis, & ſimplicitatis. Ipſum eſſe, ſolùm de Deo verè prædicari, ratione ab authoritate accepta, ſic oſtendit: Illud quod eſt abſolutè ſubſtantia, propriè & verè dicitur eſſe: ſed ipſe Deus (D. Auguſtini teſtimonio) eſt ipſa ſubſtantia, vel (ſi melius dicitur) eſſentia: igitur de ipſo Deo propriè & verè dicitur eſſe. maior propoſitio probatur in tex. ex eo quod ſubſtantia, & eſſentia ſecundùm ordinem cognitionis noſtræ, dicta eſt ab eſſe; ſicut ab eo quod eſt ſapere dicta eſt ſapientia; & ab eo, quòd eſt ſcire, dicta eſt ſcientia: vnde ſequitur quòd quia Deus à verbo eſſendi, proprium nomen habet, ipſi veriſsimè competit, eſſe. & confirmatur hoc, quia de ipſo dicitur in exodo 3. Ego ſum, qui ſum. & qui eſt, miſit me ad vos. Præterea Diui Hieronimi authoritate, ad idem, hunc in modum arguitur. Illud verè & propriè dicitur eſſentia,

tia, cuius esse nō nouit præteritum, vel futurum: sed solus Deus est, qui exordium non habet, nec finem; quia ipse semper fuit, semperq; erit: igitur solus Deus propriè erit essentia. ideoq; propriè de ipso prædicabitur, esse. atq; ita propriè, vt nostrum esse ad eius diuinum comparatum, comparatione proportionis, vel æquiparantiæ, nihil ferè sit omninò: quia ab eo in infinitum distat. solus igitur Deus verè, & propriè dicitur essentia, & esse: vndè dixit aliquando Hilarius, quòd esse, non est accidens Deo, quia scilicèt de eius est intellectu & quidditate: & quòd esse Dei est subsistens veritas, & manens causa, & naturalis generis proprietas. quarum condictionum oppositæ, quæ sunt non esse per se subsistens, esse causatum, & mutabile, & habere esse differens à quidditate sua, creaturis conueniunt. Sed hìc nascitur dubitatio, quam refert Magister in secundo capite, quia scilicèt dictum est, quòd esse Dei non nouit præteritum, vel futurum. si enim sic res habet, quomodo de Deo dicimus, quòd est, & fuit, & quod erit? & respondet quòd hoc nobis conceditur propter nostrum modum intelligendi, & significandi: hoc est, non quia esse diuinum præterito, vel futuro subiaceat, sed quia sic per diuersa tempora, diuinam æternitatem, & permanentiæ ipsius perpetuitatem, significamus: vndè monemur ne de Deo loquentes dicamus tantùm, fuit, vel erit, vel est: quoniam posset aliquis suspicari vel quod postea non sit futurus, vel quòd antea non fuerit, sed dicamus quòd est, fuit, & erit. vt intelligatur, quia non cœpit, nec desijt, nec desinet esse. Quarè esse Dei, præteritum non nouit, nec futurum; cognitione videlicet experimentali, inquantum successiones temporum in suo esse non potest experiri. quamuis cognitione simplici, & speculatiua, omnia Deo sint manifesta. Et hæc sunt, quæ habentur à Magistro, in prima parte distinctionis huius. Circa quam Scolastici, sub dubio proponunt veritatem iam habitam; An videlicèt, esse, sit proprium nomen Dei. qua in re exponēda, non videntur omninò conuenire: quoniã D. Thomas. & D. Bonauentura dicunt, quòd hoc nomen, esse, est proprium nomen Dei; non tamen ita propriũ, quòd soli Deo conueniat: quoniam tunc nulla alia res haberet esse: sed primò & essentialiter competit Deo; alijs secundariò & per participationē. Alij verò absolutè negant quod propriè cōueniat Deo; quoniam

quoniam alteri ab ipso competit. Durandus optimè respondet ad hanc difficultatem, nàm inquit. Proprium sumitur dupliciter, vno modo vt distinguitur contra commune; quemadmodum dicimus quòd discursus est proprius hominis, sentire autem est commune illi cùm cœteris animantibus. Alio modo accipitur proprium, vt distinguitur contra translatum; sicut dicimus quod homo propriè ridet, pratum verò dùm floret, dicitur ridere per translationem. tunc inquit Durandus si accipimus, proprium, vt distinguitur cōtra commune, hoc nomen, esse, non est proprium rei, quia conuenit alijs ab ipso; sed tamen potest dici appropriatum, quia semper illi compètit; Creaturis autem non semper. At si accipimus proprium, vt distinguitur contra translatum, sic conceditur quòd hoc nomen, est proprium Dei. Dicendum autem etiam cum D. Thoma quòd hoc nomen est primum, & proprium nomen Dei; primum quidem non primitate essentiæ; quoniā diuina natura à priori intelligi nō potest; sed primum per ea, quæ sunt explicata in diuinis literis: per Moisem enim accepimus quòd Deus est ille qui est; quòd verò sit proprium nomen, probatur à D. Thoma quatuor rationibus; quarū prima est, quia Deus est perfectissimus, & nihil est extra diuinum esse, & suum esse est totum simul. secunda ratio est, quia cùm nos propriè, & exactè Deum cognoscere, in via, non valeamus, per hoc nomen, esse, ipsum in enigmate cognoscimus: quoniam, esse, dat nobis cognitionem Dei confusam. Tertia ratio est, quoniam Deus est prima causa & primus motor; cui propriè cōuenit esse. Quarta ratio accipitur ab ipso ex Auicenna, quoniam simplicissimus actus, qualis est Deus, explicatur per esse. Quarè hæc sit huius partis clausula quòd, esse, Deo verissimè conuenit, & est eius proprium nomen.

LECTIO VIGESIMASEPTIMA.

QVia circa primam partem distinctionis octauæ, in qua diximus Magistrum agere de veritate diuinæ essentiæ, multa quærunt Scolastici; nè videamur illos dedignare, & disputata ab illis nihilifacere: illud vnum principaliter examinandum propono, de quo D. Thomas Aureolus, Gotofredus, Henricus, F. Gherardus de Carmelo, & Durādus ad inuicem altercantur; An videlicèt

videlicèt esse & essentia, in solo Deo sint idem. & hoc erit quęrere An aliqua creatura sit suum esse; vel potius esse creaturæ sit accidens, vt visus est innuere ipse Magister, in vltimis verbis primæ particulę, distinctionis expositæ. Verùm quia ea, quæ prius accepimus à Magistro, dùm dicebat quòd de Deo non est dicendum solummodo quòd fuit, velquòd est, vel quòd erit, sed quod semper est, fuit, & erit; Aeternitatis cognitionem maximè requirunt; vnde etiam D. Thomas ob id, in hac particula distinctionis octauæ, de æternitate disputauit; nos cùm illo, hac lectione, determinabimus, de quid est ęternitatis; de differētia, quę inter ęternitatem & tempus intercedit; ac tertiò An Deo, & soli Deo cōueniat. Quantùm ad primũ, dicimus quod definitio æternitatis allata à Boetio, lib. tertio de consolatione scolastica, optima est, conueniēter ergo sic definitur, æternitas est interminabilis vitę, tota simul, & perfecta possessio. nàm dicitur interminabilis, non quia negatio sit de essentia eorum, quæ sunt æterna; sed quia intellectus noster qui primò apprehendit composita; in cognitionem simplicium peruenire non potest, nisi per remotionem compositionis; vnde simplicia consueuerunt per negationem definiri; sicut, Punctus est, cuius pars non est. dicitur deindè potius, vitæ, quàm, esse: quia illud quòd est vere æternum, non solum est ens, sed viuens; & ipsum viuere se extendit quodammodo ad operationem; non autem, esse. Protensio autem durationis videtur attendi secundùm operationem magis, quàm secundùm esse: vndè & tempus est numerus motus. dicitur, tota; non quia habeat partes, sed in quantùm nihil illi deest. dicitur, simul, licèt in æternitate pluraliter dicantur dies, & tempora: sicut.n. Deus, cùm sit incorporeus, nominibus rerum corporalium methaphoricè in scripturis nominatur; sic æternitas tota simul existens, nominibus temporalibus successiuè describitur: perfecta, dicitur, quoniam cùm in tempore duo considerentur, scilicèt ipsum tempus, quòd est successiuum; & nunc temporis quòd est imperfectum; quando dicitur quòd æternitas est tota simul, remouetur successiuum quod est in tempore; quando dicitur quòd est perfecta, excluditur, nunc, idest, imperfectio temporis: Vltimò dicitur quòd est, possessio, ad excludendum deficientiam æternitatis, quòd enim possidetur, firmiter, & quietè habetur. Ex hac, autem definitione, quæ modo exposita est, quatuor debetis colligere,

ligere, Primùm quod æternitas cognoſcenda eſt per tẽpus; quia ſe habet ad ipſum vt ſimplex ad compoſitum. Secundùm quòd ratio æternitatis formaliter (vt dicit Caietanus) conſiſtit in appręhenſione vnitatis eius: ideſt, æternitatis ratio conſiſtit in ratione vniformitatis; vt vniformitas rationem menſuræ habet. Tertium colligatis quòd res omninò immutabilis caret principio & fine; intelligendo de principio, & fine durationis. Vlterius accipiatis quòd dicta definitio eſt optima, quia notificat ęter nitatem ex duobus; ſcilicèt ex proprio menſurato, quòd eſt interminabilis vitæ; & ex propria quidditate, dùm dicitur, tota ſimul exiſtens. Ex his verò commodè poteſt inferri differentia inter tempus, & æternitatem: potiſsimùm enim differunt per eſſe totum ſimul, & non eſſe huiuſmodi: æternitas enim eſt tota ſimul, & in tempore eſt prius & poſterius. & hanc differentiam, quæ per ſe, & primò differentia eſt, aliæ differentiæ conſequuntur. Quarum altera eſt quòd æternitas caret principio & fine; tempus autem habet principium & finem: ſed hæc differẽtia eſt per accidens, quia dato quòd tempus ſemper fuerit, & ſemper futurum ſit, vt ponit Philoſophus; remanet dicta prima differentia; quia ſcilicèt æternitas eſt menſura eſſe permanentis, tempus verò menſura motus: alia differentia eſt, quòd illud ſolùm menſuratur tempore, quod habet principium, & finem in tempore. ex 4. phyſ. tex. 120. vndè ſi motus cœli ſemper duraret, tempus non menſuraret ipſum, ſecundùm totam ſuam durationem; cùm infinitum non ſit mẽſurabile: vnde philoſoficè dicitur quòd tempus non menſurat motum Cœli, ſed menſurat quamlibet circulationem; quæ habet principium, & finem in tempore: alia differentia eſt, quòd tempus habet in ſeipſo principium, & finem in potentia; nàm dato quòd tempus ſemper duraret, tamen poſſibile eſt ſignare in tempore & principium, & finem; accipiendo aliquas partes ipſius. ſicut dicimus principium & finem diei vel anni. quod non contingit in æternitate, & hæc ſufficiant pro intelligentia primi & ſecundi capitis propoſiti. De tertio breuiuiter dicimus quòd Deus eſt maximè æternus, & ſolus æternus: quod probatur à D. Thoma ſic, Deus eſt maximè immutabilis, & ſolus omninò immutabilis; ergo maximè, & ſolus æternus. valet conſequentia, quia æternitas conſequitur immutabilitatem, ſicut tempus conſequitur motum: ergo ſeguitur ex hac concluſione

sione quòd æternitas participatiuè inuenitur in alijs; siquidem immutabilitas participatur, & æternitas consequitur immutabilitatem. Ergo ea, quæ participant immutabilitatem, æternitatem etiam participabunt; ergo inquantum aliqua entia sunt immutabilia, intantum sunt æterna. Participatiuè igitur æternitas inuenitur in multis à Deo; sed Deus non participatiuè, nec denominatiuè, sed essentialiter est æternus. est enim Deus sua æternitas. vndè cum æternitas sit species durationis, erit quoq; Deus sua duratio. quod quidem singulariter est in Deo, & nulli alteri conuenit. & ratio est, quia Deus est suum esse vniforme: & nihil aliud à Deo est suum esse. vt probabitur sequenti lectione. ergo solus est sua duratio, quæ in eo est æternitas. ergo est sua æternitas, sicut etiam sua est essentia. Verùm videatis quòd cùm dicitur rem nullam, esse suam duratioñe; intelligitur de re subsistente; tẽpus enim non distinguitur à sua duratione. dicatis ergo quòd nulla res, quæ est quod est & quod durat, est sua duratio. Nec vobis difficultatem faciat, implicitè dictum esse, quòd æternitas Dei est formaliter duratio; includit enim in se prius & post; non quidem formaliter, sed virtualiter, & eminenter: sicut calor est in sole. vnde æternitas est maior cœteris; & verificatur de ea durare, prius, vel post tempus aliquod: quia in se præhabet illam eminenter. Modò, vt argumenta plurima, quæ contra hæc afferuntur, facilè dissoluere valeatis, Pauca quædã animaduertenda sunt. & primùm quòd duplex est æternitas; videlicèt, imparticipata, & participata. prima idem est quòd Deus: vndè cùm dicitur Deus est æternus, non est in ibi ratio mensuræ, nisi secundùm appræhensionem nostram: ipsiq; Deo attribuuntur verba diuersorum temporum, inquantum eius æternitas omnia includit, & non quòd ipse varietur per præsens, præteritum, & futurum. Secundo autem modo, accepta, est quæ in multis inuenitur: vndè etiam dicũtur multæ æternitates, secundùm quod sunt multi participantes æternitatem; vel ex ipsa Dei contemplatione, vel alio modo. & de hac æternitate intelligitur dictum illud D. Augustini, Deus est actus æternitatis: eo enim modo indicat Deus suam æternitatem aliquibus, quo & suam immutabilitatem. & ante huiusmodi æternitatem dicitur Deum esse; prout participatur à substantijs immaterialibus: & similiter cùm dicitur Deus regnabit in æternum, & vltra. hoc secundo modo ac-

cipitur æternitas. quòd regnabit vltra æternum, quia durat vltra quodcunq; seculum: idest vltra quamcunq; durationem datam; seculum enim nihil est aliud quàm periodus cuiuslibet rei. hac æternitate etiã, dicitur ignis inferni æternus: videlicet propter interminabilitatem tantùm, & non ratione immutabilitatis. est enim in pœnis damnatorũ transmutatio, secundùm illud Iob, Ad nimium calorem transibunt ab aquis niuium. ideò in inferno non est vera æternitas, sed magis tempus. vnde dicitur erit tempus eorum in secula. Amplius, illa, quæ necessaria sunt, vt principia demonstrationis; & omnes propositiones demonstratiuę, dicuntur æterna; quia sunt in intellectu æterno, qui est intellectus diuinus: vndè non sequitur quòd aliquod extra Deum sit æternum. Præterea animaduertatis, quòd dictum illud Boetij, quòd habet in libro 5. de consolatione, Nunc fluens facit tempus, nunc stans æternitatẽ. ita intelligitur, quod sicut punctũ motum dicitur causare lineã, & tamen in nullo genere causę, causat illam in esse: propter quod non est causa lineæ in esse reali, sed tantùm in esse cognito, quia facit cognitionem illius in nobis. ita nunc stans, dicitur causare æternitatem: non in esse reali, sed in esse cognito: quia causat rationem illius in nobis. nàm, sicut impossibile est punctum moueri, & tamen concipimus, & dicimus punctum motum, idest, si moueretur causaret lineam: ita, dato per impossibile, Nunc stare, dicimus quòd nunc stans facit æternitatem, idest si staret constitueret æternitatem. Vltimò notandũ quòd æternitas, & tempus non sunt mensuræ vnius generis. vt patet ex his, quorum sunt mensuræ: & ideò possunt esse simul absq; eo quòd sint idem. Amplius nunc temporis est idem subiecto in toto tempore; sed differens ratione: æternitas autem, manet eadem subiecto, & ratione, & ideò æternitas non est idem, quod nunc temporis. Quamobrem esse rerum corruptibilium, quia est transmutabile, mensuratur tempore, & non æternitate: tempus enim mensurat, non solùm quæ transmutantur actu, sed quæ sunt transmutabilia: vndè non solum mensurat motum, sed etiam quietem, quæ est eius, quòd natum est moueri, & non mouetur. His adnotatis facilè respondetur ad argumenta quæ passim hìc adducuntur.

LECTIO

LECTIO VIGESIMAOCTAVA.

IN superiori lectione, erat nostra principalis intentio, quæsitum illud exponere, de quo, apud multos Theologiæ proceres, est intentio, An videlicèt aliqua creatura sit suum esse. hoc est, An in aliqua creatura esse, & essentia sint idem. verùm quia non rarò euenit, testimonio Aristotelis, quòd primum in intentione, in executione est vltimum; hinc factum est quòd illud, præsenti lectione tractandum, remansit. Occasione ergo à Magistro sententiarum accepta, qui in vltimis verbis, primę partis, distinctionis octauæ, concludebat quod solus Deus propriè dicitur essentia, vel esse; eo quòd esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas, Quærimus An hoc dictum sic debeat intelligi, quòd esse omni creaturæ sit accidens, & nullo modo cùm eorum essentia conuertatur. Pro cuius difficultatis intelligentia, primò notandum est, quòd cùm, esse, tripliciter accipiatur, vno modo, vt dicit essentiam rei, quæ per definitionem explicatur; vndè dicitur quòd definitio explicat quod quid est esse rei definitę: alio modo vt significat veritatem propositionis, quòd quidem esse, subiectiuè est in intellectu, fundamentaliter verò in re ad extra; & tertio modo vt significat actualem existentiam rerum. in hoc tertio sensu loquitur de esse, in proposita difficultate. Essent modò in medium afferendæ contradicentium opiniones; atq; eorum fundamenta ac rationes; vt deinde sententia illa, quam veram existimamus, posita, & confirmata; aliæ omnes sigillatim confutarentur: sed quia hoc, vnica lectione absolui non posset; nec multùm esset vtilitatis; ideò ad rem statim deuenio, & dico quòd veritas illa est (ni fallor) quam professus est D. Thomas. videlicèt quòd nulla creatura est suũ esse, quo subsistit in rerum natnra. quæ sententia probatur hoc pacto. Si esse, esset essentia creaturæ; esse creaturæ esset per se subsistens: sed cõsequens est falsum; ergo & antecedens. probatur falsitas, quia si esse, esset per se subsistens, tunc ipsum esse, esset infinitum; sicut essentia. probatur consequentia, quia omne non cõtractum est infinitum; sed omne esse subsistens est non contractum; ergo omne esse subsistens est infinitum. minor huius rationis probatur, quia esse quòd cotrahitur, vel contrahitur per susceptiuum

in quo recipitur, vel per formales differentias, in quibus diuiditur: sed esse non recipitur in alio, cùm per se subsistat; ergo nec contrahitur per susceptiuum in quo recipiatur: sed nec etiam contrahitur per formales differentias; quia ens, differentias non habet. vt dicit Philosophus 3. met. ergo non est dicendum quod esse, sit idem cùm essentia, nè sequatur quòd esse, sit per se subsistens, & per consequens infinitum. Amplius probatur sic dicta conclusio, Illud non est idem cùm essentia, sub cuius opposito potest verè intelligi non esse; ergo essentia & esse nō sunt idem. Verùm ad hanc rationem respondent aduersarij, & potissimum Gotofredus in quolibetis; & Durandus hoc in loco, qui dicunt quòd esse, non est aliquid additum essentiæ, differens ab ea realiter; neq; secundùm esse absolutum, neq; secundùm respectiuū; sed differt solùm ratione: respondent, inquam, quòd licèt essentia, quæ non est actu, possit intelligi sub non esse actu; non tamen potest intelligi sub non esse in potentia, & sic accipiendo essentiam, & esse vniformiter, semper essentia est esse; quia essentia in actu, est esse in actu; & essentia in potentia, est esse in potentia. sed in confirmationem propositæ conclusionis, contra dictam responsionem sic argumentatur. Impossibile est quòd esse existentię quandoq; sit in actu, & quandoq; in potentia; ergo nulla est responsio, quæ ponit quod esse existentiæ, quandoq; est in potentia. probatur antecedens, eo quòd vnum membrum diuisionis non suscipit prædicationem alterius membri; sicut rationale, nunquàm est irrationale; sed actus & potentia diuidunt ens; ergo actus, nunquàm est potentia: sed esse existentiæ, siuè existere actu, tenet se cum vno illorū membrorum, scilicèt cùm actu; ergo nunquàm est potentia. & confirmatur hæc ratio, primò quia possum verè intelligere essentiam sub non esse actu; sed ipsum esse existentiæ, non possum intelligere sub non esse actualis existentiæ. ergo esse non est essentia. Secundò essentia est in potentia ad esse; sed esse non est in potentia ad esse; cùm nihil sit in potentia ad seipsum; ergo esse non est essentia. Vltimò Nonnè ipse Aristoteles testatur, quod aliud est quod quid est homo, & aliud esse hominis? ergo non temerè statuimus cùm D. Thoma, quòd esse, realiter differt ab essentia. Verùm, vt possitis argumentis in contrarium, facilius respondere, & aliquas etiam opiniones, quæ videntur contrariæ, concordare, notandū est quòd

est quòd esse,& essentia,possunt tribus modis considerari;scilicet,logicè,physicè,& methaphysicè. Primo modo esse & essētia idem sunt in omni ente per se;siue cōposito,siuè simplici;& in solo ente per accidens differunt : vnde in expositione illius dicti quod habet Magister, quòd scilicèt esse,non est accidēs in Deo, notabamus quòd non debebat inferri quòd accidens sit in creaturis, sed tantùm quòd erat extra quidditatem essentiæ. Ratio autem quarè sic logicè sint idem, ea est, quia logicus est artifex rationis considerans naturam, & suppositum abstractè; vt in intellectu habent esse : sine ijs, quæ in re sunt. secundùm quod, natura sumitur pro secunda substantia; & suppositum pro prima. si verò considerentur secundo modo, idest physicè, quia physicus est artifex realis,considerans res,vt sunt extra intellectum in rerum natura; sic, in rebus materialibus differunt essentia & suppositum; siuè essentia,& esse : quandoquidem in re materiali est aliquid constituens suppositum, quod non constituit naturam speciei. siquidem, suppositum constituitur, & indiuiduatur per materiam signatam, quæ non pertinet ad essentiam, nec ad definitionem, quæ essentiam explicat: Principia ergo indiuiduationis,quæ includuntur ab esse, & non ab essentia, faciunt quòd esse,& essentia realiter differunt. quòd tamen non euenit in his, quæ carent materia; siuè creata sint,siuè increata. Tertio autem modo, hoc est, methaphysicè consideratis esse,& essentia,quia metaphysicus abstrahit ab omni materia, sumitur essentia pro ipsa forma totius in abstractò;esse autem,pro re subsistente,cum omni eò quòd est in re. & tunc, quia in omni re, Deo excepto, sunt aliqua præter formam totius, sequitur quòd in Deo, esse,& essentia sint idem; in creaturis verò differant. & hoc intendebat Magister in calce primæ partis huius distinctionis octauæ: dùm dicebat quòd esse non est accidens Deo. Quarè colligatis quòd secundùm triplicem gradum substantiarum in vniuerso, triplex inuenitur differentia inter essentiam,& esse : in substantijs enim materialibus, differt esse ab essentia, secundum rem, & secundùm rationem : & secundùm rem duobus modis, intrinsecè;inquantum, esse, includit principia indiuiduationis, quæ non includuntur ab essentia; vndè in definitione Sortis ponitur materia signata, quæ non ponitur in definitione naturæ : extrinsecè verò, inquantū aliud esse significat existere, quòd non significatur ab

tur ab

tur ab essentia : & amplius differunt tertiò secundùm rationem vt patet. In substantijs verò separatis, differt essentia ab esse duobus vltimis modis : videlicèt, realiter extrinsecè, & secundùm rationem. In Deo verò differunt essentia & esse secundùm rationē tantùm: quia nec natura diuina indiuiduatur per aliquod additum, nec esse suæ actualis existentiæ, distinctum est realiter ab eius essentia. &c.

LECTIO VIGESIMANONA.

DEI *etiam solius essentia incommutabilis dicitur propriè &c.* C. Huius octauæ distinctionis hanc esse secūdam, partem, atq; in ea probari quod solus Deus est omninò immutabilis, non solùm ex dictis à nobis, in exordio huius distinctionis, optimè constat; sed etiam ex lectione cōtextus Magistri, cuilibet vel parum intelligenti, statim fit manifestum. Hoc enim, faciendum, in primis verbis huius partis, non obscurè proponitur; atq; Priorem partem maximè sequitur; quoniam ex veritate Diuini esse, eiusdem incommutabilitas infertur præclarè. imò dicebat Magister, Deus verè est, quia est incommutabilis: in cuius comparatione, quasi non sunt, quæ mutabilia sunt. Quoniam verò mutatio pluribus modis fieri contingit; vno modo secundùm passiones, & passibiles qualitates; ac vniuersaliter secundùm accidentia communia : vt cùm quis, ex albo factus est niger; vel propter verecundiam factus est rubeus. Alio modo secundùm locum; vt cùm quis ex vno loco ad aliū proficiscitur. Præterea secundùm tempus; vt in his quæ tempore mensurantur. & secundùm voluntatem; vt cum quis modò appetit quòd prius nolebat. & secundùm substantiam; vt ea quæ generantur, & corrumpuntur: Magister ad has omnes mutationes, à Deo pœnitus remouendas, plures adducit, & rationes, & sanctorum authoritates. Prima quidem ratio ex D. Augustino sumitur, octauo de Trinit. cap. 2. in principio. vbi dicit quod omnes aliæ substantiæ à Deo, capaces sunt accidentium, in quibus vel magna, vel quantacunq; fit mutatio. & sic potest formari, Omnis substantia, quæ non est capax accidentis, est omninò immutabilis; mutatione saltem accidentali : at solus Deus est substantia, & non capax accidentis: ergo solus omninò est immutabilis, secundùm accidens. Quòd

autem

autem etiam secundùm substantiam sit immutabilis; secunda ratione ita concluditur. Quod habet verissimum esse, semper seruat esse (hoc est) nunquam mutatur secundùm illud esse: sed Deus verissimũ habet esse (vt duabus superioribus lectionibus fuit demonstratum) igitur incommutabilis est Deus secundùm esse. Tertia ratio ducit ad inconueniens quòd scilicet Deus esset mortalis: Nàm sic arguitur, Omne quòd mutatur moritur; igitur, si Deus non esset incommutabilis, mori posset. quo nihil est magis absurdum, nec aliud est maius impossibile. Sed dicetis, Anima nostra nonnè verè est immortalis? igitur & illa erit immutabilis. Respondetur ex D. Augustino, quod duobus modis accipitur immortalitas, videlicèt, simpliciter siuè absolutè, & secundùm quid, siuè quantum ad aliquid. primo modo immortalitas includit omnem immutabilitatem: secundo verò modo eam solùm immutabilitatem includit, quæ attenditur secundùm substantiam: & tunc dicitur quod quia anima nostra hoc secundo modo est immortalis, non sequitur quòd omninò sit incommutabilis, sicut Deus; qui ideò solus immortalitatem habere dicitur, quia eius immortalitas incommutabilitas est, quàm nulla creatura habere potest. Quamobrem vltimò concludit Magister quòd Deus nullo modo mutatur: quia nec per locum, nec per tempus, aut alio modo mouetur. cùm enim Deus sit vbiquè secundùm esse, secundùm operationem, & secundùm præsentiã: ideoq; sit in omnibus, super omnia, infra omnia, & extra omnia; vndè illud poeticum, Iouis omnia plena; non indiget vt moueatur ab vno loco ad alium: & cùm etiam æternitate mensuretur, secundùm tempus mutari non potest. Est igitur Deus omninò, & solus immutabilis. Et confirmatur ex D. Iacobo cap. 1. de ipso Deo dicente, Apud quem non est transmutatio, nec vissitudinis obumbratio. Confirmatur ex ipso Propheta Dauid Psal. 101. Mutabis ea, & mutabuntur; tu autem idem ipse es. Amplius ex Malachia Propheta cap. 3. in persona Dei dicente, Ego Deus, & non mutor. Ex quibus hìc habitis à Magistro, licet multa alia possent afferri; satis superq; volumus esse conclusum, quod solius Dei essentia, tanquam purissimus actus, & perfectissimus, propriè incõmutabilis dicitur. Vndè sequitur quòd omnis creatura potest mutari, vel secundùm esse substantiali; sicut corpora corruptibilia: vel secundùm esse locale tantùm; sicut

cut corpora cœlestia: vel secundùm ordinem ad finem,& applicationem virtutis ad diuersa; sicut Angeli. quibus, illa vna accedit mutatio, omnibus creaturis communis, quòd quamuis secundùm se omninò immutabiles essent; secundùm tamen creantis potentiam, in cuius potestate est esse, & non esse omnium, verè dicuntur mutabiles: quia ab illo mutari possunt,& in nihilum redigi. Verùm quia contra hanc veritatem aliqua adducuntur argumenta,quæ multis negocium facesserent: in hac extrema lectionis parte, aliqua ex illis soluēda propono. Et primùm,Deus antequam conderet mundum,non erat in mundo: præterea,hoc tempore non est in infidelibus; quia Spiritu Dei nō aguntur: sed si baptizentur descendit, & habitat in eis. ergo mutatur Deus, quando incipit esse in ipsis, aut in mundo. Amplius, Deus de non creante fit creans; ergo mutatur ab ocio ad operationem. Tertium argumentum, sophysticè probat quòd creatura esset Deus, hunc in modum, Omne mutabile mutatur in oppositum; igitur si creatura est mutabilis;in immutabili,eius opposito,mutabitur; & tunc erit Deus, quia ipsi tantùm immutabilitas competit. Ad quorum primum respondetur,quòd Deus in hoc,vel in illo loco, nouiter esse dicitur, per mutationem nostri,qui esse incipimus; & non sui,qui est ab æterno. vt cùm quis ab vmbra alicuius opaci nemoris discedens solem experitur, sine aliqua solis mutatione. Dicetis, motis nobis, mouentur omnia quæ sunt in nobis: igitur si Deus est in nobis, saltē per accidens mouebitur,ad motum nostri. Respondetur quòd Aristotelis propositio vera est, de illis rebus,quę sunt in nobis tanquam partes;vel inhærenter velut accidentia: modò Deus non est pars nostri, nec etiam accidens: ideò nō sequitur quòd motis nobis moueatur Deus, qui est in nobis. Ad aliud argumentum dicitur quòd si Deus ageret, actione alia à se, mutaretur: sed ipse actione, & volitione eadem sibi, qua ab æterno voluit res esse pro aliquo tempore, res ipsas produxit: Ideò rectè Durandus dùm inquit, quòd exitus de ocio in actum, & nouitas operationis, ac operati, mutationem in operante nunquam arguit, nisi sit nouitas secundùm operationem intra manentem: illa enim non potest de nouo aduenire absq; qualicunq; mutatione; aliæ verò possunt. vt si sol semper staret, super hemisperio nostro,in eodem situ,& luna aliquando suo motu interponeretur; sol quandoq;,nos non illumi-

illuminaret, nulla facta mutatione in ipso sole. Ad tertium respõdetur quòd mutatio semper est in oppositum; sed non secundùm omnem contradictionem eius quòd mutatur:alioquin nihil symbolum esset,inter id quòd mutatur,& illud in quod mutatur; quòd est falsum: quia tunc non posset Aer mutari in ignem,cùm vterq; sit calidus: nec mutabile posset mutari in aliquod mutabile, cùm conueniant in mutabilitate: quòd est absurdum. sufficit ergo oppositio secundùm ea, quæ sunt per se, & speciales termini mutabilis vt album,nigrum,calidum &c. secundùm condictionem autem subiecti,vt est esse mutabile; vel secundùm generales condictiones terminorum, non oportet, nec est posibile esse oppositum. si enim terminus à quo est qualitas, non oportet quòd terminus ad quem, sit non qualitas; imò necessario est qualitas. esse autem mutabile, est condictio subiecti;& si aliquo modo conuenit termino, conuenit vt generalis condictio, secundùm quam non est posibile attentare oppositum. Ad rationem autem formaliter dici potest quòd esse quod mutatur, mutatur quidem in oppositum; non tamen in omni opposito, sed in determinato: sicut album, in non albo; non certè in omni non albo; sed in determinato, vnde dicitur quòd mutabile mutatur in aliquo, quod vt terminus est immutabile. termini enim sunt immutabiles; ergo non oportet quòd mutetur in Deum. igitur restat vt prius, quod solus Deus est immutabilis. sed adhuc aliud argumentum, quo probatur,quod nulla creatura per se immutabilis, à Deo posit mutari, solutione indiget. nàm sic arguunt aliqui, Angelus vel est ens posibile, vel necessarium; non posibile: ergo necessarium: si necessarium; ergo imposibile non esse; ergo per nullam potentiam potest non esse: quia nulla potentia potest imposibile. ergo quod est per se immutabile, ab alio mutari non potest. Ideò pro responsione notandum quòd necessarium, & posibile, duobus modis accipiuntur, scilicet realiter,& logicè:logicè consistunt in sola habitudine terminorum: Realiter verò, sunt condictiones substantiales rerum, intrinsecę ipsis rebus, vt patet 10. met. tex. vltimo: Aliud est ergo loqui de necessario, & posibili, vt sunt differentiæ reales: & aliud vt sunt differentiæ habitudinis terminorum. quoniam hoc modo abstrahunt à potentia in se vel in alio,imò ab omni potentia propriè dicta; quoniam inueniuntur in Mathematicis secundùm nul

lam verè potentiam. illo verò modo attenduntur secundùm intriseca rerum. Quamobrem possibile logicè dicitur illud, cuius neutra pars contradictionis de secundo adiacente implicat contradictionem: putà Cœlum est, & Cœlum non est. necessarium verò reale illud dicitur in quo non est potentia ad aliud esse; in eo enim, in quo non est potentia ad aliud esse, non est etiã potentia ad priuationem illius esse, quod habet. & quoniam supponitur quòd quicquid non implicat contradictionem, est possibile, non solum logicè, sed potentia reali omnipotentis Dei; ideo possibile logicum, vocari etiam potest possibile reale, extrinsecè tamen: quia per potentiam in alio. Quarè patet quòd Angelus est quidem ens necessarium realiter; quia non habet in se potentiam ad aliud esse:& ideò nec ad non esse;non tamen est necessarium quemadmodum Deus; quia huiusinodi ens, quòd est Angelus, quòd est necessarium reale, est etiam possibile logicum; quia non implicat ipsum non esse; vnde est etiam possibile potentia reali omnipotentis Dei.Quarè solutum est argumentum, eo quòd laborabat in æquiuoco, de possibili videlicèt, & de necessario, ideò dicimus quòd Angelus est necessarium realiter; sed est possibile potentia logica, quæ est potentia realis in Deo. cùm hoc ergo,quòd est necessarium reale, manet quòd sit possibile potentia reali in alio. Solius igitur Dei essentia propriè incommutabilis dicitur.

LECTIO TRIGESIMA.

E*Ademq́; sola propriè, ac verè simplex est. &c.* D. Immutabilem esse Deum, tùm secundum imperium voluntatis,tùm secundùm tempus, & locum, & materiam, siuè substantiam, supra determinauimus. Instantięq́; siuè rationes oppositæ,hoc vnico fundamento soluebantur quòd vel concluderent de mutatione methaphorica, quæ Deo ascribi non inconuenit;vel de mutatione reali, quæ tota esset in rebus extra Deum. Vt cùm dicitur Deum pœnituisse se fecisse hominem, significatur mutatio operationum Dei in nobis; quia sic se habuit Deus ad modum pœnitentis: ille enim, qui omnia nouit, antequam fiant, pro prætritis factis suis pœnitere non potest. Ex quibus maximè sequitur, Deum omninò simplicem esse; quando eius summa immutabilitas

bilitas ex remotione omnium accidentium, & conditionum ma terialium optimè consurgit: nàm sicut compositio est causa mu tationis, ita simplicitas causa est immutabilitatis. Quamobrem, postquam ipse Magister, ratione nostri modi intelligendi, qui est ab effectu, & à facilioribus, Deum verè esse immutabilem comprobauit, iurè optimo, in hac tertia huius octauæ distinctionis parte omninò simplicem esse demonstrat idq; hoc ordine facit, quòd primò simplicitatem soli Deo competere ostendit: secundò Deum verè simplicem esse manifestat: & tertiò ipsum summè simplicem declarat. Inquit igitur Magister quòd diuina essentia est propriè simplex, quia in ea, nulla est partium, aut acciden tium mixtio; & nulla formarum variatio, vel multitudo. quod alteri ab ipsa minimè competit. & hoc D. Augustini authoritate, ac doctrina, distinctè comprobatur. Cum enim ex creaturis aliquę sint corporeæ, & aliæ incorporeæ, siuè spirituales; Primùm quod creaturis corporeis nō competat diuina simplicitas; sic ostenditur, Quod habet partes, quarum vna est maior altera, & totum ipsum maius est qualibet parte, illud est compositum: sed omnis creatura corporea habet partes, quarum vna est maior altera, & totum maius est omnibus partibus, distinctè acceptis. ergo omnis creatura corporea est composita. igitur nul la simplex sicut Deus. Amplius, quòd habet plura accidentia, quorum vnum, aliud est ab altero, & vnū sine altero esse potest, illud est compositum: sed omnis creatura corporea est huiusmo di, vt patet: igitur nulla est earum, cui diuina simplicitas competat. maior propositio est in litera, cùm ait D. Augustinus, quòd in vnoquoq; corpore aliud est magnitudo, aliud color, & aliud figura; & quòd potest minui color eadem manente magnitudine. Vndè sequitur quòd vtraq; diuersitas. s. partium, & acciden tium, siuè formarum, à Deo negata, in corporeis creaturis inue nitur. propter quod ab eisdem simplicitas remouetur. De creatura verò spirituali quòd sit composita probatur, ratione diuersorum accidentium, quæ recipiuntur in ipsa: Nàm licet creatura spiritualis, putà anima, in comparatione ad corpus, simplex dici possit, quia partium diuersitatem non habet: vnde tota in toto corpore, ac in eius qualibet parte, tota esse potest, vt D. Augustinus affirmat: in se tamen, & absolutè considerata, verè est composita, propter diuersitatem accidentium, quæ sunt di-

uersæ animę affectiones: vt exemplis declarat Magister in litera. & confirmatur propositum vniuersaliter de corporali, & spirituali creatura; hunc in modum, Omnis creatura est mutabilis: igitur omnis est composita. antecedens in hac distinctione iam est comprobatum; & consequentia ex antedictis est manifesta; quia compositio est causa mutationis; & nullum verè simplex est mutabile. ex quo concluditur quòd solus Deus est simplex, quia ipse solus est immutabilis. Quòd si arguat aliquis multiplicitatem, & compositionem in Deo; quia ipse dicitur magnus, bonus, sapiens, & quicquid non indignè dici videtur; quemadmodum anima composita dicitur, propter plures proprietates quæ sunt in ipsa: Respondet Magister, in secunda particula huius tertiæ partis, quod omnia illa, quę dicuntur de Deo, vnum & idem sunt in Deo: & non accidentium, sed nominum solummodo, faciunt multitudinem: ideòq; de Deo alio modo dicūtur, quàm de creaturis (hoc est) sine aliqua imperfectione. quia ipse est sine qualitate bonus, & sine quantitate magnus, idest, bonitas significat diuinam essentiam, per modum qualitatis; & magnitudo per modum quantitatis: sed tamen in Deo non ponunt rationem generis, quia Deus non est in genere. Vndè nec propriè dicitur substantia, inquantum ab eo quòd est subsistere denominatur: quia nephas est dicere Deum subsistere, & subesse bonitati suæ, quasi illa bonitas, non substantia sit, vel potius essentia: quo nomine (teste Augustino) conuenientius appellatur. ex quibus concluditur, etiam à Magistro quòd solus Deus est verè simplex. & tandem in tertia, & vltima, huius distinctionis particula, quòd in summo, aut summè simplex sit, ipse Deus, apertè docet: quia in eo non solùm nulla est compositio, sed tanta est eius simplicitas, ac sinceritas, quòd nihil est in eo, quòd non sit ipse. eo tamen excepto, quòd relatiuè dicitur, ratione cuius, manet Trinitas personarum cùm hac propria, vera, ac summa simplicitate. quod colligendo Magister, in calce huius distinctionis, patet quod in hac octaua distinctione (vt à principio dicebamus) concluditur disputatio proposita de diuina essentia: ideoq; in vltimis verbis quasi epilogando, inquit, Ecce quanta est identitas, quanta est vnitas, immutabilitas, simplicitas, puritas diuinę substātiæ, iuxta infirmitatis nostræ valetudinem assignauimus. Quibus profectò, plura, aut maiora à pio fideli desiderari non possunt. Sed

vt ea, quæ hoc in loco de diuina simplicitate dicuntur à Scolasticis, facilius intelligantur, aliqua, his, quæ à nobis dicta sunt addere, non erit inutile. Igitur primò sciendũ est quòd hæ propositiones (vt rectè animaduertunt subtiles) inter se non parum differunt, videlicèt: Deus est simplex; Deus est simpliciter simplex: & Deus est omninò, vel summè simplex. Nàm simplex absolutè dicitur illud quod vnico actu, & per primam intellectus operationem percipitur, quod fit per methodum definitiuam, quæ explicat quidditatem. simpliciter simplex (vt notat author formalitatum, & ipse Scotus in hoc primo, distinct. 3. q. 3.) illud dicitur, quod non est resolubile in plures conceptus priores; vt conceptus entis, non est resolubilis in aliquem superiorem conceptum: & summè simplex illud est, quod nec compositum est, nec componibile. ad hoc enim quòd aliquid sit summè simplex, non sat est, quòd in se non sit compositum, sed amplius requiritur quòd nec illud alteri, nec alterum illi sit componibile. propter quam differentiam, inquit Scotus quod, dùm loquimur de Deo, si dicimus illum esse simplicem, verum dicimus, sed ex parte; quoniam dicendo Deum esse simplicem non excluditur omnis componibilitas. sed si dicimus quòd Deus est simpliciter simplex, veritatem (inquit) non dicimus; quoniam de Deo, vt Deus est, plures possumus habere conceptus, etiam sub nomine simplicitatis. Quarè colligimus dicendum esse quòd, Deus sit summè simplex, quia sic compositionem omnem actu, & potentia, pœnitus excludimus. Secundò sciendum est quòd, quamuis cùm D. Thoma facilè tueri posset, quod non simplicitas absolutè, sed benè simplicitas subsistens est quæ perfectionem dicit: propter quod materia non est perfectior composito, cùm per se non subsistat: sed intelligentiæ perfectiores sunt rebus compositis, quia simplices sunt, & per se subsistentes. Veruntamen Scoti sententiam libentius amplectimur, asserentes quod simplicitas est perfectio simpliciter. cùm enim intelligatur hoc de simplicitate positiuè sumpta, quæ dicit modum, siuè gradum intrisecum illius, cuius est, quem consequitur negatio compositionis, & cõponibilitatis: sicut vnitas, quæ non solùm dicit indiuisionem à se, & diuisionem ab alio, sed etiam ponit aliquod positiuum; patet quòd materiæ simplicitas non est huiusmodi; quia illa tantùm compositionem, & non componibilitatem negat. & patet quod relatio

relatio diuina non sic est simplex positiuè, sed negatiuè tantum: quia relatio ex ratione sua formali, saltem secundùm se alicui est componibilis. quibus adnotatis, ad ea, quæ obijcit Caietanus in libro D. Thomæ de esse, & essentia, facillimè respondetur. Alia duo pro lectione sequenti consideranda restant.

LECTIO TRIGESIMAPRIMA.

Octauæ distinctioni manum extremam imponentes, duo, quę quia scitu digna sunt, & difficilia, diligenter à nobis, hac lectione, animaduertenda proponuntur. Alterum est, An Deus sit in prædicamento: Alterum verò An anima sit tota in toto, & in qualibet parte corporis tota: sicut accepimus à Magistro in calce huius distinctionis. Quantùm ad primum, prima consideratione, videtur, leuiter considerantibus quòd Deus sit in prædicamento; nàm substantia est in prædicamento, Deus est substãtia, ergo erit in prædicamento. Sed Amplius videtur quòd sit in cœteris omnibus prædicamentis: Illud enim est in prædicamento quantitatis, & in alijs, de quibus ipsa dicuntur; sed prædicamẽtum quantitatis, & qualitatis, & alia de Deo dicuntur; ergo Deus non solùm erit in prædicamẽto substantiæ; sed etiam in alijs prędicamentis. minor ex eo est manifesta, quòd Deus dicitur magnus, quia dicitur sapiens, quia in eo est relatio, de ipso dicuntur differentiæ temporis, ipse est vbiq;, ipse dicitur indutus vestimento, & gloria; ipse est prima causa; & ipse dicitur generari. per quæ probantur omnia prædicta prædicamenta, ergo Deus est in prædicamento. Ex altera tamen parte, diligenter considerantibus, manifestissimè apparet. Deum nullo modo esse in prædicamento: nàm illud, quod est in prædicamento, habet esse limitatum; eius esse non est idem cum essentia; & est compositum ex actu, & potentia: sed Deus est illimitatæ naturæ, & virtutis; & eius esse non est distinctum ab essentia; & est purissimus actus (vt supra accepimus à Magistro) ergo nullo modo est in prædicamento. quare cùm sapientioribus philosophis, & cùm omnibus realibus Theologis determinamus, Deũ nullo modo in prędicamento esse. Ad argumentum verò adductum, vniuersaliter dicatis, quòd quamuis secundùm nostrum modum loquendi, dùm de Deo loquimur, ipsum in prædicamento reponere videamur;

mur; re vera tamen, in prædicamento non est. & hæc responsio innititur cuidam regulæ Hilarij, quæ (vt accepistis) est huiusmodi, quòd videlicèt dùm de Deo loquimur, rem significatam simpliciter debemus intelligere, & nullo modo vim facere in modo significandi: licèt ergo modus noster loquendi, videatur ponere Deum in prędicamento, non tamen sequitur quòd Deus sit in prædicamento: quia semper à nostro modo loquendi omnis imperfectio remoueri debet. Sed quid ad D. Thomam qui hoc in loco q. 2. art. 2. ad primum expresè habet quòd Deus est in genere vt principium, habens in se omnem perfectionem generis, sicut vnitas in numeris? Nàm hoc stante, reductiuè saltem erit Deus in genere: sicut idem D. Thomas, in quæstionibus disputatis, de potentia Dei q. 7. art. 3. ad 7. manifestè concedit. Respondet Caietanus quòd Deus est in genere, vt principium continens, & non vt principium contentum, quòd scilicèt non se extendit vltra illud genus, cuius est principium: nàm Deus principium est circuens omne genus. sed solutio soluere non videtur. quoniam D. Thomas in prædictis locis probat Deum esse in genere vt principium, sicut pũctus, & vnitas: quæ duo, genus quantitatis non excedunt. propter quod sequitur Deum esse in genere, vt principium contentum; quia est in genere vt punctus, & vnitas. Verùm quia Deum, nec directè, nec reductiuè in genere ponimus, Vel dicendum est (vt tritum est, quasi prouerbium) quod exempla non afferuntur vt verificentur: sed solùm vt intelligatur propositũ: valet enim similitudo in hoc, quod sicut vnitas cõtinet perfectionem sui generis; sic Deus principium omnium generum, eorum omnium continet perfectionẽ. Vel dicendum quod dictum huiusmodi, in prima parte summæ q. 3. art. 6. sapientior factus, emẽdauit: quia in eo loco, in fine corporis quęsiti ostendit, Deum non esse in genere vt principium reductiuè, quia tale non extenditur vltra illud genus. sicut punctus non excedit quantitatem continuam, & vnitas quantitatem discretam. & sic Deus nullo modo est in genere: idq; ea potissimum ratione, quòd Deus est summè simplex; & omne quòd est in genere, aut ad genus aliquo modo spectat, naturæ est limitatæ, & compositum, vel componibile. quamuis, cùm Boetio in libro de Trinitates, cõcedimus duo genera esse in diuinis; hoc est, quòd duo sunt modi prædicandi in diuinis: videlicèt modus relatiuus, &

modus

modus essentialis, siuè (vt dicit D. Augustinus) modus prædicandi ad se, & ad aliud. Venio nunc ad secundũ propositum quod est de loco, & sede animæ; & breuiter, ac resolutè dico, quod cùm anima vniatur corpori vt forma, & non vt motor solùm, necesse est, quòd sit tota in toto, & tota in qualibet parte: nàm forma substantialis non solùm est actus, & perfectio totius, sed & cuiuslibet partis: & signum est, quia recedente anima, nec totum, nec partes remanent, nisi æquiuocè. siquidem recedente anima, nulla pars corporis retinet proprium opus. ergo non remanet eiusdem speciei. ergo anima erat in eis. sed notandũ, quòd cùm duplex sit totalitas, essentialis scilicet, & virtualis (totalitas enim quantitatiua non conuenit animæ, cùm ipsa non sit quanta nec per se, nec per accidens) anima secundùm essentiam, est tota in toto, & tota in qualibet parte: secundùm verò totalitatem virtualẽ, non est tota in qualibet parte; quia non secundùm quamlibet suam potentiam est in qualibet parte corporis: sed secundùm visum in oculo, secundum auditum in aure, & sic de singulis potentijs. Nec eodem modo comparatur anima ad totum, & ad partes; quia anima est actus totius vt per se primo perfectibilis; singularum verò partium, est actus, vt partium primò perfectibilis: secundùm scilicet quòd partes, habent ordinem ad totum. Quamobrem animaduertimus quòd cùm dicit Aristoteles in lib. de causa motus animalium, quòd non est opus in vnaquaq; corporis parte esse animam; loquitur de potentia motiua animæ: quia scilicet non oportet huiusmodi potentiam motiuam esse in qualibet parte. & cùm dicit idem Philosophus quòd anima est actus corporis organici; illud intelligitur sicut proportionati, & primi perfectibilis. & sic non tollitur, quin anima secundariò & posterius possit esse in qualibet parte corporis. Sciendum autem quod animal est quòd componitur ex anima, & corpore toto, & quod est primum, & proportionatum perfectibile: vndè non oportet quod pars animalis sit animal: & licet in qualibet parte corporis sit anima, vna tamen corporis pars dicitur esse principalior alia; propter potentias diuersas, quarum partes corporis sunt organa: ideo illa, quæ est principalioris potentiæ organum, est etiam principalior pars corporis: vel illa etiam est principalior, quæ vni, & eidem potentiæ principalius deseruit. Et quoniam potentiarum animæ quædam sunt in ea secundùm

quod

quod excedit totam corporis capacitatem; vt intellectus & voluntas, quæ in nulla parte corporis esse dicuntur; & aliæ sunt animæ, & corpori communes; Non oportet quòd talium potentiarum, quælibet sit in quocunq; est anima; sed solùm in illa parte corporis, quæ est proportionata ad talis potentiæ operationem; ergo licèt omnes potentiæ animæ, in ipsa essentia animæ funduntur; ipsaq; anima tota sit in qualibet parte; non tamen sic omnes potentiæ animæ: vt visus sit in aure, & auditus in oculo. Præterea licet anima intellectiua sit in toto, & in partibus tota; non tamen sequitur, idem indiuisibile simul moueri, & quiescere; quoniam anima non mouetur, neq; per se, neq; per accidens, ad motum vnius tantùm partis; sed ad motum totius. & ratio est, quia in nulla parte est definitiuè: idest, ita in ea quòd non in alia; & spirituale non mouetur per accidens nisi ad motũ illius in quo est definitiuè: ideoq; Angelus non mouetur ad motum Cœli, quamuis moueretur ad motum eius si totum Cœlum mutaret locum subiecto. Ad hæc autem addimus duo, quorum primum est, quòd præter animam intellectiuam, necesse est concedere animam sensitiuam animalium perfectorum esse in materia in extẽsam: nàm illa est forma inextensa, quæ cùm perficiat totum, & partes, ita perficit partes, quòd extra totum non possunt ab ipsa perfici: & talis est anima sensitiua animalium perfectorum; quia ex vi solius diuisionis desinit esse secundùm illam partem, quæ est à toto decisa: quòd non euenit de formis extensis. Alterum verò animaduertẽdum est, quòd totalitas essentialis est duplex, scilicèt ex partibus secundùm rem; quæ non conuenit formæ, sed essentię compositæ: & ex partibus secundùm rationem suæ definitionis, quę conuenit formis: & est dicere quòd forma, siuè anima est totum essentialiter, idest, secundùm omnes partes suæ definitionis intrinsecas. vel dicitur quòd sicut totum idem est quòd perfectum; ita totalitas essentialis sumitur pro perfectione essentiali: vtraq; enim totalitas per se conuenit formis. & sic patet quòd anima in toto sit tota, & tota in qualibet parte. quæ dicta sint circa distinctionem octauam.

DISTINCTIO NONA.

Veritas de æterna generatione filij, per quam distinguitur à Patre
- quantũ ad rem
  - proponitur
    - in vniuersali. A.
    - in particulari. B.
  - defenditur
    - præmitendo hæreticorum argumentum. C.
    - respondendo
      - Ex D. Augustino
        - Solutione argumenti. D.
        - improbatione positionis. E.
      - Ex D. Ambrosio
        - ad cõfirmationẽ veritatis
          - authoritate. F.
          - ratione. G.
        - ad destructionẽ erroris
          - animaduersione. H.
          - interpretatione. I.
- quantũ ad locutionem
  - proponitur.
    - diuersas apponendo sententias
      - Gregorij & Agustini. K.
      - Origenis. L.
    - doctorũ dicta concordando
      - expositione. M.
      - confirmatione. N.
  - resuluitur.
    - docendo. O.
    - applicando. P.



LECTIO TRIGESIMASECVNDA.

N*Vnc ad distinctionem trium personarum accedamus.&c.* A. Iam Deo fauente, eò perucnimus, vt absolutis his, quæ ad essentiæ vnitatem faciunt; ad eorum cognitionem, quæ inter diuinas personas distinctionem ponunt, conuenienter accedamus. Quamobrem intentio Magistri in hac parte (quemadmodum ipse præponit) est agere de distinctione trium personarum. sed primò agit de distinctione, quę est inter Patrem, & filium: quod facit in hac nona distinctione. deindè ponit distinctionē inter duas primas personas, & Spiritū Sanctum. vt in sequenti videbimus. Intentio ergo Magistri in hac distinctione, est docere, quomodo distinguatur filius à Patre; & è contra. & duo principaliter facit. Primò determinat veritatem; secūdò docet quibus verbis de proposita veritate loqui conueniat. Primum verò in alias duas particulas secare possumus; siquidem veritatem proponit, eandemq; defendit. Est autem veritas (inquit Magister) quòd tres personæ diuinæ, quæ vnum sunt in essentia (vt vsq; modò clarè perspeximus) ab inuicem distinguuntur personalitate; quia alia est persona patris, alia filij, & alia persona Spiritussancti. Quæ quidem distinctio, inter duas primas personas, inde sumitur, quòd vna generatur ab alia: vndè altera dicitur pater, & altera filius. quibus nominibus significatur distinctio, quæ est inter generantem, & genitum: quia pater non est filius, & filius non est pater. Nec sequitur quòd pater sit prior filio; quia coeternę sibi sunt tres diuinæ personæ: sicut dicitur in Symbolo, æternus pater, æternus filius, æternus Spiritus Sanctus. Hæretici tamen ad alteram partem sic argumentabantur, filius natus est (siquidem generatione distinguitur à patre) igitur non est Patri coęternus. consequentia probatur inductione facta in his, quæ hoc in mundo generantur; nàm filius principium habet à quo est genitus, & omne habens principium, esse cœpit, & sic aliquando non fuit. Ad quod argumentum respōdet Magister, Primùm à D. Augustino, deinde à D. Ambrosio solutione accepta; & inquit, consequentiæ probationem non valere; quia experiētia cognoscimus, aliquid esse in vniuerso, quod simul est cùm eo, à quo originatur, & manat: sicut splendor, qui

oritur ab igne, qui si esset æternus, splẽdorem haberet æternum. Quo in loco sciendum est, quòd quia exempla non sunt omninò, & ex omni parte verificanda, valet allata similitudo quantùm ad coęternitatem, vel simultatem: sed non quantùm ad generationis modum, aut quantùm ad eorum essentiam quę producuntur: cùm præsertim splendor accidat igni, sicut risibilitas homini: cuius nihil est simile in diuinis. Amplius prædictam hæreticorum sententiam, ex eodem Augustino, hunc in modum infirmat, & improbat. Si Dei filius, Deo non esset coęternus; impotens profectò, ac insipiens fuisset aliquando Pater: quoniam Dei filius (teste Apostolo) Dei est virtus, & sapientia. quando ergo constat quòd Deus semper habuit sapientiam; & filium semper habuisse, manifestum esse debet. At ista D. Augustini ratio difficultatem patitur; quia si filius Dei est coęternus patri, eo quia est sapientia Dei; videtur quòd Deus sit sapiens sapientia genita. Respondetur quòd sensus rationis factæ, non est talis quòd pater sit sapiens sapientia genita, quia sapiens est sapientia essentiali, & ingenita: sed ratio tendit ad hoc, quòd pater nunquam fuit sine hac genita sapientia. & ideò est æterna. Verùm conuincitur etiam hæreticus ratione facta à D. Ambrosio; qui ait Filium esse natum confiteor, sed hæreticorum impietatẽ horresco. idest, patrem Deum, priorem esse filio eius, omninò nego; licet filium natum esse concedam. Nàm cùm dicit Esaias, ante me non fuit alius Deus, & post me non erit, O hæretice (inquit Ambrosius) aut hæc verba à Deo patre dicta intelligis, aut à filio: si à Patre, igitur filium sibi coęternum habet; quia dicit post me, non erit alius Deus; si verò à filio dicta intelligis, similiter sequitur ipsum, patri coæternum esse; quia dicit ante me alius Deus non fuit. & cõfirmatur hoc, quia in filio cognoscitur pater, & in patre filius, cùm sint correlatiua. propter quòd filius esse non potest sine patre; nec pater sine filio. Vlterius contra hæreticum sic arguit Ambrosius. Si filius esset Patre posterior, ergo aliquod esset instans, in quo Deus fuisset omnipotens, & non fuisset pater; ergo quando factus fuisset pater mutatus esset; igitur nè dicamus Deũ mutabilem; ipsum ab æterno patrem fateamur. Quòd si probet aliquis rationem hanc efficacem non esse; quia cùm per Aristotelem, in relatione non sit motus, ex aduentu relationis mutabilitas concludi non debet. Respõdetur quòd licèt in relatione nõ sit motus

ſit motus terminatiuus, eſt ibi tamen motus conſequtiuus: hoc eſt, licèt relatio non ſit per ſe terminus motus; ipſa tamẽ motum conſequitur, quia relatio non naſcitur niſi per motum. cum igitur in Deo nulla ſit mutatio (vt ſuperiori diſtinctione monſtratum fuit) nulla etiam in eo ponenda eſt noua realis relatio. Et ſi non plenè percipitis quomodo filius non ſit poſterior patre: animaduertatis oportet (inquit D. Ambroſius) quòd impoſsibile eſt diuinæ generationis ſcire ſecretum: Filij enim æterna generatio admodùm eſt ineffabilis, quia ſenſum omnem, hominum & Angelorum ſuperat: ſi enim (vt habet Diuus Paulus) pax Chriſti eſt ſupra omnẽ ſenſum; quomodo non erit ſupra omnem ſenſum tanta generatio? & confirmatur per Eſaiam cap. 4. dicentem, generationem eius quis enarrabit? quaſi dicat quòd incomprehẽſibilis eſt omninò & inenarrabilis. Neq; huic obſtat quòd à D. Hieronymo ſuper eccleſiaſtem ſcribitur, dùm inquit, quòd in ſacra ſcriptura, quis, difficultatem ſæpiſsimè dicit; & non impoſsibilitatem, vt in præallegato dicto. generationem eius quis enarrabit. ſiquidem non contendit ex hoc D. Hieronymus, quòd filij æterna generatio plenè intelligi, vel explicari poſsit à quolibet mortalium; ſed quia de ea aliquid dici, & intelligi poteſt ſecundùm ea, quæ ſcripta ſunt: vt In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. &c. quamuis Eſaię dictum de temporali Chriſti generatione cõmodè intelligi poſſit, quæ nobis minus ignota eſſe creditur. Quarè diſtinguitur filius à patre, generatione æterna: cuius perfecta intelligentia quæri non debet. quia eſt ineffabilis. & quia (vt dixit Ariſtoteles 2. met. t. 16.) mathematica certitudo non in omnibus eſt quærenda. Hìc tamen (vt ea maior intelligentia, quæ mortalibus conceditur, à nobis haberi poſsit) dubitant Scolaſtici, An in diuinis inter patrem, & filium aliqua prioritas ſit concedenda; adeò quòd patrem priorem filio, & filium patre poſteriorem, in aliquo ſenſu catholicè dicere poſsimus. Qua in re quoniam omnes ferè pœnitus, conuenire arbitror (niſi egregie fallor) hęc eſt omnium cõmunis ſententia, quòd videlicet prioritas ſecundùm rem, nulla eſt inter diuinas perſonas: ſed prioritas ſecundùm intellectum & rationem, facilè poteſt concedi. Realis enim Prioritas inter patrem & filium concedi non poſſe, hucuſq; percepimus: eò quòd ſummè, & ſimpliciter ęterno, nihil realiter poteſt

eſſe

esse prius. Sed quòd persona patris aliquo modo prior ipso filio possit intelligi, ex eò cognoscitur quòd noster intellectus in omnibus creaturis vniuersaliter videns, quòd omne generans naturaliter prius est genito; huiusmodi prioritatem secundùm rationem inter gignens, & genitum in diuinis potest ponere. cùm præsertim omne producens, secundùm ratione, prius cõcipiatur esse. quàm producat. Et confirmatur, quia vbi est dare primum secundum, & tertium, sicut in diuinis personis; quia pater dicitur prima persona, vt fons diuinitatis; & filius secunda, tanquàm à patre immediatè producta; & Spiritus Sanctus tertia, quasi ab vtroque procedens; ibi saltem secundùm rationem, siuè nostro modo cognoscendi, prius & posterius apertè dari videtur. Nec obstat quòd pater & filius sint relatiua, quæ simul sunt natura, & naturali intelligentia: quoniam si alterum correlatiuorum ab intellectu nostro cognoscitur vt producens, & alterum vt productum; potest intellectus noster, producenti tribuere rationem prioris; & producto rationem posterioris. non ratione qua relatiua sunt, sed ratione, qua vna persona producens est, & altera producta. Imò essentia vt est in patre potest concipi sub ratione prioris; & vt est in filio sub ratione posterioris: quia essentia, vt est in filio addit super seipsam vt est in patre, esse communicatum. Quarè prius & posterius secundùm rationem in diuinis ponere, non erit inconueniens. quòd planè Scotum affirmasse intelligo, dùm inter diuinas personas prioritatem originis concessit. quando enim in his quæ originantur ab aliquo, non numeratur natura in producente & producto, vt euenit in diuinis; prius origine, idem est quòd prius natura, & prius ratione. quòd à D. Thoma omninò negatum esse nõ credimus, dùm simul cùm Scoto, & alijs Theologis, filium esse è patre, patrem à seipso, & Spiritum Sanctum ab vtroq; esse concedit. Hic enim, originis ordo, prius & posterius dicitur origine, vel ratione. igitur, &c.

LECTIO TRIGESIMATERTIA.

Hic *quæri potest cùm generatio filij à patre. &c.* K. Distinctionem hanc nonam, in qua dicebamus Magistrum, Deum patrem à Deo filio distinguere, ratione æternæ generationis; quia videlicèt pater generat, & filius generatur; in duas principales


partes

partes (vt præcedenti lectione dictum fuit) secauimus. Quarum prima exposita, aggredimur secundam; in qua quæritur quomodo, vel quibus verbis conuenientius exprimi possit, æterna filij Dei generatio. & hanc partem, sicut priorem, in alias duas particulas diuidimus: secundùm quòd difficultatem proponit, eandemq; determinat. Est autem difficultas, An generatio in diuinis cùm sit æterna, exprimi debeat per verbum præsentis temporis, dicendo filius nascitur, an per verbum præteriti temporis, dicendo filius natus est. Et oritur hæc difficultas cuilibet consideranti: propter imperfectionem, quam consignificat vterq; modus dicendi. sed deinde augetur difficultas propter diuersas sanctorum patrum opiniones. nàm D. Gregorius dicit quòd debet enunciari in præterito, cùm hac dictione, semper; quæ significat perpetuitatem, dicẽdo videlicet, semper natus est filius. eò quòd, si proferatur in tempore præsenti, etiam cùm eodem aduerbio, dicendo, semper nascitur. videtur significari imperfectio generationis; quasi sit incompleta generatio. quia quod generatur, adhuc esse in fieri videtur. Ex alia tamen parte, Origenes, quoniam id, quod factum est, iam præterijsse, & nunc non esse consignificatur; vt vitaret huiusmodi desitionem, quæ maximam dicit imperfectionem, diuinæ generationis permanentiam, ac æternitatem, per tempus præsens, significari voluit. En apparens repugnatia, & contradictio: quia quòd vnus affirmat, alter negat. Sed Magister, vt dictos Patres sibi non contradicere ostendat, eorum dicta benignè interprætatur; & inquit, quòd vtrunq; rectè dici potest; videlicèt quod filius semper natus est; & quòd filius semper nascitur: illud propter perfectionem generationis; & hoc, quia generatio in præteritum non transit. Verùmenimuerò generatio hæc de qua loquimur (vt optimè Durandus) per verbum præteriti temporis tantùm; aut solùm per verbum præsentis, sufficienter non exprimitur: sed benè per vtrunq; simul: & ratio est. quia in his quæ fiunt sine motu, & sine actione noua (vt est diuina generatio) simul est fieri, & factum esse. Igitur quia diuina generatio non est in nunc temporis, nec in tempore; sed in æternitate, quæ simul est tota: Ad significandam præsentialitatem, & permanentiam æternitatis, rectè cum Origene dicere possumus quòd filius semper nascitur: rectius tamen (vt addit Magister) cùm Gregorio, & Augustino dicitur,

dicitur, quod ſemper natus eſt: quoniam hoc aduerbium, ſemper, æternitatis permanētiam ſignificat; & particula illa, natus, geniti perfectionem deſignat: quod non facit, generari, in tempore præſenti. Et confirmatur hoc ex Hilario, dicente, filium ex patre natum eſſe; perfectamq; habere natiuitatem, ſine nouitate naturæ: quia enim non per deſitionem, vel mutationem genitus eſt; ſed per naturæ vnitatem, & perfectę natiuitatis ſacramentum; neceſſe eſt vt & in viuente viuat, & in ſe habeat vitam viuentem: ideſt eſſentiam patris, qui eſt vita viuens. Quarè filium de patre, ante tempora, natum, & ſemper naſci, congruè dicimus: ſed congruentius quod ſemper eſt natus: ratione iam dicta. Ex quo etiam colligitur filium ab æterno eſſe, patriq; coęternum; quoniam æternus eſt filius, ſicut & pater ęternus eſt: excepto quod pater ſine authore eſt æternus, quia eſt innaſcibilis; & filius ab æterno authore, æternus eſt; quia à patre ſemper natus. Vndè conuincitur hæreſis Arriana, quę filium patre poſteriorē, ea ratione dicebat, quia omne quod natum eſt habet principium. Verum eſt enim in creaturis, quòd natum non poteſt eſſe coæternum gignenti: eò quòd prius ſunt homines quàm generent: nec ſtatim etiam quòd generationi dant operam, naſcitur filius. ſed falſum eſt in diuinis, vbi filius æterna generatione naſcitur. quod quidem fideli prudentia (vt inquit Magiſter) & non ratione humana accipiendum eſt à nobis. Non enim (vt planè dicam) accipienda eſt generatio in diuinis, communi quodam naturæ curſu, ac iuxta conſuetam animantium productionem: quamuis ſecundùm quandam ſimilitudinem eorum, quæ in intellectu noſtro reperiũtur, de illa piè loqui poſsimus. Nàm (vt optimè animaduertunt Theologi) ſicut intellectus noſter, ſe ipſum præcipuè intelligēdo, quoddam format intelligibile, quòd proles quædam eſt, ipſius intellectus: vnde eius conceptus dicitur, & verbum nominatur; ſicut vox huiuſmodi intellectus conceptum ſignificans, verbum exterius eſt appellata: Sic Deus, qui puriſsimus eſt intellectus, ſeipſum intelligendo, verbum concipit; & tale verbum, filium Dei nominamus: Deum verò, cuius eſt verbum, dicimus patrem; & proceſſum, ſeù productionem verbi, filij generationem nominamus. Hæc tamen differentia (quæ valde eſt notanda) inter noſtrum, & Dei conceptum, ſiuè verbum intercedit, quòd intellectus noſtri conceptus, propriè filius

ſilius nominari non poteſt,ſicut diuinus; & ratio eſt,quia non eſt eiuſdem naturæ,cuius eſt noſter intellectus;ſicut nec intelligere noſtrum eſt ipſum eſſe intellectus noſtri:cùm tamen in Deo non ſit aliud intelligere, quàm ſuum eſſe . Præterea hominis verbum homine poſterius inuenitur; & deſinit aliquando eſſe,antequam deſinat homo : quæ duo Deo conuenire omninò eſt impoſsibile ; quia in Deo neq; imperfectio , neque mutatio locum habet; neq; exitus de potentia ad actum; cùm ſit actus purus,& primus. Amplius in hoc differt verbum noſtrum à diuino , quòd intellectus noſter non ſimul intelligit omnia, neq; vnico actu, ſed pluribus, & diuerſis : vnde multi ſunt intellectus noſtri conceptus, & multa verba : præſertim quia vnum verbum , intellectus noſtri virtutem non adæquat . Sed Deus omnia ſimul,vnicoq; intellectionis actu intelligit, quia eius intelligere non poteſt eſſe niſi vnum; cùm ſit ſuum eſſe,propter quod in Deo vnum tantùm eſt verbum , quòd eius virtutem perfectiſsimè adæquat , cùm ſit ipſa eius eſſentia . Quarè hęc ſit huius,& lectionis,& diſtinctionis cõcluſio,quòd datur verbum diuinum,quod filium nominamus, eiuſdem quidem naturæ cùm patre; ſed ab ipſo generatione diſtinctum : & tamen patri coæquale ; & ob id ſimplex, perfectum, & coæternum .

DISTINCTIO DECIMA.



LECTIO TRIGESIMAQVARTA.

N*Vnc post filij æternitatem, de Spiritu Sancto quantum Deo donante videre conceditur, disseramus. &c.* A. Postulat huius tractatus ordo ac series, vt post explicationem generationis filij Dei, assumatur à nobis disputatio, simul cum Magistro, de productione Spiritussancti. Dictum est enim in huius libri initio, primo loco agendum esse de rebus quibus fruendum est, quæ sunt Pater, Filius & Spiritussanctus: Quamobrem, cùm hucusq; disputatum sit de Patre generante, & de filio genito, Agendum sequitur de tertia persona à Patre, & filio procedente. Quamuis autem illud, quod superiori lectione, de diuina filij Dei generatione, dictum fuit, eam scilicet ineffabilem esse; etiam de Spiritussancti processione verissimè affirmetur; quantùm tamen Deo benignè, & misericorditer concedente, largitur, tantùm piè, & iustè à nobis omni studio debet appræhendi. Processio igitur, de qua nobis, est proposita disputatio (vt iurè ab expositione nominis exordiar) emanationẽ significat, hoc est, vnam personam in diuinis, per modum voluntatis. & amoris ab alia esse, non dico pẽdère; quia in productione diuinarũ personarum, nomine dependẽtiæ nequaquam vtimur: Et cum hæc sit duplex respectu eiusdem Spiritussancti, æterna alia; qua est tertia persona in diuinis: & alia temporalis, qua dicitur donum: vt quando in terris, specie Columbæ, ad nos missus fuit. Primò de æterna, secundariò de temporali agit ipse Magister. Idq; hoc ordine facit, quod in hac distinctione considerat personam procedentem: in sequenti verò ostendit eam à patre, & filio procedere: & quia potuisset aliquis dubitare, nè prius à Patre quàm à filio procederet, in distinctione 12. æqualiter ab vtroq; procedere manifestat: àc deniq; in distinctione 13. quærẽdo quarè filius dicatur genitus, & Spiritussãctus productus, generationem filij ad processionem Spiritussancti comparat. Prętere a in sequentibus distinctionibus vsq; ad 18. inclusiuè loquitur Magister de temporali processione eiusdẽ Spiritussancti, quatenus scilicet ad nos in tempore missus fuit. Cuius tractatus ordo (vt nunc etiã intelligatur à vobis) talis seruatur à Magistro, quòd in distinctione 14. considerat principium mittens Spiritumsanctum,

ctum, vt à perſona, quæ mittitur, ideſt, ab ipſo Spirituſancto inuenitur diſtinctum: In 15. ſimiliter conſiderat principium mittens; ſed vt eſt indiſtinctum à perſona, quæ mittitur; quod eſt quærere, an Spirituſſanctus à ſeipſo mittatur: In diſtinctione 16. modum viſibilem tractat, quo ſcilicet in ſpecie Columbę, in linguis ignitis, & per inſufflationem Chriſti in Apoſtolos, Spirituſſanctus miſſus fuit. Deindè in ſequenti, modum conſiderat, quo Spirituſſanctus inuiſibiliter, hoc eſt per ſacramentorum ſuſceptionem mittitur: quo in loco Magiſter, qui vt homo errare poterat, in errorem grandem incidit, dicendo quod charitas in nobis, qua diligimus Deum, & proximum eſt ipſe Spirituſſanctus. Et tandem in diſtinctione 18. loquitur Magiſter de hoc nomine, quod eſt donum: affirmando, quòd Spirituiſancto conuenit, ea ratione, qua temporaliter procedit. & ſic completur tractatio productionum, quibus conſtituuntur, àc diſtinguuntur tres diuinæ perſonæ. Reuertentes autem ad diſtinctionem decimam, vbi habetur principium huius ſecundæ productionis; quæ proceſsio, & ſpiratio dicitur; quoniam in omni diſputatione, primò aperienda ſunt nomina, & quid ſit illud, de quo inſtituitur ſermo; In ea Magiſtri conſilium eſt docere, quid ſit hęc tertia perſona in diuinis; & quo nomine debeat appellari. Quantùm verò ad primam partem hanc proponit Magiſter catholicã aſſertionem; videlicet, Spirituſſanctus eſt Amor, ſiuè charitas, ſiuè dilectio Patris, & filij. Quam ſtatim confirmat ex D. Auguſtino in 15. lib. de Trinitate, Cap. primo, dicente, quòd Spirituſſanctus eſt charitas, qua inuicem ſe diligunt Pater, & filius. Vbi aduertendum occurrit non ſatisfuiſſe Magiſtro dicere, Spiritumſanctum eſſe amorem; quòd adiunxit, ſeù charitatem, ſeù dilectionem: Hoc enim fecit, vt intelligeremus hæc tria nomina in ſacra Scriptura non differre, ſed accipi pro eodem. Vnde poſtquàm Dominus noſter dixit Petro, Simon diligis me? dixit poſtea, amas me? Et D. Dionyſius Cap. 4. de diuinis nominibus, inquit, Mihi videntur Theologi commune quid dicere, dilectionis, & amoris nomine. Si tamen velimus nos aliquam inter hęc nomina ponere differentiã, rectè dicemus cum D. Thoma, quòd ad inuicem ſe habent ex additione: quia dilectio Amori, & charitas dilectioni addit. Nam dilectio ſupponit amorem; qui eſt inclinatio affectus in amatum, & vltra addit electionem; quaſi


dilectio ſit ex multis electio; iuxta illud Canticorum Cap. 5. Dilectus meus electus ex millibus: charitas verò perfectionem, & vehementiam dicit in amando; quatenus quod diligitur habetur in magno honore, & prætio. Sed nobis ſufficiat, quòd hæc nomina ſępiſsimè in ſacra Scriptura, & potiſsimùm hoc in loco, pro eodem accipiuntur. Ideo ſequitur Magiſter, vt declaret propoſitam veritatem, quoniam difficultatem patitur, ex eo, quod habet D. Ioannes, in Epiſtola Canonica, quòd Deus charitas eſt. cum enim pater ſit Deus, & filius Deus; non magis videtur, quòd Spirituſſanctus ſit charitas, quàm Pater, & filius. Quamobrem, inquit Magiſter, quòd licèt nomen charitatis, tribus perſonis in diuinitate conueniat; nihil tamen inconuenit, quod Spirituiſancto approprietur. Nam (vt ipſe ex D. Auguſtino refert) ſic ſe habet Charitas reſpectu Spirituſſancti, ſicut ſe habet ſapientia filij: ſed ità ſe habet ſapientia reſpectu filij, quod licet enuncietur de tota Trinitate, appropriatè tamen dicitur de filio: ergo ſimiliter charitas, Spirituſſancti erit appropriatum; quamuis vniuerſaliter de tribus perſonis veriſsimè enuncietur. poteſt enim charitas, ſicut, & ſapientia eſſentialiter, & perſonaliter accipi. Deinde confirmat hoc à ſimili, quia videlicet, ſic etiam nomen legis, quod commune eſt veteri teſtamento, legi Moyſi appropriatur, quod itidem longioribus verbis, ex D. Ioanne, D. Auguſtino, & D. Hieronymo docet, & comprobat. primùm concludendo propoſitum; videlicet, quòd Spirituſſanctus eſt Amor Patris in filium; & vnitas, & communio, àc donum amborum, atq; vnius eſſentiæ, & æqualis diuinitatis: deinde inferendo quòd à Patre, & filio diſtinguitur, quia eſt quo vterq; coniunguntur, quo genitus à gignente diligitur, genitoremq; ſuũ diligit. Propterque, breuiter ſcire vos velim, quòd Spirituſſanctus per modum voluntatis, & ob id, per modum amoris, & liberè, verè à Theologis dicitur procedere, quamuis non contingenter, nec ea libertate, qua poſsit non produci; ſed ea libertate, quæ coactioni, & neceſſario naturali opponitur. & cum neceſsitate immutabilitatis manet, producatur. ſicut etiam verbum, ſeu ſapientia genita in diuinis ad intellectum ſe habet; quod ſcilicet procedit per modum intellectus immutabiliter. Neq; obſtat, quod aliqui dicunt intelligere, & velle eſſe actus eſſentiales, & quòd omnibus diuinis perſonis conueniunt; & quod non differunt realiter, ſicut pro

ductiones

ductiones, filij, & Spiritusſancti; & quod fœcunditati opponuntur, & quod perſonæ productæ non haberent, niſi perfectionem intellectus, & voluntatis; & quod Spiritusſanctus procederet vt Creatura; & vt res artificiata. Nam licet diuinum intelligere, & velle prout ſumuntur eſſentialiter, actus ſint eſſentiales, & communes tribus perſonis; vt tamen notionaliter accipiuntur, actus ſunt notionales; & tunc ſoli Patri conuenit intelligere notionale; quo intelligere, verbum producitur: ſicut ſoli Patri, & filio conuenit eſſe notionale, quo amor perſonaliter ſubſiſtens producitur: & ſic huiuſmodi actus realiter differunt, ſicut Emanationes; & per eos aliquid producitur ad intra, cum ſint actus immanentes: atq; per eos omnis perfectio communicatur; quia intellectus, & voluntas idem ſunt pœnitus realiter, quod diuina natura: nec ipſa natura excluditur in prædictis productionibus; imò ipſa principium eſt vtriuſq; productionis; quamuis vnius, vt habet modũ intellectus, quia talis productio terminatur ad verbum; & alterius, vt habet modum voluntatis, quia ad amorem terminatur; vndè tàm filius, quàm Spiritusſanctus procedunt à natura, quia intellectus, & voluntas, per quorum actus dicuntur procedere, identicè ſunt ipſa diuina natura; licèt filius dicatur procedere per modum naturæ, & non Spiritusſanctus; tùm quod generatio, per quam producitur filius opus eſt ipſius naturæ, tùm quia, in eo quod procedit ab vna perſona tantùm, magis obſeruatur modus naturæ, quæ ad vnum eſt determinata. Neq; ob id à Deo procedit Spiritusſanctus vt Creatura; quando voluntas diuina principium eſt Creaturæ, ſecundùm quod habet libertatem contingentiæ, & contradictionis; & vt eſt domina ſui actus; ità quod poteſt producere, & non producere, iuxtà beneplacitum voluntatis: principium autem Spiritusſancti eſt, vt eſt libera libertate complacentiæ: quæ neceſsitatem immutabilitatis concernit, in qua quidem proceſsione cum eandem numero naturam accipiat Spiritus Sanctus (vt dictum eſt) non ſequitur eſſe quid artificiatum, quia ea ſolùm, artificiata dici poſſunt; quæ ſic à diuina voluntate procedunt, quod in aliena natura ſubſiſtunt. Et ſic patet prima pars huius diſtinctionis: ex qua ſecunda deducitur, tanquam manifeſta; cum enim tertia perſona in diuinis appropriatè ſit Amor, & charitas; appropriatè etiã Spiritusſanctus dici poterit: ſpiritus quidem, quia amori conuenit

uenit nomen ſpiritus; eo quod vim penetratiuam, & impulſiuam, quàm qui maximè habet: ſanctus verò, quia dona, quibus in Deũ ordinamur, & ſancti efficimur; diuino attribuuntur amori. præterquàmquod ſi hoc nomen ſpiritus à ſpiratione dicatur, & non, vt ſupra, à ſpiritualitate, non ſolùm appropriatè, ſed etiam propriè conuenit perſonæ prædictæ: quia per ſpirationem producitur, & eſt eius perſonalis proprietas. Eſt igitur tertia perſona in diuinis amor, & charitas; qua Pater, & filius inuicem ſe diligunt: & eius nomen eſt Spirituſſanctus. Verba Textus perlegite, & huius lectionis longitudinem libenter patimini, quando ſuperioris breuitate compenſari poſsit.

DISTINCTIO DECIMA-PRIMA.



LECTIO TRIGESIMAQVINTA.

H*Ic dicendum eſt Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere. &c.* A. Diſputationem illam, quæ verſatur circa tertiam perſonam Trinitatis, externa lectione aggreſsi fuimus: atq; in eius exordio illud effecimus, vt non ſit modo laborandum in aſsiganda intẽtione Magiſtri in hac parte. præterquàmquod habetur in primis verbis huius vndecimæ diſtinctionis. quod eius conſilium eſt oſtendere, Spiritumſanctum à patre, & à filio procedere. Cuius diſputationis occaſio

caſio inde eſt accepta, quòd, poſtquam damnata fuit hæreſis Macedoniana, quę Spiritumſanctum purã Creaturam dicebat (quod prius etiam de filio impiè docuerat Arrius) opinati ſunt Græci Spiritumſanctum à ſolo Patre procedere; atq; per multas annorum centurias, ità ſunt tutati, vt hæc vna fuerit ex præcipuis cauſis, propter quas à Romana, & Catholica Eccleſia ſunt diuiſi. Quamobrem ipſe Magiſter in hac diſtinctione quæſtionis propoſitę, veritatẽ præmittit, & probat: deindè errorem manifeſtat, & confutat. Veritas eſt contra πνευματομάχος, ideſt, Spiritusſancti impugnatores; quod videlicet Spiritusſãctus à Patre eſt, & à filio, & ab vtroq; procedit. Idq́; ſex authoritatibus comprobatur; quarum prima eſt D Pauli ad Galatas Cap. 4. ſcribentis, Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra. ratione cuius, talis poteſt erigi ratio. Spiritusſanctus ab eo cuius eſt procedit, ſed eſt ſpiritus filij, vt dixit Paulus ad Galatas, igitur à filio procedit. Et ſi dicat Aduerſarius allatam authoritatem non valere, quia cùm filius ſit ſpiritus, de eius ſpiritu poteſt intelligi, dùm dicitur ſpiritus filij: vel ſi intelligatur de Spiritusſancto, ſenſus eſſe poteſt, quod ſit ſpiritus filij, quia filio donatus à Patre; & non quòd à filio procedat. Reſpondeo quod licet filius ſit ſpiritus, nõ tamen ſpiritum habere dicitur; quaſi ex ſpiritu, & ex habente ſpiritum, ſit compoſitus: ideo non poteſt intelligi, niſi de Spiritusſancto cum dicitur ſpiritus filij. & confirmatur hac ratione. Conceditur quod Spiritusſanctus procedat à Patre, quia ſcribitur, quod eſt dilectio Patris; ergo ſimiliter quod à filio procedat, debet cõcedi; quia & ipſe Amor eſt filij, erga Patrem. nàm dictum eſt, quòd Spiritusſanctus eſt charitas Patris, & filij: & quando dicta authoritas non valeret, quod nego, aliæ ad ſunt authoritates conuincentes: nàm idem Paulus ad Rom. inquit. Qui Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. & ipſe filius de Spiritu ſancto in Euangelio dicit, Quem ego mittam vobis à Patre. nàm miſsio temporalis ſupponit æternam. Sed quid plura? authoritas eſt Eccleſiæ omnibus præferenda, quod Spiritusſanctus à Patre filioq́; procedit. & habetur hoc expreſſe in Concilio Florentino hiſce verbis, Spiritusſanctus à Patre, & filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumq́; eſſe ſubſiſtens habet ex patre ſimul, & filio: & ex vtroq; æternaliter, tanquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit. Quarè cuilibet non inſipienti, velit nolit

nolit fatendum est, quod Spiritussanctus sicut à Patre, ità & à filio procedit & spiratur. Nihilominus Græci (vt in secunda parte refert Magister) Spiritumsanctum à solo Patre procedere, pertinaciter tuentur. Et eorum hæc est vna ratio, quod in Euangelio explicatum non habetur Spiritumsanctum à filio procedere; vnde sic arguunt. Illud non est concedendum, quod in Euangelio explicatum non habetur; sed in Euangelio solùm habetur, quòd Spiritussanctus à Patre procedit, ergo non est dicendum quòd etiam sit à filio. & confirmant hoc idem argumento non infirmiori, quia scilicet in principalibus Concilijs, quæ sunt Nicenum, Ephesynum, Calcedonense, & Constantinopolitanum nulla fit mentio de processione Spiritussancti à filio; cum tamen à Patre esse doceant. Imo in sui erroris confirmationem addunt, in prædictis Concilijs sancitum esse, quod qui aliter ab eo, quod in illis est decretatum docuerit, anathema sit. Quod similiter Leo tertius Pontifex Max. confirmauit, dùm Symbolum in lamina argentea scriptum reliquit, in quo Spiritumsanctum solùm à Patre esse commemorat; atq; anathemate damnat, qui aliud docuerit, vel aliter prædicauerit. Quarè non solùm propriam sententiam, laudant, sed nos etiam anathematizatos dicunt, quòd Spiritumsanctum à filio procedere prædicamus. Sed ò miseros Græcos, qui hanc manifestissimam veritatem non cernunt. Si enim Pater generando filium, omnia illi communicauit, in quibus ad filium non habet oppositionem; profectò non integrè, aut perfectè se cõmunicasset, nisi filio virtutem spiratiuam, quæ sibi in nullo repugnat, omnino dedisset. Sed nostris rationibus prætermissis, Nonnè vident apertè, quod nihil valent eorum argumenta? quid enim probat argumentum ab authoritate negatiua; præsertim vbi moniti sumus multa esse prætermissa? nàm multa ipsius Christi documenta memoriæ sunt mandata, & non literis; ipseq; Redemptor noster in Euangelio inquit, Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo; propterque concludimus veritates multas per Concilia, & determinationes Ecclesiæ, diuina dei gratia, & nostra cum salute, in dies manifestari, quibus integra, firmaq; fides est adhibenda. Quamuis dicere non debemus, quod in sacra scriptura non inueniatur Spiritumsanctum à filio procedere; licèt enim hoc non habeatur explicitè, habetur saltem implicitè: & licèt non inueniatur per verba, in-

ba, inuenitur tamen quantùm ad sensum; & præcipuè vbi dicit Christus, de Spiritusãcto loquẽs, ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Imò (quod vobis fortè mirabile videbitur) cùm in sacra scriptura communiter tenendum sit, quòd de Patre dicitur, illud de filio dictum esse; etiam si dictio exclusiua adderetur; exceptis illis in quibus pater, & filius secundùm oppositas relationes distinguuntur, optimè sequitur in processione Spiritussancti in qua Pater, & filius minimè opponuntur, non excludi filium; quando dicitur Spiritumsanctum à Patre procedere, sicut nec in eo excluditur, quod habetur apud Matt. Cap. 2. cum dictione exclusiua, videlicet, Nemo nouit filium nisi Pater; quia & ipse filius seipsum cognoscit. Quocirca ad oppositas rationes facilè Respondet Magister, primum quòd cùm dicitur, qui aliud, vel aliter docuerit, quàm in prędictis locis habitũ sit &c. ibi aliud, & aliter pro opposito ponitur: quia verè anathema est, qui aliquid diuinis literis oppositum aut contrarium, siuè repugnans pugnaciter docet, àc sustinet. Sed nos (vt iam est expositum) quid cõsonum solummodo, & declaratiuum addimus, quia doctrinam datam explanamus: ideo tantùm abest, quod in Dei indignationem, & in excomunicationis sententiam incurramus, quòd potius præmium à Deo mereamur accipere. Præterea (inquit Magister) mirum non esse, quòd Christus in Euangelio non dixerit Spiritumsanctum à se procedere, quando hoc de Patre confessus fuit, quoniam apud Christum in more positum erat, omnia sua ad Patrem referre; ideoq; satis esse debet, quòd non dixit Spiritumsanctum à solo Patre procedere, quia sic non negat eum à se procedere. Priora verò illa Concilia, & antiqui Ecclesię Patres Spiritumsanctum à filio procedere nõ expressere: quia nec tunc aliqui hoc negauerãt; à Patre verò procedere dicebant, per hoc insinuantes authoritatem productiuam, quam Pater habet respectu filij, & nõ è contra. Vnde cum vobis in re proposita aliquod sanctorum dictum opponitur, liberè dicatis, quòd per talia verba non excluditur ratio principij respectu Spiritussancti ab ipso filio, sed tantummodo exprimitur principalitas authoritatis, quę est in Patre, putà datur intelligi, quod virtutem producendi Spiritumsanctum filius habet à Patre, & non à se; Pater autem huiusmodi virtutem habet à seipso. Quod si quis etiam vim facien do obtineret aliquem sanctorum, vt de Damasçeno dicitur, Spi

ritumsanctũ à filio procedere, negasse. sciatis adhuc eos culpa vacare; quoniam tunc ab Ecclesia aliter determinatum non erat: antequam enim aliquid per Ecclesiam determinetur, potest quis eius oppositum absq; hæresis vitio opinari, quod postmodum si pertinaciter sustineret, esset hæreticus. Verùm Græci (vt nos animaduertit Magister) reipsa nobiscum conueniunt licèt in verbis dissentiant; quoniam Spiritumsanctum, spiritum esse filij, & spiritum veritatis concedunt, quòd alio pacto esse non potest, nisi quia à filio, qui, & veritas dicitur, procedit. sicut etiam ex eo, quòd à Patre procedit, spiritus Patris dicitur. Vndè aliqui eorum catholici doctores, vt Athanasius, Didymus, Cyrillus, & Ioannes Chrysostomus hoc animaduertẽtes, quod scilicet vna, & eadem est illorum verborum sententia, quibus dicitur Spiritumsanctum procedere à filio, & esse filij; apertè dixerunt Spiritumsanctum à patre, & filio procedere, quod vera fide omnis lingua confiteri debet.

LECTIO TRIGESIMASEXTA.

QVoniam nobis Theologiam profitentibus, non sat est veritatem simpliciter apprehendere; nisi & eandem tueri discamus; hinc est quòd habita intelligentia eorum, quæ habentur à Magistro in litera, sæpe scolasticos cõsulimus, & præsertim hoc tempore cum illis digredimur, Quærendo An si Spiritussanctus, per impossibile, non procederet à filio, distingueretur ab eo. Quęsitum certè admodùm difficilè, quoniã inter præsidia vtriusque partis doctissimi sunt, & grauissimi viri. Nam Ioannes Scotus, D. Thomam; Thomistæ, Scotum; Scotistæ, Thomistas; alijq; è contra; in proposito arguunt, & accusant: adeoquòd magna adhuc sit inter eos altercatio, & controuersia. Verùm nos, qui cum firmioribus, & valentioribus se pugnare, imprudentis esse cognouimus, nouis rationibus, quæ excogitari possent, prætermissis; absq; alicuius partis iniuria, solùm quid constantissimè dicatur, præsenti lectione exquirere proponimus. D. Thomas hoc in loco q. & art. 1. & in 1. p. q. 36. art. 2. c. quærendo An Spiritussanctus procederet à filio, contra Gręcos, veritatis necessitatem manifestauit; dicendo, quòd nisi Spiritussanctus à filio procederet, ab ipso minimè distingueretur. Nam, inquit, omnis di-

nis distinctio realis est per oppositas relationes. Sed si Spiritussanctus non procederet à filio, non haberet ad ipsum relationem oppositam: eo quòd in diuinis omnis relatio realis, quæ oppositionem facit, relatio est originis. ergo si Spiritussanctus non procederet à filio, non distingueretur realiter ab ipso. maior huius rationis sic probatur, Nullum absolutum plurificatur in diuinis: ibi ergo omnis distinctio realis est per relationes. Quòd autem oporteat illas relationes esse oppositas, ex eo patet, quòd si relationes non oppositæ sufficerent, ad distinctionem realem; in persona Patris esset realis distinctio: quia in ipso sunt duæ relationes, scilicet paternitas, & spiratio. & sic in ipso essent duę personæ, igitur ad faciendam distinctionem realem in diuinis personis, requiritur oppositio relatiua. Et confirmatur hoc, authoritate D. Anselmi, in libro de processione Spiritussancti, dicentis, quòd in diuinis est vnitas, vbi non obuiat aliqua relationis oppositio: sed si Spiritussanctus non procederet à filio, relationes eorum non essent oppositæ, ergo essent vna persona. ergo non esset Trinitas personarũ. ergo filius à Spiritusancto præcipuè per hoc realiter distinguitur, quia Spiritumsanctum spirat, siuè producit. ergo valet hæc consequentia, filius à Spiritusancto realiter distinguitur, igitur Spiritussanctus ab eo spiratur. At Scotus, & seguaces oppositum sentiunt dicentes, quòd filiatio est sufficiens distinctiuum filij, à Spiritusancto. quòd primò probant, deinde sententiam priorem improbant. Inquit ergò Scotus, Disparatio rationum formalium realium in composibilium in eodem subiecto, realiter distinguit, vbicunq; inuenitur: sed duo modi totales accipiendi naturam eandem, scilicet per modum natiuitatis, & processionis sunt disparati; & in diuinis incompossibiles: ergo non sola oppositio relatiua distinguit realiter diuinas personas. Et confirmatur hunc in modum, filius constituitur in esse personali filiatione: ergo de facto personaliter distinguitur à Spiritusancto filiatione: ergo seclusa à filio per intellectum spiratione actiua, adhuc remanet, quod filius personaliter distinguatur à Spiritusancto. prima consequentia probatur ex illa maxima, quòd idem est cõstitutiuum, & distinctiuum ab alijs. & elicitur à Porphirio docente, quòd vltima differentia constituit speciem, & eam facit differre à quocunq; alio. Secundò contra D. Thomam sic argumentatur, Si Spiritussanctus, per impos-

sibile non procederet à Patre, sed à filio solùm, nihilominus à Patre distingueretur; ergo similiter si solùm à Patre procederet, etiam à filio distingueretur. quòd est oppositum conclusionis D. Thomæ. antecedens verò huius argumenti ideo est necessarium, quia si Pater non distingueretur à Spiritusancto, à filio ipse procederet; sicut procedit Spiritussanctus. Tertiò, filius distinguitur personaliter à Spiritusancto (vt nullus non cōcedit) ergo per aliquid distinguitur, quod est de ratione personali ipsius filij, ergo non per spirationem actiuam: ergo seclusa spiratione actiua adhuc remaneret personalis distinctio inter filium, & Spiritumsanctum. primam consequētiam inductione manifestat; quia valet, A, distinguit, B, realiter; ergo est de eius ratione reali: similiter distinguit essentialiter; ergo est de eius ratione essentiali. Et probatur etiam, quia si distinctio personalis, posset fieri per aliquid, quod non esset de ratione personali; humanitatem Christi, ab ipso verbo personaliter non distingui, defendi non posset: quia diceret aliquis, quod distinguitur personaliter, per aliquid, quod tamen personam non constituit. Quartò illud, quod de sui natura est tale, vbicunq; ponatur semper erit tale. ergo si oppositio relatiua esset huius naturæ, quod constitueret plures personas in diuinis; sequeretur, quod spiratio actiua, quæ opponitur spirationi passiuæ constitueret vnam personam. quod cum sit falsum; nec verum erit oppositionem relatiuam huius esse naturæ, quòd diuinas personas constituat. Et confirmatur, quia si per hoc distingueretur filius à Spiritusancto quòd procedit ab ipso; malè D. Augustinus, & Anselmus sentirent in eo quòd dicunt diuinas personas per alium, & alium modum procedendi esse distinctas: quia, scilicet filius per modum intellectus, & Spiritussanctus per modum voluntatis procedit. ergo &c. His, & alijs multis consimilibus rationibus, sententia Scoti comprobatur; & confutatur opposita. Quam tamen vel ex eo libentius amplector, quòd validius, & efficacius confutantur hæretici, negantes Spiritumsanctum à filio procedere. quia sic ad absurdum omnium maximum deducuntur, negantes simul diuinarum personarum realem distinctionem; & consequenter ipsam Trinitatem; præterquàmquod facilè soluuntur rationes Scoti. Igitur ad primam Respondetur quòd cum emanationes filij, & Spiritussancti possint accipi duobus modis, videlicet complete, hoc est, secundùm

suas

ſuas integras rationes, includendo ordinẽ originis vnius ab alia: & incompletè, ſcilicet ſecluſo ordine originis inter eas; Minor propoſitio quæ emanationes ſecundo modo accipit, falſa eſt. Siquidem incompoſsibilitas, & totalitas, dictis emanationibus conueniunt completè, ſiue integraliter: & non imperfectè ſumptis. nàm generari, & ſpirari non ſunt incompoſsibilia in eodem, ſecluſo, quod ipſi generari coniunctum ſit ſpirare: quia incompoſsibilitas earum emanationum non oritur ex ordine, quo vna præexigit aliam, ſed ex ordine originis; quo vna eſt ab alia: ſpirare verò dat genito incompoſsibilitatem formaliter. ſicut albedo dicitur dare formaliter ſubiecto incompoſsibilitatem nigredinis. Spirare ergo ex hoc, quod eſt in eodem ſuppoſito cum generatione paſsiua, dat ei incompoſsibilitatem ad ſpirari, & ſic ſoluitur argumentum. Ad confirmationem verò cum dicitur, quod idem eſt conſtitutiuum, & diſtinctiuum alicuius ab alio. poteſt negari; quia homo conſtituitur per rationale, tanquam per differentiam; & tamen non diſtinguitur per rationale ſecundùm directam oppoſitionem formæ ad formam, niſi ab irrationale: ſicut per ſenſibile ab inſenſibilibus tantùm, ſecundùm oppoſitionem diſtinguitur: & per corporeum ab incorporeis. licèt per quamlibet harum differentiarum ab omnibus cõmuniter diſtinguitur per habere, & nõ habere. Cum Caietano tamen dicimus, quod cum duplex ſit conſtitutiuum, vnum abſolutũ, & aliud relatiuum; vera poteſt eſſe allata propoſito de cõſtitutiuo abſoluto, ſed non de relatiuo: quoniam abſolutum conſtituit ens in ſe, & ſic diſtinguit illud ſecundum ſe; & cõſequenter ab vniuerſis alijs. at relatiuum conſtituit ens ad aliud vnum, ſcilicet ad ſuum correlatiuum; & ſic ab illo vno tantùm, illud diſtinguit: loquendo ſemper de diſtinctione relatiua; alioquin diuerſitas, ſeù diſtinctio non eſſet proportionata paſsio entis. quia plus faceret conſtitutiuum aliquid diſtinguendo, quàm conſtituendo; quod non videtur intelligibile. Quia ergo in diuinis, perſona eſt formaliter relatio, non eſt ibi diſtinctio perſonalis, neq; realis, niſi ſit relatiua. Et hæc eſt ratio quòd duæ relationes, quæ ſunt in Patre non conſtituunt duas perſonas, quia, ſcilicet non ſunt oppoſitæ. Præter quàm quòd ſpirare (vt rectè dixit Egidius) perſonam non conſtituit, quia non eſt incommunicabilis perſonalis proprietas; quemadmodum generare. Ad ſecundum negatur

conſe-

consequentia, & similitudo; quia dum filius sit à Patre, & non è contra, necessariò supponitur Pater. imò negatur antecedens, quia includit contradictoria & impossibilia; dum scilicet, fingit Spiritumsanctum non procedere à Patre; & tamen procedere à filio. quia cum impossibile sit aliquid procedere à filio; quod nō procedat à Patre saltem mediatè: eò quòd filius non habet nisi natū, idest, non habet, nisi quòd à Patre nascendo accepit. idem est, àc si in antecedente diceretur, Spiritussanctus non procedit à Patre, & procedit à Patre: quæ repugnantia sunt omnino, & incompossibilia. & ideo non mirum si aliud sequitur absurdum, videlicet contradictorium Conclusionis D. Thomæ. Ad tertium Respondetur, quod cum distinguere personaliter, sit facere formaliter personam distinctam ab alia persona; vera est consequentia, si illud quòd distinguit faciat vtrunq;, scilicet personam, & distinctionem: sed falsa, si faciat alterum tantùm, scilicet distinctionem in persona. quemadmodum si fiat domus alba, non quidem faciendo vtrunq;, sed iungendo vnum alteri. Quamobrem spiratio actiua non est de ratione personali, quia scilicet, facit distinctionem, & non personalitatem. Et ex hoc patet responsio ad aliud argumentum: quoniam natura oppositionis relatiuę est constituere personam, secundùm quid, scilicet in esse distinctiuo, eam scilicet, quæ per aliam oppositionem relatiuam iàm in esse est constituta. Deniq; ad confirmationem Respondetur, quod D. Augustinus, & Anselmus totam rationem distinctionis Spiritussancti ad filium, in dictis verbis non expresserunt. Nàm cōceditur, quod filius filiatione distinguitur à Spiritusancto negatiuè; hoc est, per habere, & non habere: quia quicunq; habet aliquam formam, distinguitur ab omni nō habente illam; sed negatur, quòd sic distinguantur personaliter; quoniam oportet veritatem distinctionis fundari super aliquam affirmationem; quæ, cum in filio non sit alia, opposita affirmationi, quæ est in Spiritusancto, quàm actiua spiratio; sequitur, quod sola spiratione actiua personaliter distinguatur filius à Spiritusancto. igitur si Spiritussanctus non procederet à filio, non distingueretur ab eo.

DISTIN-

DISTINCTIO DECIMA-SECVNDA.

Spiritumsanctum tàm à Patre, quàm à filio procedere
- non prius vel posterius
  - proponitur. A.
  - probatur. B.
- nō plenius vel imperfectius
  - ostenditur. C.
  - declaratur
    - in eo quod dicitur, propriè à Patre procedere. D.
    - in eo quod dicitur, per filiū procedere. E.

LECTIO TRIGESIMAOCTAVA.

I*Tem quæritur cum Spiritussanctus à Patre procedat, & à filio, vtrum prius vel magis processerit à patre quàm à filio. &c.* A. Postquam Magister Sentent. Distinctione decima, vbi sermonem de tertia persona in diuinis est exorsus; Spiritumsanctū amorem esse, siue charitatem, siuè dilectionem Patris, & filij, docuit: & in distinctione secunda, eundem Spiritumsanctum à Patre, & filio procedere monstrauit: In hac distinctione 12. quę nunc sequitur exponenda, quomodò, vel qualiter à Patre, & filio procedat Spiritussanctus, sufficienter ostendit. Hoc autem est, quòd Spiritussanctus, nec prius, nec plenius, siuè perfectius procedit à Patre, quàm à filio, vel è contra: sed æqualiter ab vtroq; spiratur. Quamobrem duo habet capita præsens hæc distinctio. Alterum quidem determinans Spiritumsanctum non prius produci à Patre, quàm à filio: Alterum verò concludens eundem Spiritumsanctum non minus, vel imperfectius spirari à filio, quàm à Patre. Quibus duobus colligitur Patrem, & filium in diuinis omnino æqualiter concurrere ad productionem Spiritussancti. Sumit autem Magister occasionem huius veritatis aperiendæ ex cauillo quodam hæreticorum, quo demonstratum esse credebant Spiritumsanctum non æqualiter produci à Patre,

& filio


& filio. Nàm ſic argumentabantur Arriani. Cum Spiritusſanctus producitur, vel producitur nato filio, vel non dùm nato filio: quodcunq; detur ſequitur abſurdum, & inconueniens non admittendum: Nàm ſi producitur nato iam filio ergo filius præcedit proceſsionem Spiritusſancti: ergo generatio erit prior proceſsione. Si verò producitur nō dùm nato filio ergo:Spiritusſanctus præcedit filium: ergo proceſsio præcedet generationem: ergo Spiritusſanctus non præcedet à filio, quod eſt contra determinationem ſuperioris diſtinctionis. ergo filius, & Spiritusſanctus non erunt coeterni, quòd catholicæ veritati repugnat. Et tamen videtur allatum argumentum ità neceſſarium, vt omninò effugi & vitari non poſsit: quandoquidem datur per contradictoria, cum dicitur nato vel non nato; cuius ſemper altera pars eſt vera. Ratione ergo huius cauilli appoſuit Magiſter doctrinam huius diſtinctionis. Sed augeo ego difficultatem, & conſequenter occaſionem inquirendæ veritatis. Eſſe eſt prius operari; & principium eſt prius principiato: ergo ſi Spiritusſanctus eſt à Patre,& filio (vt verè eſt) erit per operationem Patris, & filij:& conſequenter Pater,& filius erunt principiū Spiritusſancti: ergo Spiritusſanctus erit Patre, & filio poſterior. Præterea in operibus Dei eſt ordo (patet manifeſtè in his,quæ ſunt ad extra, nec debet negari in his,quæ ſunt ad intra) ergo ordine quodam generat, & ſpirat. alioquin confunderet has operationes. ergo in his productionibus diuinis erit prius & poſterius. quod perſuadere conantur hæretici. Amplius, ſi filius concurrit ad productionem Spiritusſancti, certè à Patre hoc habet; quia filius non habet, niſi quòd naſcendo accepit: ergo Pater magis confert ad productionem Spiritusſancti, quam filius. ergo plenius, & perfectius producitur Spiritusſanctus à Patre, quàm à filio: valet conſequentia ratione illius dicti Ariſtotelici, Propter vnumquodq; tale, & illud magis. Hiſce igitur argumentis,velut quibuſdam tormentis extorquetur veritas: adeò quòd illius defenſores multa cōſcribere coacti fuère. Magiſter in primis laborioſius,& fructuoſius cæteris,veritatē inquirens,in ſecundo Capite huius diſtinctionis, cum D.Auguſtino primo argumento ſatisfacit, illius vtranq; partem interimendo. & ratio huius eſt, quia argumentum ſupponebat, quòd in diuinis eſſet prius, & poſterius duratione, ſiuè tempore: quòd cùm nullo modo ſit in diuinis,

non

non sequitur alteram partem cōtradictionis esse veram; eò quòd fundamentum dictę contradictionis non reperitur in diuinis productionibus, de quibus est sermo. Quamobrem sciatis, quòd cum ordo, siuè prius, & posterius (vt dicit D. Bonauentura q. 1. & nos superius ex parte adnotauimus) vel sit temporis, vel causalitatis; vel originis, siue authoritatis, In diuinis non potest esse ordo; vel prius, & posterius temporis; quia repugnat æternitati; nec potest ibi esse prius, vel posterius causalitatis, quia tunc auferretur à sanctissima Trinitate vnitas essentiæ; eò quòd causa diuersa est à causato. Prius tamen origine (vt aliàs dictum est à nobis) rectè conceditur in diuinis productionibus; inquantum vna est ab alia. & prior etiam authoritate dicitur Pater in diuinis: potissimum in processione Spiritussancti, inquantùm videlicet, Pater à se habet, quod spiret Spiritumsanctum, filius verò à Patre habet, quòd cum patre concurrat ad productionem Spiritussancti. & hoc vltimo modo prioritatis tantùm conceditur, quòd Pater prius filio producat Spiritumsanctum: non enim in huiusmodi processione, Pater est prior origine ipso filio; quia tunc sunt vnum originale principium: sed prior dicitur origine filio, inquantum filius à Patre originatur. Patet igitur quomodo Spiritussanctus prius, & quomodo nō prius à Patre, quàm à filio procedat. Sed an magis, & perfectius procedat Spiritussanctus à patre, quàm à filio? hoc est secundum caput, quod aperit Magister in reliqua parte distinctionis. Ad quod breuiter, & resolutè Respondet, dicendo, quod sicut Spiritussanctus non ante procedit à patre, quàm à filio; ità nec plenius, vel magis procedit à patre, quàm à filio. Et quoniam aliquæ sanctorum Patrum authoritates oppositum docere videntur; ideo Magister doctè, & catholicè illas interpretatur. Idcirco cùm dicitur à D. Augustino, quòd Spiritussanctus à patre principaliter procedit; & à D. Hilario, quòd propriè procedit à Patre; & quòd à Patre procedit per filium; quibus videtur, quòd plenius, abundantius, & perfectius procedat à Patre; à filio autem quasi instrumentaliter. Exponit in tribus vltimis Capitibus huius 12. distinctionis, quòd huiusmodi dicta non significant, nisi authoritatem spirationis in Patre. Vnde licet Spiritussanctus non aliter, nec alia processione sit à filio, quàm à Patre; dicitur tamen principaliter, & propriè esse à Patre, non alia de causa, nisi quia in Patre est authoritas spiratio

nis: quia scilicet, Pater est principium, & fons omnis spirationis: ergo remanet, quòd Spiritussanctus nec prius, nec plenius est à Patre, quàm à filio. Cuius veritatis totalis ratio est, quia Pater, & filius sunt vnum principium Spiritussancti: & vbi est vnitas non potest esse distinctio. Quarè restat, vt ad argumenta, in principio lectionis à nobis adducta, respondeamus. Ad quorum primum respondet Petrus de Tarantasio, quòd valet apud nos; sed non in diuinis, vbi idem est esse, & operari. Vbi igitur idem sit esse, & operari; esse, operationem non præcedit. Quod si di catis principium præcedere principiatum. Respondetur id non esse verum secundum relationem principij, sed solùm secundum fundamentum principij: quòd etiam omni prioritate priuatur si relatione ipsa constituatur, hoc est, si ipsa relatione, qua dicitur principium, & qua refertur, est ipsummet principium; vel saltem id quòd est principium; ab ipsa relatione, qua principium dicitur, realiter non distinguitur. vt est in diuinis personis. Ad secundum dicitur, quòd in operationibus diuinis est ordo non quidem temporis, siue causalitatis, sed authoritatis solùm, & originis, vt dictum est. Ad vltimum respondet D. Thomas, quòd illa propositio Aristotelica præsupponit duo diuersa, per quę agat prima, & secunda causa, modò in proposito vna est virtus, per quam spirant Pater, & filius; ideò dicitur, quòd dictum Aristotelis verum esse potest, quando id quod conuenit alicui propter aliud, est diuersum in vtroq;. Videamus textum.

DISTINCTIO DECIMA-TERTIA.



DISTIN-

LECTIO TRIGESIMAOCTAVA.

PRosequitur Magister tractationem de Spiritusancto, loquendo quidem de eius æterna processione, de qua sermonem habuit antea; non tamen amplius respectu personæ procedentis, vt visum est distinctione decima; nec vlterius respectu principij, à quo procedit, quemadmodum fecit distinctione 11. & 12. sed loquitur de æterna processione Spiritussancti, respectu æternæ generationis; comparando, videlicet, processionem Spiritussancti ad generationẽ verbi Dei: & Principaliter differentiam quærit inter generationem filij, & spirationem Spiritussancti. Cuius inquisitionis occasio, & ratio est, quia nulla videtur asignari posse: quando & filius, & Spiritussanctus à Patre sunt, & pœnitus de eadem substantia. Vt autem propositum, quantùm fieri potest percipiatur à nobis, talis ordo seruatur à Magistro, quòd primùm dubitat An Spiritussanctus posit dici natus, siue genitus; quemadmodùm filius: cum eandem habeat substantiam, quam habet filius. Præterea determinato, quòd non posit dici genitus, vt vnus tantùm sit filius in diuinis, dubitat An saltem posit dici ingenitus. quòd nec etiam absolutè conceditur, nè plures sint ingeniti in diuinis; quando esse ingenitum est notio æterni Patris. & hìc est ductus huius totius decimatertia distinctionis. A principio autem reuertentes, cùm quæritur An Spiritussanctus posit dici natus, vel filius; sciendum est, quòd hæc quęstio de more omnium quęstionum vnum præsupponit, & alterum quærit. Præsupponit Spiritumsanctum Deo Patri cõsubstantialem esse, quod est contra eos, qui dixerunt Spiritumsanctum esse animam mundi: & quęrit cur idem Spiritussanctus, filius non dicatur, cum procedat sicut filius, idest, consubstantialiter. Pro quo est notandum, quòd cum ponitur procesio in Deo, id sanè est intelligendum, videlicet, non inquantum procesio dicit motum localem, vt est motus progresiuus animalis; quia sic tantùm metaphoricè est in Deo; vt cum Dei sapientia, & bonitas in Creaturis procedere dicitur; propterea quod suæ sapientiæ, & bonitatis, similitudinem in Creaturis producit. Sed accipitur procesio inquantum est eductio principij à suo principiato (licèt personæ productę, principiatæ

cipiatæ minimè dicantur) ſiquidem vna perſona eſt ab alia, ſicut à ſuo principio; & non ſicut effectus à cauſa: vt falsò dicebat Arius. Tunc ad quæſtionem Reſpondet Magiſter cum D. Auguſtino, quod nequaquàm Spirituſſanctus à Patre, & filio. procedens, eorum poteſt dici filius; quoniam, inquiunt, ex his, quę producuntur à duabus perſonis, nullus poteſt appellari filius, niſi alter illorum producentium, ſe habeat vt mater; quæ in diuina generatione nec imaginari debet. Et ſi dicatis, quòd adhuc nihilominus videtur appellandus filius, quia eſt de ſubſtantia Patris vt filius; & quia per Damaſcenum dicitur, quod generare eſt producere ſibi ſimile de ſuamet ſubſtantia. Reſpondetur ſupponendo, quòd cum in diuinis duo ſint modi productionis, videlicet, per intellectum, & voluntatem; perſona, quæ producitur per voluntatem, ſit Spirituſſanctus: generãs enim diligit genitum quòd à ſe eſt: & cùm talis Amor, & dilectio non ſit accidens, oportet eſſe ſubſtantiam, & perſonam. & tunc dicitur ad argumentum, quod authoritas Damaſceni indiget particula apperiente illius ſenſum, videlicet, generare eſt producere ſibi ſimile de ſua ſubſtantia, per primum actum ſcilicet, per intellectum, & talis eſt generatio: ſed Spirituſſanctus non ſic producitur; quia eſt per actum voluntatis: ideo non dicitur filius. Verùm quia potuiſſet quis inſtare, eo quòd ſicut filius dicitur productus non obſtante, quòd ſit genitus, ſic Spiritusſãctus poterit dici genitus, quãuis ſit productus per modum voluntatis. Ideo Magiſter in ſecundo Cap. huius diſtinctionis reddit rationem huius rei, cur ſcilicet, dicatur productus; & Spirituſſanctus non dicatur genitus: & primò per dictum Euangelij comprobat, filium in diuinis rectè dici poſſe productum; quia ſcilicet, dicitur in Euangelio. Exiui à Patre, quod ſignificat produci. Quòd ſi dicat aliquis authoritatem nihil valere; vel quia exire potuit à Patre per modum generationis; vel quia licet diceretur apertè in Euangelio, proceſsi à Patre, ibi loquitur de productione temporali, & non æterna. Reſpondet Magiſter, quod filius poteſt dici productus; eò quòd productio latius ſumitur, quàm generatio: vnde quod generatur poteſt dici productus, & non è contra. & hinc eſt, quòd filius gaudet nomine Spirituſſancti, & non è contra Spirituſſanctus gaudet nomine filij. Quo in loco notandum eſt, quod procedere vno modo idem ſignificat, quod ab alio eſſe; & ſic eſt com

munc

mune filio, & Spirituisancto; appropriatè tamen dicitur de Spiritusancto. Alio modo accipitur procedere per hoc, quòd est esse ab alio in alium, vt in obiectum: sicut est Amor ab Amante in amatum. & sic est proprium Spirituisancto,& propriè dicitur hæc productio spiratio. D. Augustinus respondet ad dictam difficultatem dicendo, quòd ideo filius dicitur productus, non autem Spiritussanctus genitus, quia Spiritussanctus producitur per modum doni, vt donetur; non autem sic filius. quæ authoritas videtur fauere opinioni D. Thomę; quando quęritur, an si Adam non peccasset filius Dei carnem assumpsisset. nàm D. Thomas asserit partem negatiuam, Scotus verò affirmatiuam, vnde cùm hìc dicatur à D. Augustino quod filius non dicitur genitus à Patre vt mittatur in mundum, sequitur quòd si Adam non peccasset, Christus nobis non esset datus, & consequenter nec incarnatus. Sed Diuus Augustinus loquitur de donatione æterna, & est dicere, quòd non procedit per modum Amoris, & voluntatis. Verùm si Spiritussanctus non potest dici genitus, filius tamen dici potest productus, equidem differentia erit aliqua, & aliquod discrimen inter processionem, & generationem. Quæ nàm igitur est hæc differentia? hoc quærit Magister potissimũ in tertio, & quarto Cap. huius distinctionis. Quòd profectò difficillimum est, quoniam non habemus nisi voces ad explicandũ hoc: cum nullus fuerit in Cœlo & Dei consiliarius fuerit. vndè dicit Magister cùm D. Augustino has duas voces generationis, scilicet & processionis, distinguere non valeo, non possum, non sufficio. quod si non sufficit D. Augustinus quid nobis erit dicendum? cum prętertim dicat Magister, quòd hæc effari nõ possunt, & quod nos, dũ hìc viuimus inter illa distinguere non sufficimus. Consideranda sunt illa tria verba D. Augustini, nàm primò dicit, Nescio, propter pęnuriam luminis; nàm habebat quidem lumen fidei, sed tale lumen respectu luminis glorię valdè est obscurum. Secundò dicit, non valeo, referẽdo ad semetipsum, quia propter imperfectionem sensus,& intellectus non valet. Vltimò inquit non sufficio, propter rationem status, quia dùm sumus in via tot indigemus, vt semper dicendum sit, De necessitatibus meis libera me Domine. Veruntamen cum D. Augustino inquit ipse Magister quòd generatio filij à processione Spiritussancti distinguitur, quia generatio est ab vno, processio verò à duobus: quæ certè dif-

tè differentia formalis est, & prima, cum hoc intelligendo, quòd generatio sit ab vno per modum naturæ; & processio à duobus per modum voluntatis. Quod enim dictæ duæ Emanationes re notionali realiter distinguãtur, per terminos realiter distinctos, qui sunt filius. & Spiritussanctus, nobis innotescit. Tandem in vltima particula huius distinctionis quærit Magister An Spiritussanctus possit dici Ingenitus; quia enim non dicitur genitus, videtur quòd eius contradictorium de illo verificari possit. Augustinus tamen negatiuè respondet dicendo, quòd si Spiritussanctus diceretur ingenitus confunderemus diuinas personas; eò quòd esse Ingenitum est notio Patris. Contra quam determinationem adducit Magister authoritatem D. Hyeronimi, quæ tanti valere debet, quanti illa D. Augustini. Quare cogitur Magister afferre distinctionẽ vt possit vtriusq; dictum saluare: ideo dicit, quod esse ingenitum potest dupliciter intelligi, vno modo, quod non pendet ab alio, & in hoc sensu solus Pater dicitur ingenitus. quia ille solus est independens, hoc est, non est ab alio: & in hoc sensu Augustinus dicebat Spiritumsanctum non debere dici ingenitum. Alio modo ingenitum dicitur illud, quòd quamuis ab alio sit, non tamen est per generationẽ. Et in hoc sensu Spiritussãctus dici potest Ingenitus, quia hoc est dicere, quòd est à Patre, sed non per modum generationis, & sic cum D. Hyeronimo concedimus Spiritumsanctum posse dici ingenitum.

DISTINCTIO DECIMAQVARTA.

- De Spiritussancti temporali processione, quantùm ad principiũ à quo procedit
  - Veritatem determinat
    - Asserendo. A.
    - Comprobando. B.
  - Errorẽ excludit
    - Negantiũ dari Spiritũsanctũ personaliter. C.
    - Asserentium dari Spiritumsanctum ab hominibus
      - Docẽdo
        - De facto. D.
        - De possibili. E
      - Respondendo. F.

LECTIO

LECTIO TRIGESIMANONA.

PRæterea diligenter adnotandum est. &c. A. Cum hactenus satis de æterna Spiritussancti processione fuerit disputatum. Nunc de temporanea multa suppetunt dicenda; quæ ab hac distinctione 14. vsq; ad 18. ea methodo, quam superius in expositione decime distinctionis adnotauimus à Magistro tractantur. Sed quæ nàm est causa huius intentionis, & quæ continuationis est ratio ? licèt enim conueniens sit tractatio de temporali processione Spiritussancti, hìc tamen importunè videtur inculcari. eo quòd vniuersale est consilium, solùm ea, quæ Deo ab æterno conueniunt, in hoc libro considerare; & præsertim in eius priori parte: propter quod etiam tractationem de temporali generatione filij, vsq; ad tertium librum distulit, cùm tamen eadem ratione, de ea superius potuisset agere, vbi de eius ęterna generatione tractauit. Responsio hęc à Magistro accipi potest, quia hæ duæ Spiritussancti processiones, ratione principij coniunguntur: gemina enim (inquit) est Spiritussancti processio; qua æternaliter, & temporaliter à Patre, filioq; procedit. sed filius æterna generatione à solo Patre; temporali verò à tota Trinitate procedit; & tunc aliam assumit naturam; quòd nō euenit in temporali processione Spiritussancti. Quamobrem dicere etiam possumus, quòd quia temporalis filij generatio, longiorem requirebat sermonem, quàm temporalis Spiritussancti processio; ideo particulari tractatu est considerata. Præterea accedit, quòd cum hæc temporalis Spiritussancti processio ad illius æternæ, declarationem faciat; ab illa longè seiungi non debuit. Disputatio igitur de temporali Spiritussancti processione, rectè hìc est apposita. Et cùm in plures partes iàm sit distributa, habetur hoc in loco, quantùm ad principium à quo temporaliter mittitur Spiritussanctus: Vbi hoc ordine procedit Magister quòd primùm veritatē determinat, deinde falsitatē excludit. est autē Magistri principalis conclusio, quòd gemina est processio Spiritussācti, æterna, & tēporalis: & vtraq; à Patre, & filio. quod cùm de æterna processione superius sit probatum; Nunc de temporali pluribus authoritatibus demonstrat. pro cuius processionis vniuersali intelligentia, aliqua diligenter sunt animad-

animaduertenda; & primùm ex D. Bonauentura, quod processio Spiritussancti, quæ non est simpliciter Emanatio à patre, sicut processio filij; sed est processio ab vno in alium, idest, à Patre in filium, duobus modis considerari potest; secundum quòd ab vno in alium procedere, bifariam cõtingit: Vno modo, quòd procedat in alium sicut in obiectum: alio modo quòd procedat in alium, sicut in eo, in quo recipitur: & tunc dicitur, quòd Spiritussanctus primo modo æternaliter procedit. Dictum est enim supra à Magistro, quòd Spiritussãctus est Amor, quo Pater amat filium & filius Patrem: ideo æternaliter sic procedit. sed secundo modo dicitur temporaliter procedere, inquantum temporaliter in nobis, sicut in quodam eius habitaculo recipitur. Secundò considerãdum, quòd ista processio temporanea respicit principium à quo, ratione cuius dicitur æterna, & terminum ad quẽ; ratione cuius dicitur temporalis. Vlterius notandum, quòd aliquid diuersimodè dici potest temporaneum; vno modo quòd habet initium in tempore, variationem in tempore, & in tempore corrumpitur: quo quidẽ modo omne Corpus sublunare temporaneum dicitur. Alio modo illud temporaneum appellatur, quòd initium quidem habet in tempore, sed non labefactatur à tempore: vnde durat etiam post tempus, quemadmodum Angelus, & anima rationalis. Tertio, & vltimo modo aliquod temporaneum dicitur, non quia in tempore factum sit, sed quia in tempore aliquid facit. & hoc pacto processio Spiritussancti temporalis dicitur. quæ iterũ potest distingui ratione termini à quo fit, ratione sui scilicet, Spiritussancti: & tertiò ratione alterius. Primis duobus modis est æterna: tertio verò modo temporanea, inquantum scilicet, in tempore recipitur in alio. His autem positis Magister duplici modo probat dari huiusmodi processionẽ temporaneam in principio huius distinctionis: primùm authoritate Patrum, Bedæ videlicet, & Augustini; Deinde ex triplici Euangelij loco: nàm apud Lucam Cap. 6. cum dicitur, Virtus de illo exibat, & sanabat omnes: Virtus ista, vt inquit Magister erat Spiritussanctus, qui dùm exibat, idest, temporaliter procedebat à filio, simul etiam à Patre mittebatur; dicente filio, Pater in me est, & ego in Patre. & hæc processio, quæ fuit inuisibilis, non fuit bis, vel quatuor, sed quoties sanauit infirmos. Secundò legitur apud Ioannem Cap. 20. quod Christus Iesus dedit

Spiri-

Spiritumſanctum quando inſufflauit in Diſcipulos, dicendo, Accipite Spiritumſanctum: Vltimò legitur in actibus Apoſtolorum Cap. 2. quod in die ſanctiſsimo Pentecoſtes viſibiliter deſcendit ſuper Apoſtolos Spiritusſanctus: Pluries ergo proceſsit; Spiritusſanctus inuiſibiliter; ſed viſibiliter bis ſolummodo, primò in ſpecie colūbæ in baptiſmate Chriſti; ſecundò in linguis ignitis ſuper Apoſtolos, poſt Chriſti Aſcenſionem, quod quidem conuenientiſsimè factum fuit bis, ad commendandum præceptum dilectionis in Deum, & in proximum, vt dicit ipſe Magiſter: Viſibiliter verò vt dicit Diuus Thomas prima parte queſt. 43. art. 7. quia modus connaturalis hominis eſt, vt per viſibilia ad inuiſibilia manuducatur: vnde ſicut Deus ſeipſum, & æternas proceſsiones per quædam viſibilia, ſecundùm aliqua indicia, hominibus manifeſtauit; ita conueniens fuit, vt inuiſibiles miſsiones perſonarum, ſecundùm aliquas viſibiles Creaturas nobis ſignificaret. Quamobrem viſibiliter miſſus fuit, & filius, & Spiritusſanctus: ſed filius tanquam ſanctificationis author, & Spiritusſanctus vt ſanctificationis indicium; & præſertim quando deſcendit ſupra Chriſtum. Verùm An hæc proceſsio temporalis Spiritusſancti, ſit alia ab eius æterna proceſsione? hoc eſt, quod diſputatur à Scolaſticis, dùm quærunt, An proceſsio temporalis ponat in numerum cum æterna. Ad quod facile reſpondetur dicendo. Quòd vna eſt proceſsio eſſentialiter ratione principij à quo eſt; ſed ratione reſpectuum in duo obiecta, in æternum ſcilicet, & temporale, eſt duplex, & gemina: vt dicit Magiſter. nàm reſpectus æternus eſt realiter in Spiritusſancto, qui procedit: reſpectus verò temporalis ſecundùm rationem eſt in Spiritusſancto, & ſecundùm rem eſt in his, in quibus procedit: Quarè cum D. Bonauentura formaliter dici poteſt, quòd duplex eſt proceſsio Spiritusſancti. Altera æterna, quæ eſt ab hoc in hoc, vt in obiectū. Altera temporalis, quæ eſt ab hoc in hoc vt in habitaculū. Quod ſi contra obijciat aliquis; primò non datur proceſsio temporalis filij: ergo nec dabitur Spiritusſancti proceſsio temporalis. probatur conſequentia, quia filius, & Spiritusſanctus coeterni ſunt, & coequales. Antecedēs probatur, quia ſi datur temporalis proceſsio filij, illa non eſt niſi ſecundùm naturam aſſumptam, quam cum non aſſumpſerit Spiritusſanctus non erit eius aliqua proceſſio. Secundò numerata proceſsione, numeratur, & procedens,

ergo si duplex esset processio, duplex etiam esset Spiritussanctus quod est absurdum. Ad primum respondetur negando consequentiam, & vltimam illam similitudinem, siquidem generatio importat solummodo habitudinem ad terminum à quo; processio verò Spiritussancti habet habitudinem ad terminum à quo, & ad quem; habitudinem quidem realem ratione termini à quo; habitudinem verò secundùm dici, ratione termini ad quem; secundùm quod incipit ibi de nouo esse, non quia mutatio facta sit in persona diuina; sed quia temporale alio modo se habet ad illam personam, quàm antea se haberet. Contra processio Spiritussancti est sua spiratio, at sua spiratio non est, nec potest esse temporalis: ergo nec aliqua processio Spiritussancti. Respondetur, quòd processio & spiratio sunt idem secundùm rem, & differunt secundùm rationem, vnde spiratio non habet respectum, nisi ad terminum à quo; & ideo non potest esse temporalis, sed processio habet respectum ad vtrunq; terminum; & ratione termini ad quem dicitur temporalis. Sed contra adhuc, quia si sic est temporalis, sequeretur quod in Creatura procederet vbi non fuisset: verùm Spiritussanctus vbiq; est ratione suæ immensitatis: ergo non dabitur talis processio temporalis. Respondetur primò, quòd quamuis in Creatura semper fuerit Spiritussanctus, quia tamen Creatura non semper fuit; sed solùm in tẽpore: ideò temporalis est processio Spiritussancti in Creatura. Secundò dicitur, quòd in Creatura alio modo erat ante, alio modo post; nàm antea erat per modum causalitatis, deinde fuit per modum sanctificationis. Ad secundum respondetur, quod verum esset antecedẽs si multiplicaretur processio secundùm vnum modum tantum; sed dictum est, quod duobus modis fit ista processio, vno modo videlicet, vt in obiectum, alio modo vt in habitaculum. Contra esse in aliquo, sicut in habitaculum, dicit solummodo respectum secundùm rationem in Spiritusancto; ratione cuius nõ potest multiplicari processio Spiritussancti: ergo quãuis esset processio Spiritussancti in alio, sicut in habitaculo non deberet numerari cum altera processione. Respondetur, quòd respectus ille eo, quòd est secundùm rationem, non numerat subiectum, vnde non dicitur duplex Spiritussanctus; sed solummodo multiplicat modum procedendi, ideo dicitur duobus modis procedere.

LECTIO QVADRAGESIMA.

SPiritumſanctum temporaliter procedere à Patre,& filio,atq; proceſsionem huiuſmodi diſtinctam eſſe ratione termini ad quem,à proceſsione eiuſdem æterna;qua ſimiliter ab vtroq; pro cedit; ſuperiori lectione accepimus. Nunc pro intelligentia eorum, quæ videnda reſtant in diſtinctione 14. duo accuratè di ſputabimus. Quorum primum erit,an quando temporaliter pro cedit Spiritusſanctus ad ſanctificandam Creaturam, detur nobis ipſemet Spiritusſanctus an dona eius. Alterum verò erit, an Spi ritusſanctus à ſanctis Viris,alijs hominibus dari poſsit.hęc enim duo facit Magiſter in hac ſecunda parte huius diſtinctionis. Et de primo dicit, quòd exiſtimarunt aliqui Spiritumſanctum per-ſonaliter non dari, ſed tantùm dona eius, quoniam adduci non poterant, vt crederent, Deum Optimum Maximum infinitum, & incircunſcriptibilem in anima fidelium contineri poſſe; vnde dicebant aliud eſſe Deum recipi, & aliud Deum operari in Cor dibus noſtris; primum negabant,& concedebant ſecundum.ipſe tamen oppoſitum oſtendit, & docet; primò per illud Pauli ad Rom. Cap. 5. vbi dicitur, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritumſanctum qui datus eſt nobis. Præterea au-thoritate D. Auguſtini dicentis, quod Deus Pater dat nobis do num ſibi æquale: vbi etiam addit, quòd Spiritusſanctus non eſt minor Patre, nec filio;ſicut olim à quibuſdam dictum fuit. Am-plius, quando Dominus noſter Chriſtus in Apoſtolos inſuflauit dicendo. Accipite Spiritumſanctum &c. nonnè apertè conſtat, tunc verè, & perſonaliter datum eſſe Spiritumſanctum? Præte-rea, quando verbum diuinum carnem aſſumpſit humanam non eſt dubitãdum,quòd in illius anima ſanctiſsima habitabat verbũ diuinum; & plenitudo Patris, & plenitudo Spiritusſancti erat in ipſo. Et quarè Spiritusſanctus eſt Amor? quarè habet rationem doni niſi quia datur? non ergo dubitandum eſt, quin Spiritusſan ctus in animabus fidelium inhabitet: ſiquidem nõ ſic Deus men ti noſtrę illabitur,quod imperficiatur;vel contineatur,ità vt clau datur loco. Quarè dicendum eſt, quod dantur quidem dona Spi ritusſancti verùm etiam, datur, & donatur ipſemet Spiritusſan-ctus. quòd hac ratione velut Epilogo eorum, quæ dicta ſunt, ve

lim esse perfectè conclusũ, Ita Spiritussanctus mittitur, & datur sicut in sacra scriptura, secũdùm expositionẽ sanctorũ Doctorum mitti, & dari manifestè affirmatur: sed in sacra scriptura manifestè affirmatur dari Spiritumsanctũ, simul cũ eius donis: ergo ipsemet in persona datur, & nõ tãtùm eius dona. quo in loco animaduertatis, quòd non semper cũ donis Spiritussancti datur ipsemet Spiritussanctus: quia possunt dari gratiæ gratis datæ, & vniuersaliter eius dona sine persona Spiritussancti: ipsa tamẽ persona Spiritussancti nunquã datur sine donis gratum facientibus. Verùm (vt clarius intelligatis, quomodo detur nobis personaliter Spiritussanctus) animaduertatis velim quod dare Spiritumsanctum rationali, siue intellectuali Creaturæ, non est aliud, quàm facere, quod illa Creatura habeat facultatem ad fruendum Spiritusancto: vt optimè exponit Ricardus de media villa, distinctione 14. q. prima: nam vt præterita lectione dicebamus Spiritumsanctum temporaliter in nobis procedere, relationem realem dicit in nobis, sed in Spiritusancto est relatio rationis tantùm. Quamobrem cùm Spiritussanctus sit vbiq; semper, dicitur temporaliter & de nouo procedere in nobis non per aliquam sui mutationem, sed per nouam relationẽ; quam habemus nos ad ipsum; vnde quamuis semper sit in nobis, dicitur tamen tunc in nos procedere, quando ipso frui nobis est datum: quod tunc euenit, quando nobis donum charitatis infunditur. ergo Spiritussanctus in nobis dicitur procedere de nouo, nõ quia circa ipsum aliquid noui fiat; sed quia facit, quod Creatura, aliter se habeat ad ipsum quàm antea se haberet: ex eo autem, quòd nos ad ipsummet aliter nos habemus, ipse significatur se habere ad nos sub alio respectu. & hæc de primo proposito. Quantùm ad secundum notandum est; quod dare Spiritumsanctum potest dupliciter intelligi; vno modo authoritatiuè, & principaliter; alio modo secundariò, & instrumẽtaliter, siue ministerialiter. tunc breuiter dico cum Magistro, quòd Spiritussanctus primo modo nullo pacto dari, & conferri potest à quauis Creatura, quàmuis omni sanctitate redoleat. & Ratio est, quia tunc sequeretur, quod Creator à Creatura precederet. quo nil absurdius. siquidem Spiritussancti datio non est aliud, quàm Spiritussancti temporalis processio: vt supra monstrauimus. Et hæc est ratio Magistri in litera, dùm dicit, quòd viri sancti non possunt dare Spiritumsanctum

quia

quia Spirituſſanctus à Creatura procederet. quod confirmari poteſt ex eo, quòd nulla creatura dare poteſt gratiam gratum faciẽtem : quandoquidem non datur Spirituſſanctus ſine gratia gratum faciente, & confirmatur à Magiſtro ex eo, quòd in primitiua Eccleſia, quando vigebat, & florebat ſanctitas nunquàm legitur aliquem illorum dediſſe Spiritumſanctum, ſed benè legitur illos oraſſe, vt illi, quibus manus imponebant Spiritumſanctum reciperent : quarè ſequitur, quòd poſſunt homines ſecundò modo dicto, hoc eſt per modum miniſterij, & per orationem impetrando, dare Spiritumſanctum: quemadmodum etiam remittunt peccata non propria authoritate, nec per modum efficiẽtis, ſed per modum miniſterij ex diuina inſtitutione. Quamobrem cùm D. Paulus ad Galatas, ſe illis Spiritumſanctum tribuiſſe narrat; in calce huius diſtinctionis, dicit Magiſter intelligi debere ſecundo modo, & non primo : quia ſcilicet ad eius prædicationem datus fuit Spirituſſanctus. ergo poſſunt homines dici Miniſtri collationis Spirituſſancti ; ſed nunquam datores ipſius Spirituſſancti : quia hoc diuinam importat authoritatem.

DISTINCTIO DECIMA-QVINTA.

Spiritumſãctum etiam à ſeipſo tẽporaliter mitti
- Docet. A.
- Cõfirmat
  - Principaliter
    - Argumento. B.
    - Argumenti intelligentia
      - Exponẽdo filiũ temporaliter mitti
        - Ab alio videlicet
          - A Patre. C.
          - A Spirituſanćto. D.
        - A ſe
          - Viſibiliter. E.
          - Inuiſibiliter. F
      - Concludendo
        - Epilogo. G.
        - Solutione difficultatis. H.
  - Secundariò
    - Veritatem determinãdo
      - Dubitatione. I.
      - Solutione. K.
      - Declaratione. L.
      - Applicatione. M.
    - Dubitationem remouendo
      - Principalem. N.
      - Conſequentem. O.

LECTIO

LECTIO QVADRAGESIMAPRIMA.

HIc considerandum est &c. A. Proposita disputatione de temporali Spiritussancti processione, illud à Magistro superiori distinctione quærebatur quod partim hac etiam distinstione tractatur. Nam quæritur hic, An quando Spiritussanctus temporaliter procedit ad sanctificandas animas, à seipso mittatur; sicut distinctione præcedenti dictum fuit, quod à Patre, & filio temporaliter mittitur. Disputantes igitur adhuc de principio, à quo est temporalis processio Spiritussancti, dicimus cum Magistro, quod Pater, & filius non sunt totale principium, à quo mittitur ad nos Spiritussanctus: quandoquidem cum illis concurrit & Spiritussanctus. ità quòd ille idem est mittens, & missus. Sed statim occurrit duplex difficultas, quarum prima reuocat in dubium, An catholicè possit affirmari, Spiritumsanctum, qui est tertia persona in diuinis temporaliter mitti. Altera verò habet Spiritumsanctum à se nequaquam mitti posse. & colligitur hæc secunda dubitatio ex doctrina Magistri in vltima parte superioris distinctionis; vbi à sanctis Viris Spiritumsanctum dari non posse ex eo concludebat, quod ab ipsis non potest procedere: nàm, si vera est huiusmodi argumentatio, sequetur etiam à simili, quòd Spiritussanctus non possit à se mitti; quandò nec à se procedere potest: & tunc falsa erit doctrina Magistri in hac distinctione: quæ tamen à nullo Theologorum negatur. At maius sequitur inconueniens ex alia difficultate; qua euidẽter probari videtur Spiritumsanctũ etiam à Patre, & filio, conuenienter mitti non posse; tunc enim sequitur nullam pœnitus esse temporalem Spiritussancti missionem; quod sic deducitur, Dignitatis est non mitti, ergo ne in Spiritusancto indignitatem aliquam concedamus; negandum est omnino ipsam ab aliquo mitti. quod etiam valet de filio, quem tamen sæpè missum esse, & mitti, hac distinctione apertè monstratur. Antecedens autem dicti argumenti præterquamquod videtur facilè concedendum; vim tamen summam accipit ex D. Dionysio, qui in suo libro de Angelica Hierarchia habet, quod supremi Angeli non dicuntur mitti ratione suæ dignitatis. antequam igitur vlterius progrediamur, hæ difficultates sunt aperiendæ. Ratione

tione

tione autem huius proximè allatæ, quæ maximè vrgere videtur, ex Alexandro de Ales, & D. Bonauētura notanda est distinctio, qua, & sanctorum dicta, & Magistri doctrinam, nō pugnare percipitur: cùm enim missio translata sit à Creaturis in Deum; quia etiam de misterijs diuinarum personarum secundum nostrum modum loquendi sermonem habemus, remotis imperfectionibus, quæ eam naturaliter consequi videntur; à filio, & Spiritusancto non est vllo pacto neganda. Ideo sciendum est, quod cum omnis missio triplicem habeat habitudinem, videlicet, ad principium, ad terminum, & ad eum, qui mittitur; tantùm primis duobus modis rectè ponitur missio in diuinis: nàm sicut ille, qui mittitur eius principium respicit, vel tanquàm à quo recipit esse; vt radius solis ad solem se habet: vel tanquam à quo habet virtutem; vt sagitta perfodiendi vim à sagittante retinet: vel tanquam à quo agendi authoritatem recipit, vt nuncius ab Imperatore mittente. Sic ipsi filio in diuinis missio conuenit; quia esse, virtutem, & potestatem, & si quid aliud habet, relatiuo excepto, à Patre, ad quem refertur accepit. Similiter habito respectu ad terminum missionis; mitti conuenit ipsi filio, àc Spirituisancto; quia sicut ille, qui mittitur, debet in termino quiescere, in illo recipi, & ibi aliquid operari; vt lapis, qui in centro quiescit; munus, quod ab amico recipitur; & Angeli, qui ad nostram custodiam mittuntur: sic diuina persona, quæ mittitur ad nostrā vtilitatem in nobis quietatur; simul cum eius donis recipitur; & sanctificationem operatur. sed inquantum ille, qui mittitur, à loco dimouetur, à mittente separatur, & mittentis potestati subijcitur; sic negatur missio à diuinis personis. Quarè ad argumentum patet, quòd dictis imperfectionibus remotis, & filio, & Spirituisancto mitti conuenit: quia missio tunc temporis nullius est indignitatis. & si in Angelis dignitatis est non mitti, hoc ideò euenit, quia eorum missio absq; omni imperfectione esse non potest. Ad aliud argumentum, quod Magistrum accusabat, in eo, quod ponit Spiritumsanctum à seipso mitti, quando à se procedere non potest; quia eodem concluditur, Spiritusanctum temporalem Christi generationem non esse operatum; quia generationis æternæ operam dare non potuit; præuia distinctione personæ mittentis, & eius, quę mittitur: Respondeo vtranq; partem tueri posse; nempè quod diuina persona ab eo temporaliter procedat,

cedat, à quo æternaliter eſt producta; & quod etiam ab ea poſſit in tempore mitti; à qua æternaliter non proceſsit. Nam (vt optimè D. Thomas 1. p. q. 43. art. vltimo) ſi mittens, eius perſonæ, quæ mittitur principium deſignetur, profectò illi tantùm perſonæ mittere conueniet, cui generare, vel ſpirare conuenit. Quo quidem modo filius à Patre mittitur, & Spiritusſanctus à Patre, & filio. ſed ſi perſona mittens ſolùm intelligatur eſſe principium effectus, ſecundum quem attenditur miſsio, abſq; dubitatione aliqua perſonam miſſam tota Trinitas mittit. quo tamen modo Spiritumſanctum à ſanctis viris mitti non poſſe, ſupra dicebat Magiſter; quoniam nec ab ipſis, quantùm ad effectum gratiæ poteſt procedere. Nec debet aliquis inferre ergo Spiritusſanctus à ſe producitur, quia à ſe mitti, & procedere conceditur; niſi tamen verbum producere largè, ſiuè comuniter accipiatur. quoniam de vi ſermonis, produci, habitudinem ſolum dicit ad principium à quo eſt productio: & procedere vlterius reſpectũ habet ad terminum in quo recipitur perſona procedens, ratione cuius conceditur diuinam perſonam à ſe procedere, vel potius mitti; & negatur à ſe produci. Quarè veritas à Magiſtro, & à nobis præmiſſa, quod ſcilicet, Spiritusſanctus etiam à ſeipſo mittatur, quatenus Deus, ſicut & mittitur quatenus donum; conſtás, & ſtabilis manet. Atque confirmatur in Tex. ex eo, quòd Spiritumſanctum temporaliter mitti, opus eſt Dei ad extra; hoc eſt, habens reſpectum ad Creaturas: ratione cuius dicti ſciendũ eſt, quod opera ſanctiſsimæ Trinitatis ſunt duplicia, videlicet alia ad intra, ad extra alia. loquendo de operationibus, quæ ſunt ad intra, aliqua operatio eſt, quæ competit Patri, & non filio, vt generare; alia eſt, quę competit filio, & nõ patri, nec Spirituiſancto, vt generari: ſimiliter alia eſt, quæ conuenit Spirituiſancto, & nõ Patri, nec filio, vt ſpirari. ſed opera Dei ad extra omnia ſunt communia; vndè hoc habetur Axioma, quòd opera ſanctiſsimę Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. quod eſt dicere omnes tres perſonas ſimul, & ęqualiter cõcurrere ad illas operationes, quę non manẽt in ſinu ſanctiſsimę Trinitatis; Ex quo ſequitur Spiritũſanctũ à ſeipſo temporaliter mitti, quia videlicet, talis miſsio opus eſt Dei ad extra. Verùm dicet aliquis axioma illud aparare falſum, quoniam humanam ſibi vnire naturam, eſt opus Trinitatis ad extra; & tamen ſoli filio competit: non enim Pater, nec Spiritusſanctus

ſunt

sunt incarnati. similiter Spiritussanctus (vt sequenti distinctione videbimus) solus missus est visibiliter in specie columbæ; licet sit opus Trinitatis ad extra. Ideo not. est, quod in huiusmodi operibus ad extra, duo consideranda sunt efficientia, videlicet, & terminus illius operationis: & tunc dicitur, quod omnia opera ad extra communia sunt toti Trinitati quantùm ad efficiẽtiam; sed quantùm ad terminum potest esse, & de facto est, quod vni tantùm personæ aliquando conueniunt. Quarè ad propositum reuertentes, sic arguit Magister, Omnis operatio Dei est communis tribus personis, sed misio, & donatio Spiritussancti, est operatio Dei: ergo Spiritussancti misio non solùm Patri, & filio; sed etiam Spirituisancto conuenit. & confirmat deducendo ad inconueniens, quia scilicet, Spiritussanctus æqualis potentiæ non esset cum Patre, & filio, si seipsum dare non posset; quòd potest Pater, & filius. Valet autem hæc ratio, quia misio in diuinis operatio est essentialis: quę communis est tribus personis: & non notionalis, quæ personalis dicitur, quamuis misio, vt habet habitudinem ad quibus mittitur notionalis dici posit, quod tamen esset ex consequenti, & pro connotato; quia principaliter dicit essentiam: eo quòd misio, de rigore sermonis, magis habet ordinem, & respectum ad effectum siuè terminum, quàm ad principium à quo fit exitus. Præterea, quando in Euangelio Ioannis dicitur, quòd Spiritussanctus vbi vult spirat; certè potestas huiusmodi dandi seipsum à Spiritusancto, negari non debet. & hæc dicta sint pro prima parte distinctionis, quæ in eius primo Capite continetur.

LECTIO QVADRAGESIMASECVNDA.

N*E autem mireris, quod Spiritussanctus dicitur mitti vel procedere à se. &c.* B. Consilium Magistri in decimaquinta distinctione, quam præ manibus habemus; præcedenti lectione aperuimus; atque cum ipso Magistro comprobauimus; per illud D. Augustini axioma, quod est, quasi Theologorum tritum adagiũ; nempè, opera sanctisimæ Trinitatis ad extra esse indiuisa, & consequẽter communia: dicentes, Spiritumsanctum, vt donum à Patre, & filio mitti: quatenus verò Deus, à seipso simul cùm Patre, & filio temporaliter procedere. Nunc confirmanda est

huiusmodi veritas, vt facit Magister à secundo Cap. huius distin ctionis, vsque in finem illius; Nàm si quid aliud in ipsa traditur, per accidens omnino docetur, inquantum in gratiam præmissi propositi dicitur. Confirmatio sumitur per argumentum à simili hunc in modum; filius in diuinis non solùm à Patre missus est in mundum, sed etiam à Spiritusancto, & à seipso: ergo non mirandum, quòd etiam Spiritussanctus à Patre, & filio, & à se mittatur, & procedat. Antecedens huius rationis in septem sequentibus capitibus, sanctorum, & sacræ scripturæ pluribus authoritatibus, distinctè commonstratur: ostendendo, quod missio filij in carnem, & ad prædicandum, à Patre fuit, à Spiritusancto, & à seipso. Nàm (vt ex multis Ecclesiæ testimonijs, alterum adducã, & commemorem) Cùm dicitur per Apostolum ad Galatas Cap. 4. Misit Deus filium suum. patet, quod à Patre, à Spiritusancto, & à seipso est missus: quoniam, Deus, in huiusmodi propositione, pro tota Trinitate accipitur. quod etiam optimè deducit Magister, quia cum eò ipso missus sit filius, quo factum est ex muliere; hoc à Patre, non sine Spiritusancto factum esse constat. Et si aliquando dixit filius, A me ipso non veni, dixit etiam Exiui à Patre, & veni in mũdum. ideòq; illud intelligimus, vel quia à seipso tantùm non venit; vel quia secundùm humanitatem, ac vt homo tunc fuit loquutus: quo quidem modo à se procedere non potuit. Cum ergo (inquit Magister) filius à seipso, à Spiritusancto, & à Patre sit missus; à simili, Spiritumsanctum temporaliter missum esse, negari non debet. Quibus sic dictis & expositis, Magistri consilium hoc in loco satis, superq; notum esse poterat. Veruntamen ad abundantiorem doctrinam reliqua pars distinctionis apponitur; in qua de temporali processione filij, primùm veritatem determinat; præterea dubitationem remouet. Est autem veritas ex D. Augustino accepta quod filius præter æternam à Patre processionem (quam quoddam misterium vocat) duobus modis est missus, scilicet, visibiliter; quã do carnem assumpsit: & inuisibiliter; quando mentibus nostris illabitur, vt à nobis cognoscatur. de quarum prima dicitur apud Ioannem Cap. x. Exiui à Patre, & veni in mundum. de altera verò habetur in lib. sap. Cap. 9. Emitte illam de cœlo, vt mecum sit, & mecum laboret. Vnde colligit Magister, quod differunt ad inuicem hæ duæ missiones; & primùm in hoc, quod filius mis

sione

sione visibili missus est semel, & missione inuisibili missus est, & mittitur sæpè. Secundo differunt quia missione visibili missus est vt homo, missione inuisibili vt sit cum homine. Et hac missus est etiam ante incarnationem ad sanctos Angelos: illa verò solùm est missus in plenitudinis tempore, vt verbum fieret caro. Quarta differentia est, quod filius altera missione missus fuit in mundum, idest, sensibus nostris manifestus: Altera verò nõ propriè dicitur in mundo missus, quia ipsum recipientes extra mundum esse, àc supra illum eleuari dicuntur. Ex quibus, in calce distinctionis duo colligit Magister, primùm quod ex tribus personis diuinis solus pater est, qui nullo pacto mittitur: secundò, quòd Pater ob id non est maior filio, aut Spiritusancto. Ratio primi affertur à D. Thoma in 1. p. q. 43. 4. & ea est, quæ habetur à Magistro in litera, videlicet, quia in nomine missionis significatur etiam processio ab alio secundùm originem;ità vt ei tantùm personæ mitti conueniat, quæ ab alia originem semper habuit, quod æterno Patri, qui omnis emanationis, & missionis fons est, & author, omnino repugnat: Adeò quod nec etiam seipsum mittere dici conueniat; quia seipsum mittere est suã emanationem manifestare. Nam cùm dicitur, quod filius, & Spiritussanctus seipsos mittunt, sensus est, quod suam emanationem manifestant: sicut cùm dicitur, Pater mittit filium; sensus est, pater manifestat filij emanationem. quæ emanatio, cum Patri non conueniat, eam in se manifestare non potest. Quia tamen missio respectum habet ad terminum, & ad principium; respectu termini, idest Creaturæ, vtiq; Pater in eo est, quia in Creatura habitat per gratiam, sicut filius, & Spiritussanctus: quamuis non dicatur missus, quia fons est omnis deitatis. Vbi de inuisibili missione filij, & Spiritussancti, scire vos velim, quòd non mittuntur secundum eadem dona, nisi dona intelligatis radicaliter: quia sic est vna gratia gratum faciens, per quam inhabitat filius, & Spiritussanctus; quæ radix est donorum gratuitorum. Cum enim de ratione missionis (vt diximus) sit manifestatio, per diuersa dona dicuntur mitti; quia per diuersa manifestantur. Vnde filius communiter procedere dicitur in mentẽ per donum sapiẽtię, & Spiritussanctus per donum amoris: quia dona illuminatiua filio specialiter appropriantur, & dona affectiua siuè inflammatiua Spirituisancto. Quòd verò filius, & Spiritussanctus minores non

sint Patre; licet filius, & Spiritussanctus mittantur, & non Pater; patet ex dictis, & habetur in litera, ex Diuo Augustino acceptū: quia scilicet, datur missio in diuinis, quæ non inæqualitatem vel imparilitatem, aut dissimilitudinem dicit substantiæ; sed solùm mittentis authoritatem importat; & effectum in Creatura significat. Quarè mittitur filius, mittitur & Spiritussanctus, & visibiliter, & inuisibiliter; vterq; à se; vterq; à Patre; quia solus non mittitur; non quia maior, sed quia ab alio non procedit.

DISTINCTIO DECIMA-SEXTA.

Spiritumsanctum visibiliter missum esse.
- Docet
  - Proponendo. A.
  - Exequendo. B.
- Defendit
  - Remouendo difficultatem. C.
  - Exponendo
    - Dictum de filio. D.
    - Dictum de Patre. E.

LECTIO QVADRAGESIMATERTIA.

CVm in superiori distinctione, de temporali missione filij, in gratiam eorum quæ de Spiritusancto dicebantur, tractationem fecisset Magister: In hac distinctione 16. ad rem redit, sermonemq; suum continuans inquit. *Nunc de Spiritusancto videndum est, præter illam ineffabilem, & æternam processionem, qua procedit à Patre, & filio, & non à seipso; quæ sit eius temporalis processio, quæ dicitur missio, siue datio*. Per quæ verba, propositum suum apertè indicat, quod est modum considerare, quo à tota Trinitate temporaliter procedit, vel mittitur Spiritussanctus. Sed antequàm probationem suam, & doctrinam introducat, modum hunc duplicem esse proponit; visibilem scilicet, & inuisibilem. Præterea iuxtà ordinem doctrinæ, qui est

à notioribus nobis ad notiora natura, modum visibilem inuisibili præmittit. Et duo facit, quia primùm, quæ, & quid sit visibilis Spiritussancti missio docet; secundò difficultates aliquas consequentes remouendo, præmissam veritatem qudammodo tutatur. Modò circa primam partem, quæ præsentis est lectionis, Quatuor breuiter animaduerto, videlicet, quando, quibus, quomodo, & propter quid facta sit visibilis missio Spiritussancti: eo quoniã his cognitis cognoscitur & propositum. Igitur quan tùm ad primum, quoniam Ecclesia triplici tempore distingitur, videlicet, Naturæ, legis, & Euangelij; dicimus quod facta est visibilis, & temporalis missio Spiritussancti in exordio nascentis Ecclesiæ: in tempore. s. Euangelij. sed quarè non fit etiã nunc ista visibilis missio; nec prius facta fuit? Respondetur, quòd non fit hoc tempore, quoniam non est necesse: quia videlicet, tem pus est colligendi, & non seminandi, ideo facta fuit huiusmodi apparitio in initio surgentis Ecclesiæ, quando Apostoli prædica re cœperunt; quia tunc tempus erat seminandi: ante verò facta non fuit, quoniam vt dicitur à D. Paulo, lex per Moysem facta est, gratia verò per Christum. Vnde cùm missio huiusmodi significaret abundantiam gratiæ; tempore Christi, & non antea, fieri debebat. Facta est autem particularis missio Spiritussancti, primò in Baptismate Christi; secundariò in eiusdem transfiguratione; tertiò in Apostolos per insufflationem Christi post eius Resurrectionem; quarto super eosdem Apostolos in die sancto Pẽtecostes, die videlicet 50. à Resurrectione, & 10. post Ascensionem. ergo facta est visibilis missio Spiritussancti, quando debuit multiplicare Ecclesia. & sic explicatum est cum primo, etiã secundum Caput, videlicet cùm dictum est, quibus facta sit missio Spiritussancti, vt Christo, & Apostolis. Quantùm ad tertium quomodo, scilicet facta sit hæc visibilis missio, notare debetis quòd quælibet species, in qua legimus Spiritumsanctum vi sibiliter fuisse missum, fuit verè res corporalis, vnde sensu particulari potuit apprehendi; ideo flatus, Columba, & ignis, in quibus missus est Spiritussanctus, fuerũt verè res Corporales; ta men Colũba non fuit verè Colũba, nec ille Ignis verè Ignis; quã uis flatus verè flatus fuerit. Quamobrẽ illę species verè Corpora lés fueũrt in similitudinem Columbæ, & in similitudinem Ignis. quæ formatæ fuerunt à Deo mediantè ministerio Angelorum; & per-

& peracto officio in pristinam materiam sunt reuersę:nec tamen fuit ibi aliqua fictio, quia similitudo, putà Columbæ non ostendebatur ad manifestandam aliquam veritatem in ipsa Columba; sed ad manifestandas proprietates inuisibilis missionis. quarè non fuit ibi aliqua falsitas: sicut loquens per methaphoricas locutiones non mentitur; quia non intendit sua locutione ducere in res, quæ significantur; sed in illas, quarum illæ res significatæ per nomina similitudinem habent: facta est ergo huiusmodi visibilis missio, per res corporales, ministerio Angelorum administratas. sed propter quid? hoc est vltimum Caput propositum, de quo dicimus, quod facta est visibilis missio ad Christum in Baptismate eius; ad significandam redundantiam gratiæ ipsius in nos, per modum operationis: ipse enim nihil accipiens à Baptismatè, tactu suæ mundissimæ Carnis, vim regenerandi contulit aquis, efficienter vt Deus, & meritoriè vt homo. Apparuit autem secundò Spiritussanctus super Christum in nube lucida, cuius est lumen spargere; ad insinuandam redundantiam gratiæ ex ipso,in alios,per modum doctrinæ: quod fuit in transfiguratione eius; ideo audita fuit vox patris dicentis. Ipsum audite. Apostolis verò fuit facta visibilis missio Spiritussancti primò in specie flatus, ad significandam redundantiam gratię ex ipsis per modum operationis, in administratione sacramentorum; Ideo tunc illis dictum fuit, Quorum remiseritis peccata &c. Iterum verò facta est ad Apostolos visibilis missio Spiritussancti in linguis Igneis, ad insinuandam redundantiam gratiæ per modum doctrinæ: vt videlicet, Verbis essent proflui, & charitate feruidi. Quarè vniuersaliter facta est visibilis missio Spiritussancti ad ostendendam certitudinaliter abundantiam redundantiæ gratiæ, factam esse. Secundò vt intelligamus verè plantatam esse Dei vineam, idest, Ecclesiam. Tertiò vt imperfecti, qui sunt in Ecclesia, qui non perfectè gaudent interna spiratione, per signa visibilia in fide firmarentur. Denique (& hæc erit ratio duplicis missionis dictæ) quia in homine corpus est, & anima; atq; dùm viuit meretur, & demeretur; sicut debet puniri in corpus, & animam, si demeretur, post diem Iudicij; ità significatum est, quòd si meretur, debet beari ex parte animæ, vt significatur missione inuisibili Spiritussancti; & debet beari ex parte Corporis, vt significatur visibili missione Spiritussancti. sicut

etiam

etiam eadem ratione, dicuntur ſacramenta in ſpecie viſibili eſſe conſtituta. ſed quarè Chriſto apparuit Spirituſſanctus in ſpecie totius cuiuſdam Animalis, Apoſtolis verò in ſpecie partis Animalis? Reſpondetur, quod cùm Chriſtus ſit primum fundamentum Eccleſiæ, ex ſua authoritate, iurè in toto, & integro Animali Spirituſſanctus eſt miſſus. Quia verò Apoſtoli ſunt fundamentum ſecundarium deuotionis ſcilicet, & authoritatis ſuperogatæ, & condonatæ; ideo in parte Animalis miſſus eſt illis Spirituſſanctus. Ex quibus omnibus pro prima parte diſtinctionis velim eſſe concluſum, quòd viſibilis miſsio Spirituſſancti non fuit, niſi quædam ipſius apparentia, vel manifeſtatio in corporali Creatura, in qua fuit Spirituſſanctus ſicut in ſigno. hoc eſt ad ſignificandum, quod Spirituſſanctus in illis erat hominibus, ad quos dictæ Creaturæ miſſæ fuerant.

LECTIO QVADRAGESIMAQVARTA.

SEd *prius quærendum eſt &c.* C. Hæc eſt altera pars diſtinctionis 16. quæ omninò ad defenſionem primæ partis, ſiuè ad maiorem eius intelligentiam, fuit appoſita: ſiquidem illud præſtat, & continet, quod reſponderi debet dubitanti An miſsio in diuinis diſparitatem aliquam, vel inæqualitatem importet, inter perſonas miſsionem agentes, & eas, quæ mittuntur. Ad cuius rei notitiam, in vniuerſum, quædam ſunt memoria repetenda; & Primùm, quod cùm dicebamus de ratione viſibilis miſsionis diuinarum perſonarum eſſe manifeſtationem, ſimul (vt partim expoſuimus) emanationem æternam, in habitationem, & apparitionem debemus intelligere: manifeſtatio enim, quæ non eſt aliud, quàm cognitio miſsionis filij, vel Spirituſſancti reſpectu emanationis, inhabitationiſq; eiuſdem diuinæ perſonæ, manifeſtatio dicitur. Cum enim (vt prius accepimus) Deus ſit vbiq; & eius perſonæ tantùm ſit mitti, cuius eſt æterna emanatio; in temporali miſsione manifeſtatio, emanationem perſonæ, quæ mittitur; & inhabitationem gratiæ in eo, ad quem ſit miſsio, manifeſtare dicitur: quibus accedit apparitio, quæ ſit per aliquod viſibile ſignum, vbi ſit viſibilis miſsio. Vndè rectè inquit D. Bonauentura, quod viſibilis miſsio, de qua loquimur Apparitio eſt manifeſtans perſonæ emanantis inhabitationem. Secundò ſimiliter ad


ter ad memoriam eſt reuocandum, quòd manifeſtatio in diuina miſsione duo importat,& concernit; Alterum eſt manifeſtationis efficientia, & Alterum eſt illud, quod manifeſtatur, nempè perſona,quæ mittitur,quę terminus eſt manifeſtationis. Ex hoc enim facilè percipitur, quomodo tota Trinitas diuinam miſsionem operatur; & tamen ſingula miſsione, vna tantùm perſona mittitur. atq; patet proceſsionem æternam filij à Patre, & Spiritusſancti ab vtroq; miſsionem dici non debere; ſed communiter emanationem,quam iu diuina miſsione ſupponi dicebamus, D. Auguſtino dicente, Non eo, quòd de Patre natus eſt,dicitur filius miſſus: cuius ratio eſſe poteſt, quia miſsio manifeſtationē includit,quę nouum dicit modum exiſtendi: vnde omnis miſsio temporalis dicitur, quamuis hæc diuinarum perſonarum, idem ſit eſſentialiter,quod earum ęterna proceſsio,excepto reſpectu, quem addit temporalis miſsio ad temporalem effectum. ſicut etiam miſsio viſibilis alia non eſt eſsētialiter ab inuiſibili miſsione Spiritusſancti: licèt rationem manifeſtationis, per inuiſibile ſignum addat. Et hoc diligenter à vobis eſt annotandum; tùm quòd vniuerſam hanc tractationem elucidat; tùm quia in nullo expoſitorum (niſallor) facilius explicatum inuenietis. Tertiò, & vltimò illud vos oportet meminiſſe,quod in tertio ſententiarum habitum eſt à magiſtro, quod eſt principale miſterium redemptionis noſtræ, videlicet filium Dei naturam humanam aſſumpſiſſe in vnitate ſuppoſiti: Sicut felicisſimè dicimus in Symbolo,& Incarnatus eſt de Spiritusſancto,natus ex Maria Virgine, & homo factus eſt. In hoc enim conſiſtit differentia, quæ inter viſibilem miſsionem filij, & viſibilem miſsionem Spiritusſancti intercedit: quia ſcilicet viſibilis miſsio filij, ſic ſe habet,quod filius Dei viſibilem creaturam, quæ fuit natura humana, in qua viſibilis apparuit, in vnitate perſonæ aſſumpſit: non amplius dimittēdam. ità quod ad eam ſe habuerit non ſolùm vt per quod, vel in quo oſtenderetur filij miſsio; ſed etiam, vt ad quod facta fuit dicta miſsio. At in miſsione viſibili Spiritusſancti, Creatura viſibilis non ſe habuit vt ad quod facta fuit miſsio; ſed ſolùm vt in quo,vel per quod ad alios facta eſt miſsio: hoc eſt,vt oſtendens miſsionem: & ideo erat in illa Creatura Spiritusſanctus vt in ſigno. nō quidem quod eſſet ſignum abſolutè, ſignificans Dei eſſentiam,& bonitatem: quia ſic omnia creata, Dei dicuntur ſigna;

gna; sed signum specialiter institutum ad significandum Spiritũsanctum nouo quodam modo esse in eo, ad quem facta erat illius misio. Quo quidem modo, nec sacramenta nostra possunt dici signa; tùm quòd per sacramenta non significatur necessariò præsentia diuinæ gratiæ in suscipiente illa, quia sacramentorum causalitas quandoq; impeditur, & per tale signum misionis Spiritussancti necessariò significatur: quia omnes, ad quos visibilis misio facta est, gratiam habebant. Tùm quia Sacramenta sunt signa gratiæ, non ad tempus, vt illæ creaturæ, in quibus facta est visibilis misio: sed semper gratiam significant. Præterquàm quòd significant, & causant: Creaturæ verò assumptæ in misione Spiritussancti, ministerio Angelorum, significabant solùm. Modò ex his facilè Respõdetur ad difficultatem à Magistro propositam, dicendo quod filius Dei ratione suæ misionis dicitur, & est minor Patre, non vt Deus, sed vt homo. Nàm quia homo est minor Deo, & filius Dei est verè homo, per vnionem naturæ humanæ cùm diuina: ideò filius Dei dicitur minor Patre. Nec sequitur ergo similiter Spiritussanctus erit minor Patre, ratione suæ misionis, & Creaturarum, in quibus visibilis apparuit: quia Spiritussanctus non est factus Columba, vel Ignis, in quibus signis apparuit, sicut filius Dei factus est homo. propter quod (vt addit Magister) adhuc filius Dei minor dicitur ipso Spiritussancto: atq; etiam minor Angelis; Imò (quod fortè maiorem scrupulum facit) est minor seipso. Quod tamen non est imposibile, nec absurdum consideratis duabus naturis, quæ sunt in ipso Christo. Nàm vt homo est minor seipso Deo, cùm Deus sit, & homo. Angelis verò dicitur minor filius Dei, vt homo simpliciter: quia natura Angelica nobilior est humana: non tamen absolutè, vt talis homo; & hoc non solum ratione vnionis, sed etiã ratione gratiæ, & gloriæ collatæ animæ Christi: propter quæ etiã Beata Virgo exaltata est super Choros Angelorũ. quamuis Christus, vt talis homo, Angelis dicitur minoratus paulominus, propter Corporis pasionem, quæ paulo post in statum honoris, & gloriæ conuersa fuit. sed restat adhuc alia difficultas habita à Magistro in vltimo Cap. huius distinctionis; Eaq; est, quòd ex Hilario habetur patrem in diuinis esse maiorem filio, filium tamen non è contra minorem patre. Nàm duplex videtur sequi inconueniens. Alterum, quod Pater sit melior filio; quia in spi-

ritualibus, & potiſsimùm in Deo, idem eſt eſſe maior, quòd melior. Alterum, quod deſtruatur natura relatiuorum, dum comparatiuum non refert ad ſuum poſitiuum: negando illud eſſe minus quo aliud eſt maius. Vt igitur hæc tollantur, ad primum dicitur, quod maius, & minus poſſunt accipi dupliciter, hoc eſt eſſentialiter, & notionaliter: quod eſt idem àc propriè, & impropriè. & tunc ad argumentum Reſpondetur quòd pater certè melior eſſet filio, ſi maior diceretur primo modo. ſed quia ſecundo modo dicitur maior non ſequitur, niſi, quòd in Patre ſunt plures notiones, quàm in filio. Ex quo etiam dicitur ad ſecundum, quod quia innaſcibilitas in Patre non habet correſpondentem notionẽ in filio, ideo filius non dicitur minor Patre, quàmuis Pater dicatur maior filio. Rectius tamen dicit D. Bonauentura, quod pater eſt maior filio ratione authoritatis, quia ſcilicet eſt principium, filius verò eſt principium, à principio, vnde, quia Spiritusſanctus nullius perſonæ eſt principium, ideo non comparatur eis ſecundum authoritatem. Et cum ſecundò dicebatur, quod ſi pater dicitur maior filio, quia habet authoritatem ſupra filium; ſimiliter filius debet dici minor patre, quia habet ſubauthoritatẽ reſpectù Patris, Reſpondet D. Bonauentura, quòd nihil impedit, quarè filius non dicatur minor Patre ratione ſubauthoritatis; niſi quia nominibus, quæ indignitatem ſonant, vti nõ debemus, dùm loquimur de diuinis; ne etiã cum hæreticis conuenire videamur. vndè quamuis Patri à Sanctis attribuatur authoritas, filio tamen ſubauthoritas nõ eſt attributa; niſi per abuſum loquentium, & diſputantium. Quæ reſponſio, ſic facilè exponitur à D. Thoma. Cùm hic ſermo ſit de maioritate, quæ conſiſtit in ratione principij, & eius quod eſt à principio; ſiuè in ratione dantis, & recipientis. Notandum eſt (inquit D. Thomas) quòd dans, & recipiens poſſunt cõparari dupliciter. vel quãtùm ad id, quod datur, vel quantùm ad rationem dationis: tunc dicit, quòd primo modo pater non eſt maior filio, nec filius è contra minor patre. quia filius tantum recipit, quantum eſt in patre: at ſecundo modo, quia dignior ſemper dicitur dans, quam recipiens; ideo pater dicitur maior, nec tamen filius dicitur minor; quia perfectè recipit quicquid pater habet. & ſit pateant, quæ habentur in ſextadecima diſtinctione.

DISTIN-

DISTINCTIO DECIMASEPTIMA.



LECTIO QVADRAGESIMAQVINTA.

I*Am nunc accedamus ad significandam missionem Spiritussancti. &c.* A. Fateor æquidem, quòd inter ea, quæ disputata sunt à Magistro sententiarum hucusq;, nulla inuenitur distinctio ità discussa, sic diligenter determinata, & tot confirmata authoritatibus, sicut ista 17. quam modò exponẽdam aggredimur.

Siquidem adeò grauiter, & copiosè suam proponit sententiam, àc tutatur, vt nihil supra: & tamen lapsus est hic Magister, vt sæpè euenit, quãdo magis laboramus; eò quòd nitimur in vetitum. Nos igitur vt errorem subterfugere, & veritatem consequi valeamus, plurimum temporis in hac distinctione consumpsisse nõ pœnitebit. Cùm autem ex his, quæ diximus in exordio disputationis huius de Spiritussancto, consilium, & continuatio huius partis iàm sint manifesta; quia scilicet, de inuisibili missione Spiritussancti agitur, postquàm superius de eiusdem visibili est disputatum: statim ad diuisionem accedo, àc in duas partes principales totam hanc distinctionem secerno. Nàm in priori parte suam proponit sententiã, & demonstrat; in altera eandem contra oppositum sentientes defendendo, nobis persuadere conatur: & quantùm ad primum volens Magister nos docere quomodo Spiritussanctus inuisibiliter mittatur ad vnumquemq; hominem sanctificandum, inquit hoc non posse facilè à nobis percipi, nisi prӕintelligatur hoc vnum, videlicet. quòd Amor, & charitas, qua diligimus Deum, & proximum est ipsemet Spiritussanctus. Quamobrem totus est in hoc vt ostendat charitatem esse Spiritumsanctum, & ipsum Spiritumsanctum tunc inuisibiliter mitti, quando facit nos diligere Deum, & proximum. Ad quod probandum duo præmittit Magister, quorum primum iàm est definitum in quodam articulo Parisiensis; videlicet, quòd Spiritussanctus est Amor Patris, & filij, quo se inuicem diligũt, & nos. Alterum quod præmittit ex proprio ingenio addit, & est, quòd ipse Spiritussanctus sit etiam charitas, qua nos diligimus Deum, & proximum. Ex quo fundamento benè deducitur conclusio ab eo proposita scilicet, quòd tunc inuisibiliter mittitur Spiritussanctus quando facit nos diligere Deum, & proximum. & sequitur etiam (vt ipse colligit) quod qui dilectionem diligit, qua diligitur Deus, & proximus, Deum necessariò diligit: quia Deus dilectio est. Primum suppositum tanquam manifestum accipitur ex distinctione decimasecũda vbi ostẽsum est, quòd Spiritussãctus producitur per modũ amoris, & quod Spiritussanctus est amor Patris, & filij. sicut est sententia D. Hieronymi, super psalmus 14. dicentis. Spiritussanctus non est pater, nec filius; sed est dilectio, quam habet Pater in filium; & filius in Patrem. Alterum verò suppositum pluribus authoritatibus demonstratur à Magistro.

Magiſtro. quibus primùm concluditur, quòd dilectio in nobis eſt Deus, & deinde quòd appropriatè eſt Spirituſſanctus: eſt.n. Deus dilectio, qua diligimus proximum: quia (inquit) per D. Auguſtinum qui diligit proximum, dilectionem diligit; & qui in dilectione manet, in Deo manere dicitur. Appropriatè autem eſt Spirituſſanctus, quia (addit Magiſter) Spirituſſanctus propriè in Trinitate dilectio, vel charitas dicitur: & poteſt ſic formari ratio ex dictis D. Auguſtini. Inter dona Dei maius donũ eſt charitas; ſed nullũ eſt maius donũ ipſo Spirituſancto: ergo Spirituſsãctus eſt charitas. & quia potuiſſet Aduerſarius dicere, quòd dictũ illud Ioannis Deus charitas eſt. intelligitur per cauſam, & non formaliter: ſicut exponitur illud Prophetæ, Deus eſt fortitudo mea, & patientia mea, ideſt, cauſat in me fortitudinem, & patientiam. Occurrit Magiſter huic tacitæ obiectioni, dicendo quod dictum Apoſtoli omnino eſſentialiter debet accipi, & non per cauſam, quia non legimus Deus eſt charitas mea, ſicut habemus à Propheta dictũ, Deus eſt fortitudo mea, & patientia mea: ſed abſolute dicit Apoſtolus Deus charitas eſt. Quarè, concluditur à Magiſtro quòd charitas non eſt quid creatum, ſed eſt ipſemet Spirituſſanctus. Quod poteſt ſic confirmari. Omnis creatura eſt vanitas, ſed charitas non eſt vanitas, ergo nec eſt creatura. ergo creator, & Deus. Secundò nulla Creatura habet virtutem infinitam: ſed charitas virtutem habet infinitam, quia mouet per infinitam diſtantiam, dùm peccatores iuſtificat: ergo charitas (vt voluit Magiſter) non eſt quid creatum in anima, ſed eſt Spirituſſanctus mentem inhabitans. Quod tamen non ſic debetis intelligere, vt credatis Magiſtrum voluiſſe motum hunc dilectionis, quo diligimus eſſe Spiritumſanctũ; ſed ſolùm quod iſte motus immediatè eſt à Spirituſancto, & non mediantè aliquo habitu. ſicut eſt de alijs motibus virtutum, vt motus fidei ab habitu fidei, & motus ſpei ab habitu ſpei, quia per eorum habitus mouemur ad operandum ſecundùm illos habitus: quod ſic euenire de charitate negat, quia vult quod moueamur ad diligendũ Deum & proximũ per Spiritumſanctũ; & nõ habitu aliquo creato. Sed iſta opinio tollit meritum, & facit dilectionẽ non eſſe voluntariam, quia ab alio, hoc eſt, à Spirituſancto voluntatem dicit moueri; continet contradictoria, & ſapit hæreſim; quia Pelagionis dicentibus noſtrum liberum arbitrium ſe habere vt ſerra in

ia in manu Artificis, fauère videtur. ideò teneri non debet. Imò licet Deus potentia eius absoluta posſit nobis dare habitum increatum, quia ſic poteſt acceptare naturam beatificabilem in puris actibus naturalibus exiſtentem, àc ſi eſſet ſub merito; tamen potentia Dei ordinata fieri nequit. & ſic impoſsibilis dicitur dicta poſitio. Quod etiam ratione ſumpta à iuſtificatione peccatoris hunc in modum oſtenditur. Habet ſacroſancta ſcriptura quod peccator ante pœnitentiam eſt iniuſtus, & poſtea iuſtus. ſed iniuſtitia eſt formaliter principium. ergo auferri non poteſt ab aliquo, niſi detur ei habitus oppoſitus, qui eſt habitus charitatis. ſimiliter peccator ante pœnitentiam indignus eſt vita æterna, qua deinde dignus eſt, conuenienti pœnitentia facta: ſed non eſt dignus, niſi per aliquod formaliter ſibi inherens, ergo oportet in eo eſſe habitum creatum: ergo talis nõ erit Spirituſſanctus. Tunc reſpondetur ad rationes oppoſitas, & primùm cùm ex D. Auguſtino argumentabatur, Qui proximum diligit conſequens eſt, vt ipſam dilectionem diligat; ſed Deus eſt dilectio, &c. Dicitur quod argumentum non concludit propoſitum, quia in maiori propoſitione loquitur de dilectione participata, & in minori de dilectione per eſſentiam, quæ Deus eſt. Nec inferendum ergo malè arguit Auguſtinus, quoniam ipſe ſolùm probare intendebat in dilectione proximi, dilectionem Dei contineri. ſicut dicitur, & verè res ſic habet, quòd, qui diligit proximum legem adimpleuit. Vnde eius ratio ſic poterat formari. Qui diligit dilectionem participatam, diligit etiam dilectionem per eſſentiam, quæ Deus eſt: ſed qui diligit proximum, dilectionem diligit participatam: ergo qui diligit proximum etiam dilectionem diligit per eſſentiam. & ſic patet etiam per D. Auguſtinum quod illud, quo formaliter diligimus non eſt dilectio per eſſentiam, ideòq; Ad argumentum dicitur. quod Charitas eſt maius donum inter dona creata, & Spirituſſanctus eſt donum increatum, & increata charitas. Et quamuis charitas inquantum eſt ex nihilo poſsit dici vanitas (vt tertio loco pro Magiſtro argumentabamur) inquantum tamen procedit à Deo, vt ſimilitudo ipſius non eſt vanitas, ſed rationem habet coniungendi nos ipſi Deo. Ad aliud reſpondetur, quòd cum efficientia formæ ſit ſecundum virtutem agentis inducẽtis formam, charitas potius infinitatem Dei, demonſtrat, quàm quod ipſa ſit infinita. Deus enim eſt, qui vt effi-

vt efficiés, facit de peccatore iustum, & ille est virtutis infinitæ. charitas igitur, qua diligimus Deum, & proximum, non est virtutis infinitæ, & ideò non est Deus vt dixit Magister, sed habitus est creatus in anima. vt fortè in sequenti magis declarabitur.

LECTIO QVADRAGESIMASEXTA.

QVoniam Magister à Theologis communiter non tenetur in eo, quod dicebat charitatem, qua diligimus Deum, & proximum esse Spiritumsanctum; ideò huiusmodi dictum errorem esse superiori lectione monstrauimus. Nunc autem eodem reuoluentes, animaduertimus Magistrum à D. Bonauentura defendi, quasi dixerit Spiritumsanctum id esse, quo effectiuè diligimus; cùm præsertim in eius secundo lib. distinctione 28. Pelagium negantem charitatis necessitatem ad actum meritorium, impugnauerit. Et cum Francisco de Mayrone, hoc in loco q. prima dicimus, quòd Magistri opinio non est erronea, loquendo de potentia absoluta Dei; quia quicquid potest Deus facere mediante causa secunda, potest etiam se solo, & sine ea facere, in genere causę efficientis. Vnde sicut mediante charitate facit Deus aliquem vita æterna dignum, sic eundem absq; charitate existentem, saluare potest. Hoc enim contradictionem non implicat. & est ratio communis, quia circa operationes imanentes potest fieri transitus de non esse in esse; & de contradictorio ad contradictorium ex parte obiecti, sine mutatione in obiecto: loquendo de mutatione reali & substantiua: quia mutatio rationis, & obiectiua negari non potest. & sic voluntas nostra sine mutatione facta circa obiectum, quod prius odio habebat, potest illud sponte diligere. Quamobrem si in hoc sensu loquutus esset Magister tueri posset. Sed si intelligit omnem charitatis habitum inclinantem, & operantem auferre, fallitur: quoniam secundum ordinatam Dei potentiam, datur habitus charitatis, qui est quid creatum in anima nostra (vt superiori lectione docebamus) cui nunc addimus, hoc tale creatum in anima nihil aliud esse, quam quoddam accidens. quod ex duobus fit manifestum; nempè animæ nostræ aduenit post eius esse completum; & illi aduenit, vt forma inhærens: perficit enim ipsam ad esse gratiæ. vndè necessariò sequitur, quòd sit accidens: Non tamen huiusmodi quod

causetur ex principijs speciei, vt propriæ passiones, quæ consequuntur totam speciem: nec tale quod fluat ex principijs indiuidui, vt sunt communia consequentia principia naturalia, indiuidua: nec etiam sicut illa, quæ per violentiam inducuntur in subiecto; quæ repugnātia sunt principijs subiecti; vt calor in aqua. Sed est charitas in anima ab extrinseco, sicut illa accidentia ab alio proueniunt, non repugnantia principijs subiecti: sed magis perficientia ipsa: sicut lumen in Aere. & agit in anima formaliter, secundùm quod forma est; & nullo modo vt efficiens. Atq; etiam est melior anima, & nobilior: non simpliciter, quia sic prę stantius est subiectum accidente; sed tantùm secundùm quid; in quantum se habet ad subiectum vt actus ad potentiam; quamuis non benè comparentur ad inuicem anima nostra, & ipsa charitas, quia bonitas earum est diuersa: quando charitas est bona, quia ordinat in finem; & anima est bona, quia ordinatur in finem. & hæc dicta sint de charitate, quantùm ad eius esse. Nunc, quia habet Magister in principio tertij Cap. quòd oportet nos diligere dilectionem: dicente D. Augustino, Qui proximum diligit consequens est, vt ipsam præcipuè dilectionem diligat. Scire debetis, quod triplex est dilectio; & tripliciter etiā diligere contingit. Dilectio vno modo est Spiritussanctus, dilectio videlicet increata: alio modò est habitus in anima: tertio modo est actus dilectionis ab anima proueniens. Diligere similiter contingit amore amicitiæ, quo bonum alteri exoptamus: Amore concupiscentiæ, quo nobis aliquid concupiscimus; & Amore complacentiæ, quo requiescimus, & delectamur in re desiderata, dùm præsens est. Amplius, distinguendum est de modo diligendi, secundùm quod aliquid est diligibile, vel vt ratio dilectionis, vel vt obiectum dilectionis: sicut color videtur vt obiectum, & lumen vt ratio, per quam color est visibilis in actu. Et tunc dicitur quod quocunq; modo accepta dilectione, iuxta primam diuisionem, semper potest diligi vt obiectum, vel vt ratio dilectionis. Diligitur quidem dilectio vt ratio dilectionis; quando diligimus proximum, vt in ipso Deus inhabitat, vt habitum dilectionis habet, & actum exercet. Si verò consideratur dilectio in se, tunc diligitur vt obiectum. Sed quo amore? Respondetur, quod accipiendo dilectionem pro illa increata, quæ Deus est, diligitur dilectio ex charitate, & omnibus dictis tribus modis. At si dilectio

dilectio, de qua quæritur sit charitatis habitus, vel actus; non potest diligi dilectione amicitiæ, vel beneuolentiæ; quia talis inanimatorum esse non potest. Sed diligitur amore concupiscentiæ; inquantum huiusmodi dilectionem appetimus: Atq; potest diligi amore complacentiæ, secundùm quòd dilectionem huiusmodi approbamus, & esse volumus. Patet ergo quomodo consequens sit, quod diligendo proximum, etiamipsam dilectionem diligamus, vt d. D. Augustinus 8. lib. de Trinitate: referente Magistro. Nàm vt obiectum diligimus amore concupiscentię, & complacentiæ: & vt ratio obiecti eodẽ actu diligimus, quo diligimus obiectum; sicut eodem actu videtur color, & lux. Vlterius quia habet Magister in præassignato loco. Nemo dicat non noui quid diligam, quia magis nouit dilectionẽ qua diligit, quàm Fratrem quem diligit: Ex quo facilè de sumi posse videtur, quòd charitas ab habente illam, certitudinaliter, & sine dubitatione aliqua possit cognosci, sicut Fratrem suum, quem diligit certitudinaliter cognoscit. Ideo vidẽdum est à nobis An aliquis in hac mortali vita, se charitatem habere certa scientia, scire possit. Illud.n. difficultatem facit non mediocrem, quod nullum maius signum haberi potest de charitate, quàm non habere conscientiã peccati mortalis: & tamen per hoc non potest homo certò scire se charitatẽ habere; dicente Paulo, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Imò per illud vulgare dictum Ecclesiastes, Nemo scit an amore, vel odio dignus sit. propositi problematis partẽ negatiuam de cõmuni lege cogimur affirmare. Sed nè credatis Magistrum etiam in hoc errasse, & nos ab illo discedere: atq; vt difficultatem hanc rectius percipiatis; scire debetis, quod si loqueremur de charitate respectu dantis, & infundentis, cùm potissimùm in baptismate sine dubio infundãtur fides, spes, & charitas; sicut certò scimus aliquem esse baptizatum, sic certò scimus, quòd in illius baptismate infundit Deus spem, fidẽ, & charitatem. Verùm in hoc dubitatio non consistit, sed dubitatur An Christianus dùm viuit, & operatur, certò sciat se in charitate esse & operari. Ad quod respondetur (vt etiam aliàs diximus) quòd de cõmuni lege sciri non potest, sed solùm per quandam coniecturam, & per reuelationẽ, quandò sic placeat Deo, quod aliquis sciat se esse in gratiam eius. Cuius altera ratio est, & potissima, quia non valemus distinguere inter habitum charitatis, & habitũ

acquiſitæ dilectionis: eò quòd actus eorum, per quos cognoſcuntur ſunt quàm ſimillimi: vndè quamuis certò ſciamus nos habere habitum dilectionis, ignoramus tamen an ſit in nobis habitus charitatis, qui diuinam acceptionem importat: quæ ignorantia etiam prouenit ex debilitate noſtri intellectus; quãdo ſe habeat vt Oculus Noctuæ ad manifeſtiſsima in natura. Ex quo, dictum Magiſtri dupliciter interpretamur; primò quòd dilectio magis cognoſcitur quã Frater ex parte ſui: quia in ſe manifeſtiſsima eſt, ſed non ex parte cognoſcentis. Secundò dicimus quòd dilectio magis cognoſcitur in generali.i. inquantum dilectio eſt; ſed non inquantùm eſt dilectio charitatiua: cùm enim charitas dicat dilectionem, & gratitudinem ſiuè acceptionem: quantùm ad habitum dilectionis certitudinaliter eſt cognoſcibilis; ſed non quantum ad illud quod dicit gratuitum. Dicetis, oppoſitorum eſt eadem diſciplina: ſed aliquis poteſt cognoſcere quando eſt in peccato mortali: ergo & exiſtens in charitate poterit hoc cognoſcere. Reſpondetur gloſando maiorem propoſitionem, videlicet, oppoſitorum eſt eadem diſciplina.i. oppoſita ad eundem artificem, ſiuè ad eandem facultatem ſpectant. Vel dicatis dictum illud valere, quando illa oppoſita ſunt adæquata: ità quòd alterum illorum non ſit magis illimitatum; vt cõtingit in propoſito: quia peccatum nõ ſolùm opponitur gratię infuſę, ſed etiam charitati fidei, & ſpei; præceptis Dei, & mandatis Eccleſiæ. Ratio ergo nõ valet, quia non eſt oppoſitum adæquatum. & ideò patet neminẽ ſibi tantùm arrogare debere, vt dicat ſe eſſe in charitate.

LECTIO QVADRAGESIMASEPTIMA.

HIc *quæritur ſi charitas Spirituſſanctus eſt. &c.* G. Expoſita priori parte 17. diſtinctionis; vbi principaliter accepimus, quòd charitas in nobis, qua diligimus Deum, & proximũ non eſt Spirituſſanctus (vt dicebat Magiſter) ſed quid creatũ & accidens quoddam in anima noſtra, ipſam perficiens: accedimus ad alteram partem, quæ eſt defenſiua opinionis iam reprobatæ; in qua etiam Magiſter ordinatè procedit obijciendo, & reſpondendo primum rationibus, deinde authoritatibus. Sed quoniam (vt etiã inquit Durandus) Magiſter obiectiones non ſoluit; per illas remanet cõfirmata noſtra catholica poſitio. vnde nonnullis dictis,

hìc

hic habitis à Magistro, expositis; quæ faciunt ad maiorem intelligentiam propositæ veritatis, finem distinctioni, & lectioni imponemus. Cũ ergo primò, & principaliter dicat Magister, quod Spiritussanctus, qui charitas dicitur in nobis, in se non potest augeri; sed tantùm in nobis: rectè nos accipiendo Spiritumsanctũ in proposito, pro charitate, quæ infũditur in anima nostra, & est eius accidens perfectiuum; quærimus cum Scolasticis An sicut vna substantia est magis substantia altera, quoniam non possunt esse plures essentiæ æquè perfectę; licet in substãtia pro eo, quod suis viribus consistit nõ sit magis & minus; sic aliqua sit essentia, quæ secundum se augeri posſit, & minui. Primò autem cùm sapientioribus dicimus, quod charitas augetur, & non secundùm feruorem tantùm; hoc est secundùm intensionem actus charitatis; sed etiam essentialiter: & quoniam nihil non quantum augeri potest, dicimus, quod charitas est quanta, non quantitate dimensionis, vel molis, sed quantitate virtutis; quod augumentum non pertinet ad speciem motus; sed solùm ad speciem alterationis: accipiendo etiam alterationem non propriè, vt quando abijcitur aliquid à substantia ex actione contrarij transmutantis; sed communiter; quæ consistit in qualibet variatione circa receptionem alicuius qualitatis. Cum autem Virtus, quæ est charitatis quantitas, idem sit essentialiter, quòd substantia charitatis; sequitur, quod charitas per essentiam augeatur: quòd si quantitas Virtutis diuiditur secundum obiecta, in quæ virtus potest, & in omnia obiecta potest quælibet charitas, vel etiam minima: crescit tamen virtus Charitatis, & consequenter charitas, non quantum ad numerum obiectorũ; quod est per modum quantitatis discretæ: sed quantùm ad intensionẽ actus, super idem obiectum; quod fit per modum quantitatis continuæ. sed quomodo fit in nobis charitatis augumentum? Respondeo cum D. Thoma quod quando charitas augetur nihil ei additur: nàm illud additum non posset esse alterius speciei, quia omnes charitates sunt in eadem specie virtutis: nec eiusdẽ speciei esse potest, cum sit in eodẽ subiecto. quarè dicitur charitas augeri inquantùm educitur de imperfecto ad perfectum: quod fit per intensionem virtutis, secundùm propinquitatem ad terminum: quæ quidem intensio non est sicut illa qualitatum, quæ compositæ, & secundæ dicuntur; quia huiusmodi intensio fit secundùm intensionẽ qualitatum pri

marum, sed intenditur charitas ad modũ primæ, & simplicis charitatis ex agẽte, & recipiente; non quidẽ, quod in intensione charitatis fortior fiat virtus agentis; sed quia natura recipiens, quæ quantùm in se est, dispositionem quandam habet; magis, àc magis præparatur ad susceptionem gratiæ. Quarè origo gratiæ est per nouam infusionem, sed augumentum eius est per hoc, quod de imperfecto ad perfectum actus infusus educitur. Ad quæ addimus, quod vna, & eadem operatione infunditur gratia, & augetur: nec est diuersitas, nisi ex parte recipientis; inquantum ex illa operatione plus, minusuè recipit, secundùm, quod ad eam diuersimodè præparatur. sicut eadem irradicatione solis efficitur Aer clarus, & magis clarus depulsis nebulosis vaporibus, qui receptionem luminis impediebant. nec sequitur, quod ipse homo sit causa augumenti charitatis in eo, quod se à contrario charitatis refrenat, sicut à concupiscẽtia nisi per modum dispositionis, quo quidem modo est etiam causa ipsius gratiæ: efficientia enim vtrobiq; est ex parte ipsius Dei. Verùm hìc tertiò dubitatur, An charitas augeatur per quemlibet actum: videtur.n. quòd quolibet actu charitatis augeri debeat charitas; quia omnes actus charitatis sunt eiusdem speciei, quamuis vnus sit fortior, & alter debilior: vnde qua ratione charitas augetur in vno actu, eadem ratione in quolibet augebitur: quàmuis in vno plus, in alio minus. ex alia tamen parte, videtur oppositum, quia vna hirundo non facit ver: & sicut paruum calidum superueniens magno calido nõ auget in eo calorem; sic paruus actus charitatis superueniẽs magnæ charitati non auget eam. Dicendum est igitur quod non augetur in quolibet actu. Vt autem in quo actu augeatur intelligatis, notandum est, quod cum homo, eo quod arbitrij libertate gaudet, quando agit possit dupliciter operari, videlicet, aliquãdo secundùm totam virtutẽ naturæ suæ; & aliquando secundùm partem: in illo actu, in quo agit secundum totam virtutem suam, quia facit tunc, quantùm in se est, augetur charitas; vel si non habet, tanquam illo actu vltima dispositione dispositus, datur illi charitas. sed si non agit secundùm totam suam virtutem, tunc ille actus non est sicut dispositio vltima, vel ad augumentum, vel ad receptionem gratiæ; sed est sicut dispositio remota: & tũc per plures huiusmodi actus poterit peruenire ad dispositionem vltimam, vt patet in guttibus cauantibus lapidem; de quo non quælibet

libet gutta aliquid aufert; sed omnes præcedentes disponunt, & vltima, quæ agit in virtute omnium præcedentium, inquantùm inuenit materiam dispositam per præcedentes, complet cauatio nem. non ergo in quolibet actu, charitatis absolutè augetur cha ritas; sed in quolibet actu, quem voluntas elicit ex charitate ità intensum, & perfectum, quod voluntas per charitatem habitam non potest elicere intensiorem & perfectiorem : & sic patet responsio ad argumentum propositum; quia licèt omnes actus cha ritatis sint eiusdem speciei;non tamen æqualis meriti,vt dictum est. Alia duo restant pro sequenti lectione,nè vos hoc tempore diutius detineam.


LECTIO QVADRAGESIMAOCTAVA.

VT tandem,distinctione 17. sufficienter exposita,ad sequentem possimus accedere; duo hac lectione sunt disputanda, quæ à nullo Scolasticorum,quos viderim,omittuntur. Primum est An charitas in nobis possit augeri in infinitum : patet enim ex superiori lectione, quod augeri potest etiam substantialiter. Alterum erit An charitas sicut augetur, possit etiam minui : ex quibus omnibus manifesta debet esse principalis Magistri Inten tio in hac distinctione, quod videlicet Spiritussanctus inuisibiliter ad nos sanctificandos mittitur, quando Deum diligimus, & proximum, per hoc enim manemus in Deo, & Deus in nobis. Quantùm ad primum(vt vos breuitatem adamantes paucis expe diam) hanc propono conclusionem defendendam,quòd videlicet charitas in nobis augeri non potest in infinitum,sed est deuenire ad supræmũ gradum perfectionis, vltra quem nec charitas, nec alia forma reperiri potest. & hoc probatur ratione,& authoritate. Rationis quidem medium principale est, quia capacitas animæ est finita; vnde sic erigitur argumentum. Cuius capacitas est finita,& perfectio eius est finita : non enim perfectio excedit capacitatem perfectibilis. sed capacitas animæ est finita. Nàm eius essentia est finita,cum sit creatura:ergo perfectio animę est finita : ergo charitas,quæ est animæ vera perfectio, in infinitum augeri non poterit. aliæ possent adduci rationes,quas videre potestis apud Durandum, Riccardum, D. Bonauenturam &c. sed hanc quam modo adduximus existimo ego magni esse momenti: &

ti: & confirmo illam authoritate D. Augustini, in vltimo Cap. eius enchyridion dicentis, quod charitas crescit donec perueniat ad eam magnitudinē, qua maior esse non potest. quod etiam comprobatur per illud D. Anselmi in lib. de conceptu virginali, quod habet, loquendo de Beata Virgine, videlicet. Decens erat, vt ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi; modò puritas est per charitatem; ergo tātam habuit charitatem, quod nullo modo potuit augeri. Pręterea, capacitas animæ Christi sine dubio totaliter charitate repleta est, & non fuit infinita; quarè dicimus, quòd charitas in Creatura non potest augeri in infinitum. quamuis enim bonus in via semper possit proficere, secundùm communē cursum, qui inuenitur in bonis; tamen non augetur eius charitas in infinitum: vel quia charitas nunquam habetur hìc perfectè: vel quia si habetur ab aliquo, potest ille semper proficere quo ad numerum actum charitatis perfectè: sed illa multiplcatio actuum nō merebitur augumentum charitatis iā existentis in suo termino. Quamobrem dicendum mihi videtur, quod finita capacitas ipsius animæ, capax quidem est specierum secundùm maiorem, & minorem numerum sine fine; sed non est capax vnius habitus secundum maiorem, & minorem perfectionem sine fine. & quamuis res spirituales locū non occupent more rerum corporalium; maior tamen virtus requiritur in intellectu ad retinendum plures species intelligibiles simul, quàm paucas. quod si anima habens charitatem magis est apta ad suceptionem aplioris charitatis; quàm quando nihil habebat de charitate; dico quod illa aptitudo maior est respectu remotionis impedimenti ad recipiendam charitatem; & non respectu capacitatis animæ, quę iamdiu determinata est: vnde non tantùm charitatis potest capere, quantùm posset, si nihil de ea haberet; tamen magis apta est. i. magis digna vt sibi detur illud, quod potest capere, quàm antequam nihil haberet. sicut res calefacta, non tantùm potest capere de caliditate, quantùm si nihil haberet; quia antequā nihil haberet poterat capere caliditatē, quam modo habet, & illud quod residuum est; tamē cùm est calefacta semiplenè, aptior est ad recipiēdum illud, quod restat de caliditate, quàm si frigida esset. Sic arbitror hanc sentētiam facilè tueri posse: cuius tamen opposita, quæ est D. Thomæ non difficilè saluabitur ab illis, qui eius rationes, & fundamenta rectè perceperint; vt videre potestis hoc

stis hoc in loco D. Thomam q. 2. art. 4. & Capreolum Conclusione 8. & Gaietanum secunda secundæ q. 24. art. 7. De secundo proposito breuiter dico, quòd charitas essentialiter, & secundùm substantiam minui nullo pacto potest. & ratio est, quia oppositum charitatis per quod posset imaginari diminutio, vel nihil potest contra eius substantiam, vt veniale peccatum, quod simul, & in eodem manet cum charitate; vnde charitatem solummodo minuit secundùm feruorem: vel eius oppositum nullo modo charitatem scum compatitur, vt peccatum mortale: Quamobrem non minuit charitatem, sed pœnitus tollit, & remouet ab eodem subiecto. ergo secundum substantiam potest tolli charitas, & non minui. quantùm autem ad feruorem, vel quod ferè idem valet, quantum ad radicationem charitatis potest minui, & non tolli omnino: secundum quòd veniale peccatum est dispositio ad mortale, & consequenter ad amissionem charitatis. Quod si opponatis dicendo charitatem posse minui, quia potest augeri: quandoquidem opposita nata sunt fieri circa idem. Respondeo hoc verum esse nisi alterum oppositorum naturaliter insit; nàm vt habet Aristoteles in post prædicamentis Cap. de oppositis dictum illud instantiam habet, quando alterum oppositorum determinatè inest: vnde Ignis frigescere non potest. modò charitas quòd augeri possit, à se habet, & natura sua; inquantum est influentia diuinæ acceptationis, & omnino est à Deo: minui verò haberet à nobis. ideò non contingit diminutio circa substantiam charitatis, quàmuis fiat substantiæ charitatis augumentatio. vel dicatis, quod secundùm se charitas est diminuibilis, sicut etiam augumentabilis; sed tamen non diminuitur, quia non habet causam diminuentem. & hæc de huiusmodi distinctione dicta sint.

DISTINCTIO DECIMA-OCTAVA.



LECTIO QVADRAGESIMANONA.

P*Ræterea diligenter conſiderandum eſt &c.* A. Magiſter noſter Petrus Lombardus extremam imponens manum diſputationi de Spirituſancto; expoſita eius æterna proceſſione, qua eſt tertia perſona in diuinis, atq; eius temporali miſsione declarata, tùm ratione principij à quo, tùm etiam ratione modi, ſecundùm quem mittitur; docet hìc duo nomina Spirituiſancto conuenire, ratione dictarum proceſsionum, quæ reponuntur inter notionalia; quoniam manuducunt nos in cognitionẽ alicuius propriæ perſonæ. Idq; ea de cauſa facit, quod ſibi hunc ordinem propoſuerat, vt .ſ. de Trinitate perſonarum ageret, inquantùm creditur, intelligitur, & exprimitur. Igitur in hac diſtinct. 18. Magiſtri conſilium eſt agere de Spirituſancto pœnes

pœnes duo vocabula, quæ exprimunt proprietatem, secundùm quam conuenit ei potissimum temporaliter, procedere. Et partitur distinctio hæc in duas partes principales, in quarum prima Disputationis difficultatem proponit; & in altera propositum distinctè determinat. Modò quantùm ad primam partem supponit Magister Spiritumsanctum, & donum, & datum appellari: & tunc quærit hanc quæstionem An, videlicet, Vtrunq; nomen eadem ratione Spirituisancto conueniat. Nàm, inquit, pro parte affirmatiua videtur esse Diuus Augustinus, quãdo ipse in 15. libro de Trinitate, Cap. 19. sic habet Spiritussanctus in tantum donum Dei est, inquantum datur eis, quibus datur. Pro altera verò parte est communis Theologorum sententia, & Ecclesiæ authoritas, quæ Spiritumsanctum in tempore datum, & ab æterno donum esse prædicat: quod tamen esse non posset, si donum vocaretur, quoniam datur. Ad huius difficultatis solutionem accedit Magister, in altera parte distinctionis: & statim proposita veritate, quod scilicet, Spiritussanctus alia ratione dicitur donum, & alia datum; ex tribus locis probationem accipit, secundùm quod inter donum, & datũ differentiam ostendit, primùm ex parte proprietatis importatæ per nomen; secundò ex parte originis; tertiò ex parte eius, cui datur: Ex proprietate quidem Spiritussancti habetur quod nõ ea ratione dicitur datum, qua donum; quoniam donum dicitur ex proprietate, quam habuit ab æterno, inquantum scilicet, per modum Amoris à Patre, filioq; procedit: datum verò vocatur, inquantum nobis datus est in tempore. Nomen enim doni Spirituisancto ab æterno conuenit, quia ab æterno fuit donabilis, & ab æterno per modum doni processit: sed nomen dati ex actuali donatione sumitur: vnde in tempore illi conuenit, quia in tempore datur: Nàm donum potest esse antequam detur, sed donatum nisi datum fuerit dici non potest. Quod si arguat aliquis eadem ratione filium in diuinis donum dici debere, quia scilicet, ab æterno processit à Patre, donabilis nobis in tempore: Quoniam per Esaiam dicitur, filius natus, & datus est nobis. Respondet Magister argumentum non concludere; quia Spiritussanctus non solùm dicitur donum, quia nobis donabilis, sed quia per modum doni processit; D. Augustino dicente, sicut natum esse est filio à Patre esse; ità Spirituisancto, donum Dei esse, est à Patre, & à filio procedere.

Quarè filius, donum dici non debet; quia licet fuerit donabilis, ex modo tamen suæ processionis, quæ est generatio; huiusmodi (vt ità dicam) donabilitatem non habuit. Ex quo eliciatis vellim primùm, quod donum in diuinis duplicem dicit relationem, realem alterá, quam habet ad Patrem, & filium, sicut Amor productus ad producentem: & alteram rationis ad creaturam cui donatur; quia procedit, vt creaturæ donabilis; & Dei ad Creaturam, non est relatio realis. Secundò accipiatis, quòd & si donum sit proprietas distinctiua Spiritussancti, inquantum connotat processionem per modum Amoris, quæ est propria Spiritui sancto, eius tamen proprietas constitutiua non dicitur: Et ratio est, quia donũ de per se significato respectum importat ad Creaturas, eò quòd, non est donum, nisi respectu eius cui datur; & nulla proprietas constituens personam diuinã, respectum ad Creaturas importat: quia talis respectus est posterior esse personali diuinarum personarum. Vndè restat, quod spiratio passiua, quę est primarium distinctiuum Spiritussancti sit etiam eiusdem constitutiuum; cum eadem sint principia essendi, & distinguendi. Si quis tamẽ faceret, donũ idem omnino significare cum eo, quod est spiratione passiua productum; siue pro eodem acciperet donum, & liberaliter spiratum; liberè tunc concedatis donum proprietatem esse constitutiuam Spiritussancti. Quamuis nec propriè, nec communiter loquendo sic possit accipi donum; cum præsertim Sancti in hoc sensu Spiritumsanctum, donum fuisse ab æterno dicant, quia à Patre, & filio processit, vt donabilis. Vnde habent Theologi, quòd donum in diuinis respectum ad Creaturas principaliter significat, & secundariò ad relationem originis: inquantum.s. esse donum non conuenit, nisi personæ procedenti per modum amoris. Cùm igitur Spiritussanctus donum dicatur, quia per modum doni semper processit, datum verò, quia nobis aliquãdo actualiter est donatum; constat quod donum, & datũ ex parte proprietatis distinguuntur. Quod autem dicta duo nomina, nec ex parte Originis eodem modo Spirituisancto conueniant, ratione, solutione, declaratione, & cõclusione, per quatuor distinctas particulas manifestat Magister. Ratio quidem est huiusmodi, Sicut filius se habet ad generationem, ità, & Spiritussanctus ad processionem: sed filius ad generationem sic se habet, quod nascendo accepit, vt esset filius, quinetiam vt sit ipsa

substan-

substantia. ergo similiter Spiritussanctus procedendo accepit vt sit Spiritussanctus & diuina essentia. Tunc vltra ex eo habet Spiritussanctus quod dicatur donum, ex quo habet, vt sit Spiritussanctus: sed dicitur Spiritussanctus ex æterna processione, propter quam cum non possit dici datum, quando hoc factum sit in tẽpore; sequitur quod donũ & datũ diuersa ratione Spirituisancto conueniant. Solutio autem illi argumento adhibetur, quæ propositam rationem ad inconueniens deducebat, quod.s. filius eo esset filius, quo est Deus; & sic Spiritussanctus eodem esset, & Deus, & Spiritussanctus: quoniam dictum est filium nascendo, & Spiritumsanctum producendo, esse simpliciter, àc tale esse recepisse: Cùm tamen ex D. Augustino pateat, qud Pater non eo est Pater, quo Deus. quod argumentum soluitur negando consequentiam; quia filius non eodem formaliter est, & est filius, sed originaliter tantùm: sic & Spiritussanctus eodem solùm originaliter, & donum est, & Deus, inquantum per suam processionem habet quicquid habet; essentiam scilicet, & relationem. Quod sic declarari potest, filius in diuinis propriè, & formaliter loquendo filius dicitur, quia generatione, & per modum naturæ procedit à Patre; dicitur verbum, quia est per modum conceptionis intellectus: atq; Deus est Deitate, vel diuina essentia: quamuis, & filius sit & verbum, & Deus per æternam eius originem, siuè natiuitatem. sicut Pater eodem identicè Pater est, & Deus, licet formaliter paternitate sit Pater, & Deitate Deus. Quod itidem de Spiritusancto negari non potest. Quoniam sicut cursor eodem, quantùm ad originem calidus fit, & lassus; & tamen secundum rationem formalem calore est calidus, & fatigatione lassus. ità Spiritussanctus ratione originis eodem est donum, & Deus: quia vtrunq; habet vnica origine qua procedit à Patre, & filio. sed formaliter Deitate est Deus, & spiratione donum. Quæ duo, tanquam superius, & inferius distinguuntur; quia in plus se habet Donum, quàm Deus secundùm quod multa sunt dona, quæ non sunt Deus. Quarè concluditur, quòd Spiritussanctus ratione processionis æternæ dicitur donum; & ratione temporalis dicitur Datum. & sic patet, quod ex parte Originis in Spiritusancto distinguitur donum, & datum. Quod tertiò, & vltimò ex parte terminini hunc in modum ostenditur. Spiritussanctus in eo quod dicitur donum, ad Patrem re-

 fertur,

fertur, & ad filium; à quibus procedit. inquantũ verò dicitur Datum ad dantem, & ad eos quibus datur habet respectum. atque huius ratione Spiritus dicitur Patris, & Filij: & Spiritus noster quia relatiua, etiam per Aristotelem, aliorum esse dicuntur. Quàmuis Spiritus sit Dei, quia à Deo datus, & spiritus noster, quia à nobis acceptus: non quidem spiritus quo sumus, cuiusmodi est anima: sed spiritus quo sancti sumus. vt pluribus Sacræ Scripturæ locis cautè legendis comprobat Magister in litera. ergo donum, & datum diuersa ratione de Spiritusancto dicuntur. Verùm oritur (inquit) difficultas. An scilicet filius in diuinis possit dici noster filius, sicut Spiritussanctus noster dicitur spiritus; nàm filius datus est nobis, & munera, quæ nobis dantur, dicuntur nostra. Et soluit Magister responsione negatiua, quia filius solùm dicitur relatiuè ad eum, qui genuit. Vnde in omnibus rebus, secundùm quas, filius Dei Datus est nobis, dicitur noster, vt noster redemptor; quia se nobis in redemptorem dedit; noster cibus, quia se nobis dedit in cibum. sicut & Spiritussanctus noster dicitur spiritus, quia in nobis spiratur, & quia in nobis, pro vt vult spirat: sed non dicitur Spiritussanctus noster, quia tũc significamus personam Spiritussancti cum illa proprietate solum, per quam refertur ad principium à quo spiratur, sine aliquo respectu ad Creaturam. Ex quibus sic habitis hanc colligimus regulam, quod nominibus diuinis, quæ nullam ad nos importãt habitudinem, aliquod pronominum meum, tuum, nostrum &c. addi non potest, vt patet in nominibus abstractis, in nominibus personarum, & in nominibus essentialibus concretis: quæ talium pronominum additionem nullam recipiunt, nisi expressa aliqua determinatione respectiua, vel saltem subintellecta. vt cum dicitur Deus noster subintelligitur Creator, vel aliquid tale. Quod verò Spiritussanctus ad seipsũ referatur. de quo in vltima distinct. particula est dubitatio, negari nõ potest in eo, quod à seipso datur; quoniam (vt dictum est) quod datur refertur ad eum qui dat, & ad eũ cui datur. Magister tamen quæsiti huius determinationẽ inferius ad distinctionem 30. reicit, eò quòd aliam difficultatem, videlicet mutabilitatem in Deo, videbatur inculcare. Et sic est manifestum quod propositum fuerat in hac distinctione; quæ vltima est in tractatione diuinarum personarum, quantùm ad earum originem, vnitatem, & distinctionem.

DISTIN-

DISTINCTIO XIX.

...t ostē dat, ꝙ diuinę pſonæ æquales sūt in magnitudine

- Præmittit
  - Æqualitatem in tribus consistere. A.
  - Illa tria in quibus consistit æqualitas, vnū esse in Deo. B.
- Probat
  - Ex mutua inhæsione.
    - Proponendo. C.
    - Concludendo.
      - Ratione. D.
      - A signo. E.
  - Ex remotione inæqualitatis
    - Continuando dicta dicendis. F.
    - Arguendo.
      - Rōne quòd
        - Nō cōueniūt in essētia sicut in toto.
          - Nec integrali. G.
          - Nec vniuersali
            - distinctè.
              - de genere. H.
              - de specie. I.
            - simul de genere, & specie. K.
        - Nō cōueniūt in essētia sicut in parte.
          - Nec materiali. L.
          - Nec proprietate formali. M.
      - Instātia.
        - Obiicendo. N.
        - Soluendo. O.
  - Ex ratione diuinę simplicitatis.
    - Exponendo personas diuinas differre numero.
      - Non sm̄ naturā diuinā. P.
      - Nec ꝓprietate formali. Q.
    - Ratiocinando.
      - Præmittendo conclusionem. R.
      - Conclusionem inferendo. S.
    - Deducendo quod.
      - Deus est Trinus non triplex. T.
      - Pluralitas diuinarum personarum est alia à pluralitate Creaturarum. V.

LECTIO L.

NVNC *postquam coæternitatem, &c.* Quemadmodum (Dei Optimi Maximi benignitate & gratia) primum Librum Magiſtri Sententiarum, vſque ad XIX. diſtinctionem, diſtincte, ac ſufficienter (ni fallor) interpretati ſumus: ſic etiam & ea quæ reſtant exponenda aggredientes, ſine dubio (ſtudioſiſſimi Iuuenes) eodem Deo fauente catholicè ac doctè intepretabimur. Egimus autem hucuſq; de ſimpliciſſima vnitate diuinæ eſſentiæ, de ineffabili perſonarum Trinitate, atque de æterna illarum origine, ac reali diſtinctione. Nunc tractandum remanet de attributis diuinis, diuiniſq; nominibus; & primùm de vera, & ſumma trium diuinarum perſonarum æqualitate; quod eſt Magiſtri propoſitum in tribus ſequentibus diſtinctionibus. Vt igitur hoc primum facile percipiamus, antequam explicetur, pauca quædam de ordine & diuiſione huius partis iurè pręnotanda occurrunt: Cum enim non temerè ea, quæ in hoc libro tractantur contexuerit Magiſter, ſciendum eſt etiam quod poſtquàm actum eſt de vnitate eſſentiæ, & pluralitate perſonarum ſigillatim, rectè tractatur de perſonarum æqualitate; quæ ſimul & reſpicit & recipit vtrunq;: ſi quidem ęqualitas diſtinctionem perſonarum importat, quia nihil ſibi ipſi dicitur æquale: atq; eſſentiæ vnitatem comprehendit; quoniam ex hoc perſonæ diuinæ dicuntur, & ſunt ſibi inuicem æquales, quòd ſunt vnius magnitudinis, & eſſentiæ. Sed rectè etiam hic tractatus eſt annexus; tùm quòd ſimul oſtendit omnimodam identitatem, quæ oritur ex vnitate ſubſtantiæ, & perfectam ſimilitudinem trium perſonarum in omni eſſentiali tàm ad intra, quàm ad extra, quæ naſcitur ex vnitate in qualitate; tùm quia ſimul vnitatem docet, & Arrianorum extirpat hæreſim, quæ inęqualitatẽ ponebat in diuinis. In tractatione autem huiuſmodi, quis Magiſtrum accuſare auſus fuerit, quãdo ordinatiſsimè procedit, dùm primò diſputationem proponit, deinde illam accuratè tractat, & tertiò difficultates cõtingentes tollit? Magiſter ergo intendens de æqualitate trium perſonarum diſſerere. primo diſputationem proponit & duo facit. Proponit enim ea, in quibus ſpectari debet huiuſmodi æqualitas,

&

& deinde tacitæ obiectioni respondet. Quantum autem ad primum, quoniam quælibet res potest considerari tripliciter, & sic tribus tantùm modis potest alia re dici maior vel minor, vt in cõparatione ad suam originem, siuè à parte ante, & sic dicitur minor ætate, quando.s.eius origo est prior: vel consideratur in se, & dicitur maioris, aut minoris extensionis & virtutis: vel tertiò consideratur per comparationem ad effectũ & dicitur maior, si maioris sit potentiæ; ideo tota ratio æqualitatis in tribus dicitur consistere, videlicet in duratione, magnitudine, & potentia. Cum ergo ostensum fuerit aliqua in his tribus maximè conuenire, illa maximè esse æqualia monstratum erit; quòd quidem Magister verificari insinuans de sanctissima personarum Trinitate; authoritate Diui Augustini inquit. Nullus horum alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Quantum verò ad secundum, quoniam suspicari quis potuisset plura & diuersa esse in diuinis, eo quod tanquam diuersa enumerata sunt diuina essentia, Dei æternitas, potentia, & magnitudo; Respondet Magister quòd quamuis cõsueuerit sacra Scriptura hæc & his similia quasi distinctè ponere, inconcussè tamen tenendũ est, quòd hæc omnia in Deo vnum & idem sunt.s.diuina essentia simplex & incommutabilis: & cõcludit in his contineri trium personarum perfectam æqualitatem, quòd vna persona aliam nec æternitate, nec magnitudine, nec potentia superat. Modò circa hãc primam partẽ huius distinctionis decimę nonæ, multa in disputationem veniunt, in quibus non omninò conueniunt Scolastici, vt apertissimè cõstat ex Caietano 1.p.q.42.1. Ex Ioa. Capreolo, & Iacobino Bargio in hac distinctione XIX. Vos tamen concordissimè hæc accipiatis velim. Primum quod summa est æqualitas in sanctissima Trinitate. quòd manifestè tenet Ecclesia, dum in Symbolo Diui Athanasij legit quòd tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales: & cum Diuo Augustino dicit quòd nulla ex diuinis personis aliam præcedit æternitate, vel excedit magnitudine, vel superat potestate: quòd etiam ratione sic rectè argumentatur Diuus Thomas. In diuinis personis non possumus ponere maius & minus, ergo in illis necesse est ponere æqualitatẽ; consequentia probatur ex 10.met.t.15.& 16. vbi habetur quòd æquale dicitur quasi per negationem maioris & minoris: & quamuis ex negatione inæqualitatis non sequatur simpliciter affirmatio æqualitatis, sequitur

tur tamen supposita quantitate in extremis distinctis: antecedens verò ex eo patet quòd si esset maius & minus in diuinis personis, non esset in eis vna numero quantitas, & per consequens nec vna essentia; si quidem inæqualium non potest esse vna numero quantitas, quæ in diuinis nihil aliud est quàm essentia. Hoc autem vt facilè & optimè tueri valeatis, scitote fratres, quòd quantitas, sine qua non datur æqualitas (est enim æqualitas propria pasio quantitatis, & vnitas in quātitate est quæ facit æqualitatem) cum duobus modis accipiatur, propriè, vt est quantitas molis, & translatiuè, vt quantitas virtutis; in diuinis nulla est quantitas molis, sed omnis quantitas virtutis; estq; ibi magnitudo non secundum rationem sui generis, quòd est quantitas, quæ habet conditionē materiæ; sed secundum rationem differentiæ suæ, quæ consistit in ratione completionis. Quamobrem æqualitas in Deo non ea ratione ponitur, qua mensuram, & conterminationem significat, sed benè, vt excessus priuationem dicit: supponitq; huiusmodi æqualitas diuersitatem, vel potius distinctionem, nō quidem formæ & essentiæ, sed personarum: diuisibilitas autem & huiusmodi aliæ passiones, quæ imperfectionem sonant, quia id totum, quod est perfectionis in creatura, debet trāsferri in Deum, & nulla imperfectio; Ideo quantitatem molis consequi, & nullo modo Deo ascribēdas esse dicimus; Amplius sciatis quòd æqualitas non dicitur vniuocè de Deo, & creaturis; in his enim est habitudo inter duas quantitates, & inter duo quanta: sed in diuinis est relatio duorum suppositorum, habentium eandem numero quātitatem: nam ęqualitas in rebus creatis oritur ex conuenientia in vna quantitate, vnitate proportionis; at in diuinis personis oritur ex vna quantitate in numero: & illa est, quæ dicit commensurationem, non autem ista: & quia illa est aggregata ex diuersitate, ideo repugnat perfectioni vniuersi, quòd. omnia sint æqualia, sed perfectioni ipsius Dei nullo modo repugnat, quia in eo omnia sunt vnū, videlicet vna essentia. Quod si dicatis, conuenientia in vna essentia, quæ significatur per modum formæ, potius debent dici similia quàm æqualia. Respondeo, verum est, si sermo sit de æqualitate secundum quantitatē molis, non autem si secundum quantitatem virtutis, vt in proposito: nàm vbi attenditur æqualitas secundum quantitatem virtualem, æqualitas includit in se similitudinem, & aliquid vltra; quia excludit excessum: quęcumq; enim commnicant in vna forma, possunt dici

dici similia etiam si inæqualiter illam formã participent, sed non possunt dici æqualia, si vnum altero perfectius formam illam participet.

Præterea sciendum, quòd huiusmodi coæqualitas non respicit productionem internam personarum, quia sic aliquid confitemur de patre quòd non de filio, nec de Spiritu sancto, & è contra; pater enim habet paternitatem quàm non habet filius, nec Spiritus sanctus; similiter filius habet generationem passiuam, & Spiritus sanctus passiuam spirationem, quę non habentur à patre, ideò rectè dicitur, quòd coæqualitas hæc Trinitatis respicit operationes diuinas ad extra, & omne quod est diuinis personis essentiale: ex quo accipitur quòd vna persona non dicitur melior altera, ex eo quòd producat alteram personam sibi æqualem, quòd alia persona, putà, Spiritus sanctus facere non potest: & ratio est, quia emanatio personæ diuinæ, non attenditur secundum rationem bonitatis essentiæ, cum essentia non generet, nec generetur; sed attenditur secundum rationem fœcunditatis personæ; productio autem ad extra est quæ habet rationem effusionis, & rationem boni, in qua vna persona non excedit aliam, cum indiuisa sint huiusmodi opera Trinitatis.

LECTIO LI.

EX prima particula distinctionis decimænonæ, in qua dicebamus Magistrum Petrum Lombardum disputationem proponere de ęqualitate trium diuinarum personarum; habito si est talis disputationis, hoc est, simpliciter accepto, quod tres personæ diuinæ sũt coęquales, Animaduertebat plura, quibus facilè tueri potest quòd æqualitas, maximè in diuinis, locum habet: & quòd inter diuinas personas summa reperitur æqualitas. Modò adhuc aliqua alia, quæ maiorem habent difficultatem, vobis diligenter consideranda propono. & primum dicimus quòd hæ propositiones, filius est æqualis patri; spiritus sanctus est æqualis filio, & patri; simpliciter & conuersę rectè cõceduntur à quolibet Theologo. hæ verò filius coæquatur patri; spiritus sanctus coæquatur filio & Patri: quàmuis sic absolutè iurè concedantur, nullo tamen modo conuersæ permittuntur. quod etiam eodem modo intelligitur

gitur de similitudine, & de eo quòd est asimilari: Vnde communis est sententia quòd in diuinis est mutua similitudo, & mutua æqualitas, sed non mutua asimilatio, nec mutua adæquatio. Huius autem diuersitatis rationem in eo consistere docet Diuus Thomas 1.p.q.42.1.3. Cum æqualitas diuinarũ personarum fundetur super diuinã essentiã, vt habet rationem quantitatis virtualis, & similitudo super eandem essentiam, vt habet rationem qualitatis; æqualitas, & similitudo per nomina significata, diuinam essentiã in tribus personis diuinis æqualiter reperiri absolutè denotat: & quia essentia diuina non magis est Patris, quàm filij, rectè dicitur filius est æqualis & similis patri, & è cõuerso: nam sicut filius habet magnitudinem patris, quòd est eum æqualem esse patri; ita pater habet magnitudinem filij, quòd est eum æqualem esse filio: At æqualitas & similitudo per verba expressa, diuinam essentiam important cum motu, qui licet realiter non sit in diuinis, tamen significatur per illud verbum quòd est accipere, ideo quia filius accipit à patre, vnde est ęqualis ei, & non è conuerso; propter hoc dicitur quòd filius æquatur patri, & non è conuerso; quòd vt etiã perfectè teneatis, do vobis hanc regulã, quod quando aliqua qualitas plenè & perfectè est in pluribus, tunc inter illa est mutua similitudo, & similiter mutua æqualitas, si eadem quantitas est in illis: sed si propriè & plenè sit in vno, & in alio tantum sit quædam imitatio illius secundum aliquam participationem; tunc non est mutua æqualitas, nec similitudo; quia illud quòd nõ plenè habet illam quantitatem vel qualitatẽ, dicitur simile vel æquale ei quod plenè habet & non è contra. Quamobrem in creaturis non recipitur conuersio æqualitatis, & similitudinis. Dicuntur enim causata similia causis in quantum habent formam causarum, sed non è conuerso; quia forma principaliter est in causa, & secundariò in causato: in personis vero diuinis, in quibus magnitudo, & bonitas plenè reperitur, mutua est æqualitas & similitudo: quæ tamen explicari per verba conuertibiliter non habet, quia persona accipiens potest dici adæquari, vel asimilari illi personæ, à qua accipit, & non è contra: eo quòd asimilari vel adęquari, super hoc quod est similem esse, ponit quendam motum, & accessum ad vnitatem qualitatis, vel quantitatis; qui motus, & accessus in diuinis significatur per illud verbum quòd est, accipere. Quarè breuiter dicere possumus cùm Diuo Bonauẽtura & Ricardo de media Vil-
la,

la, quòd loquendo de æqualitate prout dicit solummodo respectũ ęquiparantiæ, ęqualitas in diuinis est mutua : sed si accipiatur ęqualitas, prout vltra respectum importat coæquationem pasiuo modo dictam.i.prout vltra respectũ concernit actum coæquationis, non est ibi mutua æqualitas : pater enim generando filium dat ei, vt sit sibi æqualis ; quo quidem modo Pater non est æqualis filio. quia filius non dat Patri, vt sit sibi æqualis ; & quia hic modus maximè significatur per verbum, & ille per nomen; ideò conceditur mutua æqualitas, significata per nomina, non autem per verba. Verùm est alia dubitatio An videlicet æqualitas in diuinis numeretur; quæ quidem difficilior redditur ex eo, quod dissentiũt inter se Scotus, & Ricardus de media Villa. Ego tamen facilè respõdeo : cũ Ricardo, quòd in diuinis personis est vna æqualitas in numero & ratio est quia quantitas spiritualis, quæ est proximum & proprium fundamentum æqualitatis, est vna numero in illis : quandoquidem virtus, quæ est quantitas spiritualis, est vna numero in tribus personis diuinis ; & fundamentum Ricardi est quòd æqualitas, & vniuersaliter omnis relatio minimè numeratur, nisi numeretur proprium, & proximum fundamentum illius. Vnde si in duobus hominibus esset vna superficies numero, & essent albi, in illis esset vna numero albedo, eo quod superficies est immediatum subiectum albedinis. Quod si in duobus fratribus sunt duæ fraternitates, & in vno patre respectu plurium filiorum, sunt plures paternitates; euenit ex eo quòd in duobus fratribus sũt duo propria, & proxima fundamenta fraternitatis, sunt enim duo substantiæ, in quibus dictæ relationes fundantur : & plures filij in quãtum sunt termini paternitatis plures sunt, quia causæ per quas sunt termini, plures sunt : & similiter à parte patris respectu plurium filiorum, causæ paternitatis proprię, & proximæ plures sũt ; ergo ob has instantias nõ tollitur quin' vna numero sit æqualitas, vbi vna numero est quantitas, vt in diuinis. Neque in hoc volumus alium aduersarium quam Scotista, quoniam cum dicunt alij quòd relationes numerantur secundum subiecta, & Aristoteles Quinto Phys. quòd motus diuersificatur ex diuersitate fundamentorum vel terminorum : Dico intelligendos esse de proprio subiecto, & fundamento ; locutos autem vniuersaliter de subiectis, & fundamentis, quoniam in omnibus creatis vbi sunt diuersa subiecta, sunt etiam, & diuersa relationum fundamenta.

Apertè

Apertè etiam ab eodem Scoto diſcedo, in eo quod dicit æqualitatem in diuinis eſſe relationem realem: nàm licet cum dicitur Pater & Filius ſunt æquales, æqualitas includat vnitatem eſſentię, & diſtinctionem realem relationum ſubſiſtentium.i.perſonarum; (ſecūdum quę duo æqualitas in diuinis ponit aliquod reale) tamē accepta æqualitate formaliter, hoc eſt, vt dicit relatiuam appellationem; qua formaliter denominātur æquales; in quo ſenſu, etiam ipſe Scotus hic de æqualitate loquitur; cum Diuo Thoma rationabiliter aſſero, quòd æqualitas diuinarum perſonarum nō eſt relatio realis, ſed rationis. Regula autem datur vniuerſalis à Diuo Thoma quod impoſsibile eſt fundatas relationes eſſe reales, niſi extrema realiter diſtinguantur ſecundum fundamenta, quæ diſtinctio fundamentalis cum in diuinis perſonis non reperiatur, quia vnum eſt fundamentum, & vna ſubſtantia trium, ideo in illis talis relatio, quæ fundamentum ſupponit, rationis relatio eſt dicenda: Cum autem infert Scotus quòd nec etiā relationes originis eſſent reales, quia eorum fundamētum eſt vna eſſentia numero. Reſpondetur quòd conditio illa relationum realium, quòd.ſ.habeant diſtincta fundamenta realia. intelligitur de relationibus inexigentibus fundamentum: ſunt enim relationes duplicis ordinis. Quędam ferunt ſecum non ſolum fundamenta, ſed & ſuppoſita; & hæ ſunt relationes originis, quas dicimus conſtituere hypoſtaſes; & tales ſunt æqualitas & ſimilitudo, ideo illæ quidem reales; iſtæ verò non, & per hoc patet ſolutio rationum Scoti in quolibet. procedunt enim ex hoc quòd eſſentia eſt fundamentum relationum originis, quòd non eſt verum propriè loquendo, quia cum relatio originis ſit relatio ſubſiſtens, eſt idem realiter cum eſſentia, & cum ſuppoſito: Quarè cum arguit Scotus Aequalitas eſt in filio ex vi productionis, & eſt prima ęqualitas, & eſt perfectio ſimpliciter, per Auguſtinū, ergo eſt relatio realis: & confirmatur, quia ſecluſo omni intellectu filius eſt realiter æqualis patri: & tertiò confirmatur quia ſi eſſet inæqualitas inter patrem & filium eſſet relatio realis, ergo & æqualitas erit realis. Dicatis quòd filius ſecluſo omni opere intellectus verè & realiter eſt æqualis patri, quoad vnitatem eſſentiæ & quoad relatiuam appellationem fundamentaliter; hæc enim habet ex vi generationis, & ſic eſt prima æqualitas, & nō per per realitatem additæ relationis: ſicut etiam filius eſt idē ſibi ipſi realiſsimè ſecluſo omni intellectu, & hoc habet à patre: & tamen

non

non sequitur, ergo relatio identitatis sibi est realis; est enim idem sibi, identitate fundamentali: & ita filius æqualis est patri realiter, æqualitate fundamentaliter sumpta. Nec est verum quòd æqualitas, formaliter sumpta, sit perfectio simpliciter: neq; Augustinus hoc dicit: nàm ęquale, non quo ad relationem, sed quo ad fundamentum præponitur inæquali; sicut etiam vnum præponitur multo, & tamen non dicit perfectionem simpliciter, nisi ens denominatum vnum, sit perfectio simpliciter. Nec etiam realitas inæqualitatis, si esset in diuinis, inferret realitatem æqualitatis: quoniã illa habet duas quantitates, numero distinctas, maiorem scilicet, & minorem: hæc autem, vnam tantum habet de facto. Quarè conceditur in diuinis vera æqualitas, & perfecta, & prima, & summa; sed non in quantum est relatio realis. Ex quibus omnibus, colligere vos velim primùm, quòd identitas, & similitudo, & æqualitas diuinarũ personarum, sunt eadem re, & distinguuntur sola ratione. Secundò, quòd identitas non requirit necessariò distinctioné suppositorum: sed æqualitas, & similitudo, necessariò requirunt plura supposita.

Lectio LII.

Q*VOD autem æternitate, &c. C.* Proposita disputatione de æqualitate trium personarum; atque authoritate Diui Augustini, & totius Ecclesiæ, altera parte determinata; vt non dialecticè, sed demonstratiuè procedat; Ad rem ipsam, hoc est, ad secundam huius disputationis partem, accedit; quæ in eo consistit, vt rationibus catholicis, & à fide acceptis, ostendat propositæ conclusionis veritatem. Id auté facit hac methodo, quòd primò ordiné disputationis proponit: Secundò, tres diuinas personas, in magnitudine æquales esse docet: Tertiò earumdem æqualitatem in potentia monstrat. Quę omnia in hac, & sequenti distinctione, cumulatè tractantur. Primùm igitur quantum ad ordinem, Inquit Magister quòd ex illis tribus, secundum quę attenditur æqualitas diuinarum personarum, coęternitas superius est cõprobata: ęqualitas in magnitudine est hîc monstranda: æqualitas verò in potentia, sequẽtis distinctionis tractatu, probabitur. Accedens autem ad probationem æqualitatis in magnitudine, sic

videtur argumentari; magnitudo ipsius Trinitatis tota, & æqualiter est in singulis tribus personis; ergo singulæ diuinæ personæ ęquales sunt in magnitudine; consequentia est manifesta; antecedens verò probatur ex Ioanne Damasceno, qui lib. 4. de orthodoxa fide c. 6. ait, Confitemur deitatis naturam, omnem, perfectè esse in singula suarum hypostaseon. i. personarum; omnem in patre, omnem in filio, omnem in spiritu sancto; omnem. i. totam. Ergo vna persona non est maior altera; imò nec maius aliquid duę personæ simul sunt, quàm vna; nec tres, maius aliquid quàm duę: eo quod tota magnitudo est in singulis; ergo non est aliqua personarum, quę aliam excedat magnitudine; ergo tres diuinę personæ æquales sunt in magnitudine. Sed vt huius argumenti vis, rectè percipiatur; animaduertere debetis, quòd cum de Dei magnitudine quęritur, de eius virtute intelligitur; quia in Deo non potest esse quantitas, nisi virtutis; & sciendum quòd cum virtus (secũdum Philosophum) sit vltimum in re de potentia; quot modis contingit ad vltimum pertingere, tot modis potest, & virtus rei considerari: at ad vltimum tribus modis peruenitur, videlicet in rei perfectione, in eius duratione, & in illius effectus: ergo, & tripliciter rei virtus considerari poterit: Quarè virtus considerata primo modo. s. quantum ad perfectionem rei intrisecam, quoniam maximum in quod potest, est perfectionis immensitas; rectè dicitur essentiæ infinitas; & à Magistro dicitur magnitudo: similiter virtus considerata secundò modo, hoc est, quantum ad ipsius esse rei durationem, quia maximum in quod potest est duratio, sine initio, & sine fine, tota simul; rationabiliter æternitas nominatur: si denique tertio modo consideretur diuina virtus. i. quantum ad exteriorem operationem; quo quidem modo, vltimum vel maximum in quod potest, est posse omne illud, quod contradictionem non includit; sic quantitas virtutis in Deo, est eius omnipotentia; quę, à Magistro in litera, dicitur potestas. Ex quibus manifestè colligitur, quòd vna, & eadem Dei virtus dicitur potestas, æternitas, & magnitudo: & quod hæc tria sunt vnum secundum rem, & differunt sola ratione: Vnde benè sequitur, quòd tota magnitudo Trinitatis in singulis personis perfectè continentur; ex quo summa earum ęqualitas in magnitudine, hoc est, in naturæ perfectione proficiscitur. Ex hac autem catholica doctrina, colligit Magister cuiusdam dicti veritatem, videlicet, quòd Pater est in filio, & filius

in

in Patre, & vniuersaliter quęlibet persona diuina est in alia. quod etiam facit ad confirmationem præmissę æqualitatis: licet autem intelligentia nostra rationem talis dicti non capiat, quando nullum tale exemplum, humana ratio pręstat; attamen ex eo quòd eadem essentia numero est in omnibus personis diuinis, necessariò sequitur, quòd quęlibet persona, ex illis tribus, est in alia: quia quęlibet est sua essentia, & non deserit naturam suam; sed vbi est natura sua, ibi est ipsa. Hîc tamen est notandum, quòd non conceditur hęc propositio, filius est in filio: quia ad esse in inuicem diuinarum personarum, concurrit realis alietas, & realis coniunctio; & hęc propositio, in, importat distinctionem: Vnde nulla res potest dici esse in alia, nisi sit ab ea distincta re, vel ratione. Amplius, conceditur hęc: Deitas est in Deo. non autem ista, Deus est in deitate, quia forma potest dici esse in non habente formam; & non è contra. Similiter dicitur Deitas est in Patre; non tamen Pater in Deitate, vel in diuina essentia: quia natura potest dici esse in supposito, & non è contra. Verùm non solum essentia diuina, (vt modò probatum est) sed etiam relatio, est ratio, quòd vna persona sit in alia; non quidem secundum esse, sed secundum intellectum: eo quòd vnum correlatiuum dicitur esse in ratione alterius; Ex quo accipere potestis, quòd cum spiritus sanctus non habeat relationē, nisi ad spiratorem; nullum inconueniens est concedere, quod spiritus sanctus non est secundum intellectum, quoad relationem, in Patre, & filio; nisi vt spirantes ipsum: sed tamen erit in Patre, & filio ratione essentiæ, vt consubstantialis; & secundum originem. Et licet relatio sit ratio, quare vna persona alteri opponatur; tamē est etiam ratio quod vna persona sit in alia; loquendo semper de esse in alio secundum intellectum in oppositis relatiuis; cum vnum relatiuorum sit de intellectu alterius. Tertiò asseritur quod etiam originatio est ratio, quod vnà persona sit in alia; quia licet filius dicatur ab æterno exisse à patre, est tamen in patre, quia huiusmodi exitus fuit secundum modum processionis interioris; prout verbum exit à corde, & manet in eo: nàm verbum, non procedit extra dicentem; & quod verbo dicitur, in verbo continetur. Quamobrem exitus in diuinis est secundum solam distinctionē relationum, & non secundum essentialem aliquam distantiam. Quid si dicat aliquis, quòd modus essendi in alio, vt in principio; dicit imperfectionem? Dicatis vos, primùm, quòd esse in principio acti

uo extraneo, id est, secundum operationem transeuntem; dicit imperfectionem; non tamen esse in principio intraneo; videlicet secundum operationem immanentem: quo quidem modo, filius est in patre, quia verbum non procedit extra dicentem. Prçterea dicatis, quod modus, quo vna persona est in alia, secundum originẽ; non propriè reducitur ad modum, quo principiatum est in principio; sed admodum quo vnũ relatiuum est in alio: nàm originans, & originatum sunt relatiua. Et profectò cum ea, quç in creaturis sunt, non sufficienter representent ea, quç Dei sunt; secundum nullum eorum modorum essendi in aliquo, quos Philosophus enumerat, Filius est in Patre, aut è contra: & si accedit ad illum modum, secundum quem, aliquod dicitur esse in principio originante, deest tamen vnitas essentiæ, in rebus creatis, inter principium, & id quod est à principio. Verùm dicet aduersarius, si omnibus his modis, vna persona est in alia, & è conuerso; sequitur, quod idẽ erit continens, & contentum primò, & per se, ratione eiusdem. Pro responsione sciendum, quòd si accipiamus Patrem esse in Filio, propter vnitatem essentię: eodem modo est Pater in Filio, & Filius in Patre; & tunc hçc propositio, in, non importabit aliquã relationem realem, sed tantum relationem rationis, qualis est inter essentiam, & personam; secundum quam, essentia dicitur esse in persona: si autem hoc accipiatur ex parte relationis, & originis, tunc est alius, & alius modus, secundum diuersam habitudinem Patris ad Filium, & Filij ad Patrem: propter quam dicitur ad argumentum, quòd falsa est consequentia. quoniam ad hoc, quòd aliquid sit in alio, per se primò, non sufficit quòd sit in eo secundum, quodlibet sui; sed oportet etiam quòd eodem modo sit in eo. secundò dicitur consequens non esse inconueniens, si sit ibi diuersus modus continentię, sicut in proposito: Filius est primò, & per se in Patre, sicut verbum in dicente, non representatiuè, sicut creaturç; sed essentialiter dictum: & Pater est primò, & per se in Filio, sicut originans in originato. deinde vna persona est in alia secundum esse, ratione essentię: & secundum intellectum ratione relationis. Prçterea continentia impropriè ponitur in diuinis; Ergo rectè dicitur quòd vna persona est in alia, & quòd æquales sunt in magnitudine. & nullum sequitur inconueniens. vt etiam clarius videbimus in sequentibus.


LECTIO LIII.

SED *iam nunc ad propositum, &c. F.* Tres diuinas personas ęqua les esse in magnitudine, ea ratione accepimus à Magistro, qua vnum in essentia omninò esse dicuntur. naturę enim vnitas, magnitudinis, siuè perfectionis ęqualitatem, optimè commonstra bat. In hac autem reliqua distinctionis parte, alias duas rationes, ad idem comprobandum, adducit ipse Magister; quarum qui dem prima (quę pluribus verbis exponitur) ita procedit, vt omnia, quę inęqualitatem facere possent, pœnitus excludat; altera verò ex essētię diuinę simplicitate, omnimodam ęqualitatem trium personarum in magnitudine, demonstrat. Primùm igitur probat Magister ęqualitatem in diuinis, per exclusionem inęqualitatis; quę quoniam quadruplici via posset contingere, vt si in vnitate essentię conuenientes diuinę personę, vel vt in toto integrali, vel vt in toto vniuersali, vel vt in materiali aliquo, vel etiam, vt in proprietate formali, conuenirent: sed nullomodo ex dictis, tres diuinas personas vnū esse posse in essentia, docet Magister. Non enim se habet essentia diuina ad tres diuinas personas, vt totum integrale; quia tunc diuinę personę, partes essent illius totius; consequens autem est absurdum, & impossibile; ergo, & antecedens, consequentia nota; probatur cōsequentis absurditas, & impossibilitas; Omnis pars dicit imperfectionem, ac diuersitatem: sed in diuinis personis, nulla est imperfectio, vel diuersitas: ergo in diuinis personis non potest esse ratio partis. maior probatur, quia ex aliquibus omninò perfectis non resultat tertium per se; & omne totum est maius sua parte: ex quo diuersitas, & imperfectio resultat: quę cum nullo modo in diuinis esse possint, nec etiam ibi erit ratio totius integralis. Vnde cum de diuina essentia, vel diuinis personis dicitur, totum, accipiendum est, prò perfectò; vel etiam priuatiuè, quia priuat hoc quod est esse partem, extra, vel intra. Quòd si ibi est pluralitas personarum, non tamen integritas: quia hoc dicit diuersarum rerum constitutionem; quòd diuinę simplicitati repugnat; illud verò, solùm distinctionem, quę in diuinis personis verissimè reperitur. Et confirmatur hoc per Magistrum, argumento à simili, ex Diuo Augustino, contra hęreticos accepto; hunc in

modum, ſicut in vna perſona ex diuinis inueniuntur plura attributa, vt bonitas, ſapientia, & huiuſmodi; quę nullam in illa perſona compoſitionem faciunt; ſic plures perſonę, quę in diuina natura reperiuntur, illam minimè componunt; ſed remanet ſummè ſimplex: ergo iam patet quòd diuinę perſonæ non conueniunt in vna eſſentia, ſicut partes in toto integrali. Sed quòd nec etiam in eadem eſſentia conueniant tanquam in toto vniuerſali, duabus rationibus oſtenditur à Magiſtro: Prima ducit ad impoſſibile, & eſt talis, Multiplicatis illis quorum eſt genus, multiplicatur etiã, & ipſum genus; ergo ſi diuina eſſentia eſſet genus reſpectu perſonarum, multiplicaretur diuina eſſentia, multiplicatis diuinis perſonis: ſed conſtat quod vna tantum eſt diuina eſſentia, licet tres ſint diuinę perſonę: ergo diuina eſſentia non eſt genus, nec perſonę ſunt ſpecies, vel indiuidua. ſumitur autem hęc ratio à Diuo Auguſtino dicente, quòd diuina eſſentia, non eſt genus, nec perſonę ſpecies: neque eſſentia eſt ſpecies, & perſonę indiuidua; quia videlicet multiplicaretur diuina eſſentia. Quarè manifeſtum eſt, quòd diuina eſſentia non ſe habet, vt vniuerſale ad diuinas perſonas. Ad quod confirmandum habetur alia ratio oſtenſiua: & eſt huiuſmodi. Vna eſſentia in quantum vna non habet ſpecies; ſed diuina eſſentia eſt ſimpliciter vna; ergo non habet ſpecies. Tunc vltra. Quod non habet ſpecies, non eſt genus; ergo diuina eſſentia non eſt genus: in diuinis ergo non eſt aliquod totum vniuerſale. Quod verò, nec tertiò conueniant diuinę perſonæ in eſſentia ſicut in aliquo materiali, ita quod diuina eſsẽtia ſit materia diuinarum perſonarum, ſicut lutum, vel æs multorum vaſorum; ſic argumentatur. In omnibus, quæ conſtituuntur ex vna materia, plus eſt de materia in pluribus quàm in vno: ſed non plus eſt de eſſentia diuina in pluribus perſonis, quàm in vna; ergo eſſentia diuina non ſe habet ad perſonas, vt materia. Et eodem modo excluditur, quod diuinę perſonæ in eſſentia conueniant ſicut in proprietate formali, quemadmodum conuenientes homines in vna complexione, vnius naturæ dicuntur: Nam duo ex his, quę dicto modo conueniunt, maius aliquid ſunt quàm vnus; quod non eſt in diuinis perſonis. Pręterea, ad veritatis iam determinatæ confirmationem, exponit Magiſter quoddam dictum Damaſceni, qui videtur aſſerere naturam diuinam habere rationem vniuerſalis, & communis; perſonas verò ſe habere, vt indiuidua ſub genere, vel ſpecie; cuius oppoſitum

positum, catholicè est à nobis conclusum. Et inquit intelligendum esse secundum similitudinem quandam, & non secundum proprietatem: multum enim distat in his, quæ sunt fidei modus enunciationis à re ipsa: quãdoquidem vtimur his nominibus modo nostro, & sic balbutiendo diuina resonamus. Quarè dictum hoc Damasceni nullam debet facere difficultatem. Vltimò ex ratione simplicitatis diuinæ essentiæ, probatur æqualitas magnitudinis trium personarum, & sic potest ratio formari. Vbicumque idem est vnitas, quòd magnitudo, non est maior magnitudo, nisi sit maior vnitas; sed in Deo idem est magnitudo, & vnitas secundum rem; & non est maior vnitas in tribus personis, quàm in vna; ergo similiter non est maior magnitudo trium, quàm vnius tantũ; ergo in magnitudine sunt æquales, quòd diuina essentia est magnitudo vna non multiplicata, nec diuisa in aliqua personarum: ex hoc enim necessariò sequitur, quòd personæ diuinę omninò sint æquales in magnitudine. Ex quibus omnibus colligit Magister, quòd quamuis Deus dicatur Trinus, non tamen dicendus est triplex: eo quòd triplicitas in illis rebus inuenitur, in quibus tria excedunt vnum in magnitudine; quòd non euenit in diuinis personis; ergo Deus non est dicendus triplex, quia triplicitas inæqualitatem ponit. Nec similiter conceditur hoc dictum, quod in diuinis sit ternarius vnitatum; vel ternarius personarum; quia licèt in diuinis sit numerus personarum, ille tamen numerus non habet plenam rationẽ numeri: quia, & si personæ sint distinctę per suas personales proprietates; tamen conueniunt in vna essentia in numero; numerus verò secundum plenã sui rationem, importat numeratorum distinctionem in essentia; Quare cum nomine ternarij significetur numerus secundum plenam sui rationem, dici non debet, quòd tres vnitates personales constituant ternarium: sed verè ponitur trinitas personarum in diuinis, quia nomine trinitatis significatur numerus, quantum ad distinctionem numeratorum, per suas personales proprietates; non quantum ad distinctionem in essentia. Patet ergo quod summa est æqualitas trium personarum in magnitudine; & si rectè animaduertatis, rationes omnes in in eo consistunt qđ diuina essentia est magnitudo vna, nõ multiplicata, nec diuisa in aliqua personarum; Ex quo necessariò sequitur, quòd diuinę personæ omninò sint æquales in magnitudine, quòd erat propositum Magistri in hac distinctione; de qua satis.

DISTINCTIO XX.



LECTIO LIIII.

N*VNC ostendere restat, &c. A.* Quoniam ex primis verbis huius distinctionis,& ex iis, quę circa dist.præcedentem habita sunt à nobis, Magistrum adhuc in eadem esse disputatione,& quęrere de æqualitate trium personarum, quantum ad potentiam, siuè potestatem, manifestè constat; Non in eius hîc intentione inuenienda,sed exponenda solùm,laborare conuenit. Sed primò sciendum quod Magister (vt solet) recta via incedit,dùm suam sententiam proponit,& aperit: deinde illam comprobat,& confirmat. Disputatione igitur proposita, de Trinitatis æqualitate in potentia;inquit Magister quòd sicut Patris,& Filij,& Spiritus sancti vna est essentia, ita, & vna est earum personarum potentia: quàm licet acceperit Filius à Patre,& Pater à se ipso habeat, non tamen propter hoc,minor est in Filio; quia Pater generando, omnem potentiam dedit Filio. Et hoc est quòd validè compro-

comprobatur à Magistro cùm authoritate, tùm ratione; Authoritas est ipsius Ioa: c. 16. videlicet. Omnia, quę habet Pater, mea sũt. Vnde sic argumentatur; Si filius minorem, vel debiliorem haberet potentiam, quàm Pater; non omnia haberet, quę habet Pater: sed quęcumq; habet Pater, habet & Filius. (vt inquit Ioa.) ergo Filius, minorem potentiam, non habet, ipso Patre; & sic est æqualis Patri in potẽtia. Sed contra dupliciter instat hæreticus; & primò inquit; Verum quidem esse quod, quicquid habet Pater, habet, & Filius; sicut bonitatem, potentiam, & huiusmodi: sed non tãtum habet de vno quoq; sicut Pater. Et profectò vim aliquam habere videtur, instantia hæc heretica; quandoquidem talis consequentia, concedenda non videtur. Omnia, quę habet Pater, habet Filius; ergo quantam potentiam habet Pater, tantam habet Filius. Siquidem cum, omnia, distribuat pro substantia; &, quantum, quantitatem dicat; mutatur quid, in, quantum; vnde non tenet argumentum. Ad quod respõdet Magister, sic, clarius idem formando argumentum; Omnia, quę habet Pater, habet Filius; sed omni potentiam habet Pater; ergo & Filius. Et sic æquales sunt in potentia. Ad confirmationem verò pro hæretico, dicatis prædictũ argumentum, nisi formaliter, materialiter saltem, valere. nam quia in diuinis, quantitas, & substantia, omninò sunt idem; rectè (de illis loquendo) mutari potest, quid, in quantum. At, quid si etiam argumentum illud formaliter valere dicamus? nullum est inconueniens dicere, quòd ibi, omnia, non distribuit tantùm pro substantia, sed pro rebus omnium generum; & tunc nulla est ibi figura dictionis: cum enim habere dicitur aliquis non solùm substantialia, sed & proprietates; sicut nullam potẽtiam habet vnus, quàm non habeat alter; sic nihil põt vnus, quòd non possit alter. Verùm secundò instat hereticus, quòd etiam concesso filium omnia habere, quę habet Pater, Pater tamen potentior est filio; quia hoc, ipse filio dedit, & ipse à nullo, sed à se ipso habet. Quòd etiã per Augustinum refellitur à Magistro hunc in modum, Si Pater potentiam dedit filio (vt concedis) certè, vel æqualem dedit ei potentiam, vel non æqualem; si primùm, ergo sicut Pater est omnipotens, & filius erit omnipotens: Si verò secundùm, ergo non omnia, quæ habet Pater, & filius habet, quòd tamen est à Ioa: Apostolo affirmatum, & à nobis antea concessum. Quamobrem huiusmodi authoritate diuinas personas æquales esse in potentia, optimè est

comprobatum. Ratione tamen hoc idem efficacius, sic videtur conuinci. Si Pater, filium potestate minorem (vt dicis hæretice) genuisset, Tunc quęro, aut potuit eum gignere æqualẽ, & noluit; vnde inuidus esset; vel voluit, & non potuit æqualem se gignere; vnde omnipotens non fuit: horum autem vtrumq; est manifestè absurdum, & falsum, ergo, & illud ex quo sequitur. igitur impossibile est filium non esse æqualem Patri in potestate. Et hoc iterum confirmatur à simili. Quia sicut in generatione humana, Pater quanto perfectiorem potest generare filium, generat; ergo multò fortius in diuinis. AEqualis ergo omnipotentiæ erunt omnes tres diuinæ personæ. Nec (vt vltimo loco inquit Magister) difficultatem facere debet, quòd filius sit à Patre, & non è conuerso: quasi ex hoc sequatur, quòd filius minor sit Patre. Nàm ad originem pertinet quęstio, qua quæritur an filius sit à Patre: quãdo verò quęritur An Pater sit æqualis Filio, non est quæstio de origine, sed est quęstio qualis, aut quantus sit filius; hoc est, an sit ita perfectus, & omnia alia potens, sicut Pater; cum ergo æqualitas attendatur secundum quantitatem, & non secundum relationem: filium esse à Patre (quod originis relationem dicit) nullam potest facere, vel æqualitatem, vel inæqualitatem. Quarè licet potentiam habeat filius à Patre, & Pater à se ipso; non tamen ideo minor est in filio; quia, videlicet, Pater generando, omnem potentiam dedit filio. Hæc habet Magister. quem, vt cognoscatis non esse superfluum, not. est quòd Arrius, qui fuit Pręsbiter Alexandrinus, inter multos errores hunc seminauit, quòd, scilicet, solus Pater in diuinis erat Deus, & quòd filius erat creatura, & per consequens multò minor Patre. Quem errorem ab Origene acceptum esse testatur D. Augustinus, affirmando Origenem sic sentire de filio Dei, quòd ad creaturas comparatus sit veritas, & ad Deum, dicatur mendacium: vnde deducebat non esse fundendas pręces ad filium, quia non erat Deus. Epiphanius etiam, in quadam epistola ad Ioannem Hierosolimitanum, asserit Origenem, dixisse filium non esse orãdum, quoniam est creatura. Quamobrem iurè Magister eandem assumit disputationem, vt hæreticis satisfaceret. Sed quoniam non de facili reprehendendi sunt maximi viri, Animaduertatis quòd (vt dicit Theophilus martir) non discessit à veritate Origenes, etiã si apud ipsum ea, quæ dicta sunt, reperiantur. Nam vel illa ab aliis addita fuêre; (quoniam cum esset Origenes vir summæ authoritatis,

tatis, & eius scripta ab omnibus reciperentur, illa ab hæreticis fuerunt deprauata) vel si ab ipso sunt apposita, non errauit, quoniam olim, apud græcos, liberè Patres concedebant filium in diuinis esse minorem Patre, considerata præsertim origine filij: vt videre est apud Cirillum, lib. primo Thesauri sui. c. 10.: apud Chrisost. hom. 46. in Ioannem: D. Hyl. de Trinit. libro 5. & apud D. Thomam in opusculis cont. errores græcorum. Qui certè Patres, ob id non sunt inter hæreticos enumerandi, quoniam illud dictum tunc piis auribus non dissonabat. Verùm hoc tempore, ortis hæresibus, considerandum est à nobis quando, & qua ratione, locuti fuerint sancti patres. Et præterea, propter hæreticorum rationes, aures vestras non præteruehat, quod æqualitas in diuinis, & similitudo, secundum essentialia attenditur. Ex quo ad propositum accipiatis velim, quod sub potentia actiua (secundum quam personæ dicuntur æquales) non cōprehenditur potentia producendi ad intra; quia sic diuinæ personæ non essent æquales, secundum potentiam, cum Pater possit generare filium, filius autem alium filiū generare non possit: sed comprehenditur solùm potentia effectiua, siuè causatiua (hoc est) productiua alicuius realiter, & essentialiter distincti; quæ est solum respectu factibiliū ad extra: in qua potentia, æquales omninò sūt tres diuinæ personæ; quia quicquid est factibile ab vna persona, factibile est etiam ab alia; & æquè perfectè ab vna, sicut ab alia. Et quod omnipotentia solum dicatur respectu factibilium ad extra, etiam sancti confirmant, vt patet in litera præsentis distinctionis, per D. Augustinum, dùm contra Maximinum hæreticum inquit. Non est ideò Pater maior filio, quia æqualē sibi genuit; eo quòd originis est illa quęstio, & non æqualitatis; quòd etiam Augustinus in lib. de fide ad Pet. c. 3. apertius dicit, In eo intelligitur omnipotentia Dei, quia omnem creaturam visibilem, & inuisibilem de nihilo fecit; Quamobrem omnes personæ diuinæ sunt æqualis potentiæ, tàm extensiuè, quàm intensiuè; & sicut Pater, ita filius, & spiritus sanctus omnipotens est dicēdus. Si quidem sicut Pater omnia possibilia, siuè factibilia extra producit, & potest efficere; ita filius, & spiritus sanctus: quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Sed dicetis, Potentia generandi secundum se, est quædam potentia, ergo, si filius caret illa, non erit omnipotens. Respondetur negando antecedens, quia potentia est respectu factibilium tantum; secundum modum loquendi

ſanctorum; & ſic filius eſt omnipotens, quia omne factibile poteſt producere, & deſtruere, vnde omnipotens non dicit potentiam, reſpectu cuiuslibet, ad cuius eſſe nõ ſequitur contradictio, ſed tãtum reſpectu factibilis, ad quòd non ſequitur contradictio; & ſic omnipotens eſt, quòd poteſt facere omne factibile. Et ſi dicatis quòd ex argumento D. Auguſtini in litera adducto ſequitur, quòd poſſe generare, ſit quoddam poſſe, cum videlicet, inquit. Si Pater non generaret filium ſibi ęqualem, non eſſet omnipotens. Nego illam conſequentiam, quia tantum valet, ſicut iſta, ſi Pater non eſt Deus, Pater non eſt omnipotens, ergo eſſe Deum, eſt quoddam poſſe. Neque hoc miremini (Iuuenes) quia cum dicitur poſſe generare, ſiue producere diuinam perſonam, non eſt poſſe; idem valet, ac ſi dicamus, quòd poſſe producere diuinam perſonam, non eſt poſſe facere aliquòd factibile. Vnde ſimiliter cum dicitur. Omnia, quę habet Pater, habet filius, intelligitur verum eſſe de his, quę dicũt perfectionem ſimpliciter. i. eſſentialem; quæ eſt in omnibus tribus perſonis. Ex quo debetis colligere, quòd potentia, non eſt terminus ſuperior ad potentiã generandi; quia potentia in propoſito, & potẽtia generãdi, ſunt termini diſparati; & ratio eſt, quia cùm in propoſito, hoc nomẽ, potentia, ſolùm reſpiciat factibile ad extra, & potentia generandi, ſolùm producibile ad intra; ſequitur, quòd potẽtia generandi, nõ eſt potentia. Quarè cum Magiſtro concludimus, quòd iam ex ſuperius dictis conſtat, qualiter aliqua trium perſonarum quamlibet aliam, nec æternitate, nec magnitudine, nec potentia excellit, quòd ſummam inter eos ponit æqualitatem.

DISTINCTIO XXI.

Vt tollat difficultates circa dicta de æqualitate diuinarum perſonarum.
- Huius, & ſimilis propoſitionis. Tantus eſt ſolus filius, quantus Pater, & filius; ſenſum aperit. A.
- Docet quomodo dictiones excluſiuæ, nominibus diuinis adiungi poſsint.
  - An perſonalibus, & eſſentialibus. B.
  - An Collectiuo. C.
- Dictarum locutionum dat quandam regulam. D.

LECTIO LV.

HIC *oritur quæstio trahens originem, &c.* A. Ad vberiorem doctrinam eorum, quæ dicta sunt in duabus præcedentibus distinctionibus docet Magister qualiter dictiones exclusiuę capiantur in diuinis. Cum enim in d. 19. & 20. triū personarum æqualitatem doceret Magister, vsus fuit hoc modo loquendi, quod solus Pater habet tantum de potentia, quantum omnes tres personæ simul: quòd non plus possunt Pater, & filius simul, quàm solus spiritus sanctus: & similia; quę dicta, quoniam difficultatē pariunt, ex eo, quòd inseparabiles sunt diuinę personę. In hac præsenti distinctione inquirit Magister harum loquutionū veritatem. Qualiter scilicet, huiusmodi dictiones exclusiuę nominibus diuinis possint adiungi; & tria facit; Primùm harum propositionum, Tantus est solus Pater, vel solus filius, vel solus spiritus sanctus, quātum oēs tres diuinę personæ simul; & duæ vel tres personę simul, nō sunt maius aliquod, quàm vna persona sola; sensū aperit, intelligentiamq; tradit. Secundò docet, quō termini personales, & essentiales enūciari possint, cùm hac dictione exclusiua, solus. Tertiò dat quandā generalem regulā, qua prędicta sanius intelligātur. Propter hęc aūt sciendū est, primò, quòd hęretici latrāt in Magist. Sent. reprehendēdo illū, non solū ex hoc loco, sed etiā ex sequētibus distinctionibus; Qm̄ dicunt hoc sophysticè esse factū; attamē errant, qm̄ ista à Magistro assumūtur propter hęreticos, qui confundebant personas, & separabāt essentiā; ideoq; docet dictiones, quibus explicari pōt huiusmodi misteriū Trinitatis. Pręterea not. quòd cū in Deo cōsideremus essentiā, & personas; & nomina, quę exprimunt essentiā, essentialia; quę verò personas, personalia, dicātur; sicut diuinæ personæ distinguuntur, & negātur ad inuicē; essentia verò singulis personis cōmunicatur; sic nomina essētialia cōmunia sunt tribus personis; personalia verò vnicuiq; personæ adaptātur. Quamobrē sciendū est tertiò, quòd nomina personalia possunt enūciari de nominibus personalibus respectu eiusdem personę, cum hac dictione, solus: vt exēpligratia, Pater, solus est Pater; hæc enim propositio rectè intellecta est sempiternæ veritatis; quoniam in diuinis est vnus tantùm Pater, quòd si non est Pater, sine filio; nec filius sine Patre; Inquit Magister, quòd per illud dictum non

non excluditur vna persona ab alia; sed proprietas relatiua notatur ita conuenire vni, quòd non alteri; vnde sensus est, solus Pater, idest qui ita est Pater, quòd nõ filius; similiter solus filius.i.qui ita est filius, quòd nulli alteri conuenit filiatio diuina. Amplius de secundo proposito dicimus, quòd propositiones, in quibus termini essentiales de terminis personalibus, cùm exclusione affirmãtur, omninò sunt negandæ, vt solus Pater est Deus, vel Pater est solus Deus; & similiter de filio, & spiritu sancto: siquidem per hoc dictum, aliæ personæ à diuinitate videntur exclusæ; & tamen esse solum Deum, totæ Trinitati conuenit; & non solum vni personæ; quòd non sic est intelligendum, quòd solus Deus prædicetur de tota Trinitate, & nõ de Patre: quia solus Deus non accipitur pro vnica persona, excludendo alias personas; sed pro tota Trinitate excludendo alias naturas: vnde licet Deus supponat pro Patre, de quo verè prædicatur; nõ tamen præcisè supponit pro solo Patre; & ideo D. August. cõcedit, quòd sola Trinitas est solus vnus Deus; non tamẽ solus Pater. Vltimò talis datur regula, quòd cùm vna diuina persona sit in alia (vt clarè d. 19. & 20. accepimus à Magistro) quando vna exprimitur, semper aliæ intelliguntur, etiã si exprimatur illa cum dictione exclusiua; vt cum dicitur Nemo nouit Patrem nisi filius; non.n. inde separatur Pater, vel spiritus sanctus; quia inseparabiles sunt; & quamuis non sit idem dicere, nemo nisi filius nouit, quòd & solus filius nouit; quia, nemo, distribuit pro natura, non pro persona; solus, autem excludit personam cum additur termino personali; Vnde sensus est, Nemo nouit Patrem, nisi Filium.i. nulla natura cognoscens, nisi ille, qui est eiusdem naturæ cum Patre; quamobrem non excipitur Pater, nec spiritus sanctus, ratione vnitatis naturę: Adhuc tamen nõ intelligerentur excludi aliæ duæ personæ, si sic se haberet propositio, solus filius nouit; ratione iam dicta, hoc est, propter vnitatem essentiæ; ratione cuius, verè dicuntur affirmari, quæ secũdum proprietatem sermonis, iurè negata essent. Et ex his patet litera præsentis distinctionis. Sed nostri Scolastici disputant cõtra priorem particulam quærendo an ista sit vera, Pater Deus solus est, nam videtur concedenda, quoniam à Deo omnia sunt; at si solus Deus est, ergo, reliqua non erunt. Respondetur, quòd propositiones omnes de secũdo adiacente resolui debent in propositiones de adiacẽte tertio: Cùm autem resoluitur illa in hanc. Pater Deus solus est ens, oportet

tet videre, quid nomine entis intelligatur. Sumitur autem ens tripliciter, & primò modo enunciatur de eo, quòd per se, & à se est; quòd dicitur ens per essentiam suam; quòd à nullo alio pendeat. & sic verè dicitur, solus Deus est ens; Secundo modo dicitur de eo, quod habet entitatem subsistentem sibi communicatam à primo ipso ente, quòd per essentiam est; ad quòd si referātur hæc, potiùs nō entia dicuntur, quàm entia; hoc tamen modo accepto ente, falsa est illa propositio, solus Deus est ens. Tertiò modo habet communissimam significationem, & prædicatur vniuersaliter de omni eo, quòd essentiam, vel existentiam habet aliquam, & in hoc etiam sensu, falsa est dicta propositio, solus Deus est ens.

Sed amplius, quęrunt quidam ex nostris Scholasticis. Si Pater in diuinis solus esset. Nunquid esset plenè beatus? & ratio dubitationis est, quoniam accepimus à Magistro d. 19. & 20. quòd vna est magnitudo, & perfectio trium, & quòd vna persona est ita perfecta, sicut tres personæ simul; & ex alia parte inquit D. Hilarius in libris de Trinitate, quòd in diuinis necessariò requiritur cōsortium, & nullo modo solitudo. Respondent Scholastici, quòd Pater esset Beatus solus. Dicetis, ergo esset solitarius. Respōdetur, quòd posito vno impossibile sequitur quodlibet; & cum Deum esse solitarium, valde sit absurdum, propositio hæc, Deus ab æterno fuit solus, non conceditur; quia sensus est, quòd Deus ab æterno fuit solitarius: quāuis ab æterno alia essentia non fuerit, quàm diuina, tamen in illa essentia est, & fuit ab æterno pluralitas personarum; quæ à Deo solitudinem excludit. Vnde cùm quęritur an ista sit vera, solus Pater, est Pater. Respondetur, quòd si hic terminus, solus, capiatur cathegorematicè. (quòd valet idem, ac solitarius) tunc propositio est falsa, & nullo modo concedenda; immò vniuersalius dicitur, quod hæc dictio, solus, cathegorematicè accepta, hoc est, vt dicit solitudinem. Non potest verè addi alicui termino in diuinis, constituendo affirmatiuam propositionem: nam sic capiendo priuat, siuè excludit consortium trium personarum; quæ tamen sunt ad inuicem inseparabiles; & in hoc sensu, omnes istæ sunt negandæ. Solus Pater est Deus, solus Pater est Pater. Solus Pater creat: & huiusmodi. Valent enim, Pater, qui est solitarius, est Pater, est Deus, creat, & huiusmodi. At si accipiatur sincathegorematicè, verū erit dicere, quòd solus Pater est Pater, quia sic talē habet sensum, Pater est Pater, & nullus alius à Patre est Pater,

ter, quòd verum est, ex qua difficultate illud est maximè cauendũ, ne in diuinis solitudo, vel diuersitas reponatur. Sunt, & alia notatu digna, quæ quoniam multa sunt, aliud tempus, & lectionem aliam, requirunt.

LECTIO LVI.

NE in quibus abundauit Magister, ego ipse deficiam; & minus intelligantur ea, quæ ad aliorum intelligentiam sũt tradita; Duo hodie vobis propono, facilè, & breuiter aperienda; quæ à D. Thom. 1. p. q. 31. 3. & 4. diligenter tractãtur. Alterum est; An hæc dictio exclusiua, solus, possit addi termino essentiali in diuinis: Alterum verò erit, An eadem dictio possit addi termino relatiuo, vel personali. Propter quæ, hæc præmittenda sunt. Primùm quòd cum hæc dictio, solus, idem sit, quòd non cum alio; in quo remouetur consortium; vel per eam intelligitur remoueri consortium simpliciter, vel respectu alicuius: & tunc, si primo modo remouetur consortium, dicitur dictio cathegorematica; & intelligitur simpliciter remoueri consortium, quãdo tollitur associatio alterius, qui sit eiusdem naturæ, & cõditionis cùm ipso; vnde dicimus aliquem hominem esse solum in domo, quamuis ibi sint multa animalia; & aliquem religiosum, dicimus solum incedere, cum sinè socio sui ordinis vadit, multis etiã ipsum comitantibus; & sic idem valet, solus, quòd solitarius; at secundo modo, remoto consortio, est dictio syncathegorematica, importans aliquem ordinem, vel habitudinem vnius ad alterum, ratione negationis implicitè; & sic excludit aliud suppositum, nõ à consortio illius simpliciter, sed à consortio illius cum prædicato: vt cum dicitur solus sortes scribit; nõ enim significatur, quòd sortes sit solitarius, sed quòd nullus sit ei consors in scribendo, licet multi cum eo existant. Præterea dicimus, quòd omnis propositio, in qua ponitur dictio exclusiua, habet duas exponentes, vnã affirmatiuam, & aliam negatiuam; & potest tripliciter exponi: videlicet, ratione alietatis, vt ista, solus Pater est Deus. Exponitur, Pater est Deus, & nihil aliud à Patre est Deus: gratia infinitatis sic. Pater est Deus, & nullus non Pater est Deus: & denique gratia pluralitatis exponitur illa, in qua dictio exclusiua additur termino

numerali;

numerali, vt cum dicitur solus vnus est Deus. exponitur, Vnus est Deus, & non plures Dij vno Deo, ergo solus vnus est Deus. Tertiò addimus, quòd dictio exclusiua, ab eo cui additur, non excludit aliquod prædicatum essentiale, nec aliquod, quod sit cum illo saltem vnum subiecto: siquidem, solus, (vt dictum est) negatioñe dicit associationis cuiuslibet diuersi ab illo, cui apponitur: vnde dictio exclusiua addita definito, non excludit definitionem; nec addita inferiori, excludit superius; nec addita toti integrali, excludit partem; quia hæc omnia includuntur, & inferuntur; nisi tamen adderetur respectu prædicati, quòd pertinet ad eorum differentiam: quia tunc fieret exclusio. vt dicendo solus homo est specialissima species: non enim sequitur, ergo animal, vel substantia est specialissima species. Ex quo loco accipiendum occurrit, quòd dictio exclusiua addita vni correlatiuorum, excludit aliud, vt rectè putarunt Scotus, Bassolus, Ocham, Durandus, Bonauentura, D. Thom. & alij multi; & ratio est, quia licet vnum correlatiuum sit de intellectu alterius, tamen non facit cum alio vnum per essentiam, nec per inhęrentiam; sed sunt distincta supposito: præsertim in diuinis, de quibus nunc agitur. Vnde benè colligitur, quòd omnes propositiones exclusiuę, quæ sunt de prædicatis, quæ non possunt inesse vni relatiuo, nisi insint alteri, sunt falsæ, & impossibiles: & illę, quæ sunt de prędicatis, quę possunt inesse vni sine alio, possunt esse veræ; sicut ista, solus Pater generat, est vera: & hæc est simpliciter falsa, solus Pater est; quia si Pater est, oportet, & filiũ esse, vnde falsò dicitur, solus Pater est. Tunc ad primum propositum dicitur, quòd si addatur dictio exclusiua termino substantiali à parte subiecti; vel sit respectu prædicati essẽtialis, vt solus Deus creat; vel respectu prædicati personalis, vt solus Deus est Pater; talis propositio, semper est vera, syncathegorematicè accepta; falsa autem si sit cathegorematica propositio: & hęc, de qua videtur dubitandum, solus Deus est Pater, dicitur vera; quia habet intellectum huius negatiuæ. Nullus alius à Deo est Pater; cuius conuersa simpliciter, non est, Nullus alius à Patre est Deus, sed hæc. Nihil quod est, Pater, est aliud à Deo; idem enim quod subiiciebatur in prima, debet prædicari in secunda. Et potissimum est vera, si ly Pater, prædicet personam Patris: falsa autem esset, si prędicaret relationem tantum. Sed sciatis, quòd licet hoc nomen essentiale, Deus, supponat pro qualibet trium personarum in diuinis, absolutè

lutè sumptum; non tamen potest sic personaliter accipi, quando additur ei exclusio, solus:, & ratio est, quia dictio exclusiua immobilitat terminum, cui adiungitur, ratione negationis implicitæ; Vnde sicut non sequitur, solus homo est rationalis, ergo solus sortes est rationalis: sic non valet, solus Deus creat, ergo solus Pater creat: & est regula vniuersalis, quòd sicut sub termino communi indefinitè sumpto, non fit descensus; sed est fallacia consequentis; sic sub termino essentiali, cum dictione exclusiua, non licet descendere, nec affirmatiuè, neque negatiuè. Si autem dictio exclusiua addatur termino essentiali à parte prædicati, Dicitur quod aliquãdo verè additur, sed impropriè; & secundum intellectum intelligitur se tenere à parte subiecti; licet secundum vocem sit à parte prędicati: si tamen apponeretur non absolutè, sed cum termino partitiuo, vel numerali; sicut cum termino vnus, vt dicẽdo Trinitas est vnus, solus, verus Deus. excluderet pluralitatem; & rectè esset apposita. Quarè si verè, non tamen propriè dici Potest. Pater est solus Deus; vel Trinitas est solus Deus; nisi etiam ex parte prædicati intelligeretur aliqua implicatio, vt dicatur Trinitas est Deus, qui est solus Deus; & similiter Pater est Deus, qui est solus Deus. Quod si Augustinus dicit Trinitatem esse solum Deum; communiter est loquutus, & non propriè; loquebatur enim expositiuè, ac si diceret, Cum dicitur, Regi seculorum inuisibili, soli Deo. non est exponendum de persona Patris, sed de sola Trinitate. Ad secundum verò respondetur, quòd si dictio exclusiua addatur termino relatiuo respectu prædicati proprij, accipiendo dictionem illam, solus, syncathegorematicè, propositio est vera, vt solus Pater est Pater; quòd patet per exponentes ipsam; falsa autem si, solus, cathegorematicè teneatur, quia solitarius, vt dictum est, non admittitur in diuinis. Et si denique dictio exclusiua addatur termino personali, respectu prædicati communis; vt in hac propositione. Solus Pater est Deus. Inquit D. Thomas, quod quia tunc fit exclusio subiecti à prædicato; si excluditur alius masculinè, est falsa propositio; quia sensus esset, quod nulla alia persona à Patre est Deus: at si excludat aliud neutraliter tantum; quia filius est alius à Patre, non tamen aliud; similiter, & spiritus sanctus; est vera propositio; quia significat, quòd nihil aliud à Patre est Deus. Et verè dicit in hoc D. Thom. vnde non benè reprehenditur à Bargio hoc in loco, quia licet adiectiuum semper accipiat suum modum signi-

gni-

gnificandi à ſubſtantiuo; Et ideo hîc non poſſit accipi neutraliter, cum ſubſtantiuum ſit maſculini generis; tamen D. Thom. loquitur ex ſuppoſitione, ſine qua dicit apertè, quòd talis propoſitio non eſt ſimpliciter accipienda; ſed piè exponenda ſicubi inueniatur in Sacra Scriptura: quia hæc dictio, ſolus, reſpicit propriè ſubiectum; & magis ſe habet ad excludendum alium, quam aliud. Clarius tamen dicatis cum D. Bonauentura, quòd ſi, ſolus, faciat excluſionem reſpectu compoſitionis intellectæ circa ſubiectum, erit vera propoſitio; quia ſenſus erit ſolus Pater, ideſt, ille, qui ſolus eſt Pater, eſt Deus; ſed ſi faciat excluſionem reſpectu principalis locutionis, eſt falſa talis propoſitio; niſi addatur determinatio, qua arctetur excluſio; vt cum dicitur, Tu ſolus altiſſimus Ieſu Chriſte, cum ſancto Spiritu; & in hoc ſenſu intelligendæ ſunt conſimiles omnes propoſitiones: quæ primo modo acceptæ, dicuntur veræ, quia remouent formam termini ſubiecti ab aliis: Secundo verò modo, falſæ iure exiſtimantur, quia remouent formam prædicati ab aliis perſonis: Tandem hoc ſit vobis vniuerſale, & optimũ documẽtum ad dignoſcendá veritatem harum propoſitionũ; v3. Quod omnis propoſitio in qua additur dictio excluſiua, vel termino eſſentiali reſpectu prædicati eſſentialis, ſiuè perſonalis; vel termino perſonali, reſpectu prædicati perſonalis, ſiuè eſſentialis; Tunc dicitur eſſe vera, quando eius exponentes ſunt veræ; falſa aũt ſi vel altera exponentiũ ſit falſa. Et hoc intelligendũ eſt à vobis de virtute ſermonis; quia ſi aliquãdo in vſu ſacræ ſcripturę, & ſanctorũ aliter inuenitur, authoritates huiuſmodi piè exponẽdę ſunt, in sẽſu in quo habẽtur, & nõ in ſenſu, quẽ de virtute ſermonis faciũt.

DISTINCTIO XXII.

De vniuerſali prædicatione diuinorũ nominũ
- Pręmittitur nominum diuerſitas
  - A D. Auguſtino, & Ambroſio obſeruata. A.
  - Ab ipſo Magiſtro appoſita
    - Eorum, quæ relatiuè dicũtur. B.
    - Ei quod eſt. q. collectiuum perſonarum. C.
    - Eorum quæ nec relatiuè, nec de omnibus dicuntur. D.
- Determinantur prædicationis Regulæ.
  - Affirmando. E.
  - Comprobando. F.

LECTIO LVII.

QVONIAM (dilectissimi in Christo fratres) ad veram beatitudinem, & saluté consequendam, non solùm (vt optimè scitis) necessaria est nobis fides de veritate rerum; sed etiam vocalis confessio per nomina; secundum quod habet D. Iacobus, fidem sine operibus mortuam esse; & (magis ad propositū) Paulus Apostolus ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem: Hinc est, quod sicut Magister noster postquam egit de sacra Trinitate, secundum quòd catholicè creditur, & nunc incipit agere de ea, secundum quòd credita, per catholicos sermones exprimitur; sic nos pristina studia in his reuocare debemus, & eadem diligentia, vel maiori, hæc tractare; sic enim quemadmodum non nobis solùm, sed etiam aliis natos esse, & scimus, & profitemur; alios quoque rectè loquentes, rectè intelligere, recteq; loqui, poterimus docere. Cum ergo dicit Magister Post prędicta disserēdum videtur de nominum diuersitate, quibus loquentes de vnitate, ac Trinitate ineffabili, vtimur; eius intentionem, & continuationem perspicuè habetis; eam nempè esse, quod peracto tractatu de diuinis rebus, agere incipiat de diuinis nominibus; quibus, & personarū pluralitas, & essētię vnitas designatur. Ordo autem, & diuisio huius partis, non est adeo facilis; & pręsertim propter diuersas interpretum sententias: Ego tamen in duas principales particulas diuidendam arbitror; quarum prima nominum prædicationem; significationem altera eorundem contineat. Quæ duo, sequētibus quatuor distinctionibus principaliter explicantur; hoc ordine, quòd in distinct. 22. duæ dantur vniuersales regulæ ad rectam diuinorum nominum prædicationem. In 23. ab vniuersali substantialium nominum, ratione prædicationis, regula, excipitur hoc nomen persona. Et distinct. 24. in quo sensu nomina numeralia per se sumpta, intelligere debeamus, exprimitur. Ac denique habemus in sequenti, quomodo eadem sint accipienda, quādo cum hoc nomina, persona, sint connexa. Quamobrem distinctio hæc, qualiter vnumquodq; diuinorum nominum prædicetur ostendit: Et duas potest habere particulas, secūdum quod sex diuinorum nominum differentias præmittit; & duas constituit

tuit regulas prædicationis eorum. Sed primò contra suppositum iurè dubitatur, quia cum Deus sit ineffabilis, quomodo eius nomina à nobis quęruntur? & cum sit purissimus actus, quomodo pluribus nominibus significari, & nominari potest? Respondent vnanimiter Scholastici, quod sicut Deũ imperfectè cognoscimus, sic & imperfectè nominamus, quasi balbutiendo (vt inquit D. Gregorius): cum enim voces sint signa conceptuum (secundum Philosophum primo Perhiermenias) idem est iudicium de cognitione, & nominatione eius. Quamobrem dicitur Deus ineffabilis, per comprehensionem perfectam; effabilis autem, per imperfectam, & semiplenam narrationem: à semetipso autem sicut est perfectè intelligibilis, sic & perfectè effabilis, & nominabilis; non tamen alio nomine, vel verbo, quàm ipse sit. Verùm cùm Scotus, & Gabriel Biel, dist. 22. & Rubionus, dissentiant ab aliis, in hoc, quòd volunt aliquod nomen distinctius significare, quàm concipiatur; vnde negant hoc dictum, sicut res intelligitur, ita, & nominatur; quia volunt posse imponi nomen à nobis, distinctius significans essentiam, quam intelligatur à nobis: Mea certè sententia, falluntur. cum enim vox significet conceptum mentis, vel non sine mentis conceptu, illa nihil significat, nisi quòd eodem modo significat conceptus cui subordinatur; vnde rectè colligitur, quòd significatio causatur ex cōceptione: ex quo deducitur, quod distincta significatio, supponit distinctam conceptionem; & confusa, confusam; cuius rei gratia, inquit D. Bonauentura, quod qui melius cognoscit, melius effatur, & melius nominat, & expressius; vt fidelis, & sacra Scriptura distinctius, ac melius loquitur, quàm ratio, vel philosophia; nec potest aliquis ex aliquo nomine plus intelligere, quàm perfectus impositor apprehēderit; quia si aliquis (meliori ingenio) cognito alicuius nominis significato, in re, discurrendo, alia cognoscit (sicut ex principiis cōclusiones deducimus) hoc non est ex vi significationis nominis. Ergo si viator non potest habere cognitionem distinctam Dei, nec etiã nomen impositum poterit viatori distinctè, hoc est, perfectè significare Deum. Quarè iterum concluditur, quòd Deus non est à nobis nominabilis nisi ex creaturis, sicut per creaturas tantum cognoscitur. Et potest significari nomine, & pronomine, verbo, & participio, & aduerbio; remouendo semper imperfectiones, quas sic loquendo consignificamus; res enim significata à nobis, debet attendi, & non modus

dus

dus quo ſignificatur. Patet etiam ex hoc eodem fundamento ad illud, quod ſecundo loco quęrebatur, reſponſio, quòd ſcilicet, poteſt Deus ex creaturis multipliciter nominari, licet puriſſimus ſit actus. Cum.n. nominetur vnumquodq; à nobis, ſicut intelligitur; quia intellectus eſt, qui imponit nomina rebus, quas intelligit; & ſicut intelligit; Deũ poſſumus nominare multis modis: quia Deũ intelligimus propter creaturas multis modis, & quantum ad multas cõditiones. Nàm ſi Deũ cõſideramus, vt noſtri cauſam; quia multi ſunt eius actus, & effectus; vt creare, gubernare, iuſtificare, glorificare; & huiuſmodi; ſic pluribus nominibus ipſum ſignificamus. Similiter ipſum conſiderando per remotionem imperfectionum, quę ſunt in creatura; quia multæ ſunt imperfectiones remouendæ, multis etiam nominibus nominatur; vt increatus, infinitus, immenſus, incorporeus, immortalis, & huiuſmodi. Et ſi denique conſideremus Deum per eminentiam à creatura, multa nobis comparamus nomina, eius perfectiones multas, & magnas, ac infinitas exprimentia; quando omnes perfectiones in creaturis repertę eminentius ſunt in Deo. Cum igitur nominabilis ſit Deus à nobis; & pluribus nominibus nominari poſſit: rectè Magiſter hoc ſuppoſito, in prima parte huius diſtinctionis, ſex diuinorum nominum ponit differentias; quarum tres accipit ex Diuis Auguſtino, & Ambroſio, in quibus includuntur, & aliæ tres, quas Magiſter conuenienter addit, & explicat; dum in illis tribus differentiis diuiſionem Ambroſij, & Auguſtini ſpecificat, quantũ ad quoſdam ſpeciales modos. Eſt autem prima trimẽbris diuiſio, quod diuinorum nominum, quædam ſunt abſoluta, vt quæ dicunt eſſentiæ vnitatem: quædam relatiua, vt quę dicunt perſonarum diſtinctionem; & quædam ex creaturis accepta, vt quæ tranſlatiuè, & per ſimilitudinem de Deo dicuntur. Secũda verò trimembris diuiſio, quàm addit Magiſter (vnde ſex talium nominum conſurgunt differẽtiæ) ea eſt, quòd nominum pertinentium ad vnitatem maieſtatis, & proprietatem diuinitatis, quædam Deo conueniunt ex tempore, & ſecundum nomen relatiuè dicuntur, vel omnibus perſonis conuenientia, vt Dominus, Creator, refugium, & huiuſmodi; vel non omnibus, vt miſſus; datus, & donatus, Quædam verò de Deo dicuntur ex tempore: ſed non referuntur ad illud ſecundum nomen: vt incarnatus, & humanatus. Et quędam tertiò ſunt, quæ non nominant determinatè proprium alicuius diuinæ perſo-

personæ, vt Pater, & filius, sed colligunt omnia propria personarum; vt hoc nomen Trinitas, quod vocat, quasi collectiuum; quia de nulla persona sigillatim dicitur, sed omnes simul importat. Modò si vultis harum diuisionum sufficientiam, dicendum est, quòd nomina omnia, quæ de Deo enunciari possunt, aut competunt Deo, secundum se propriè, & verè; vel secundum translationem, & transumptionem siuè similitudinem; vt ignis, splendor, speculum, & his cognata. Eorum quidem, quæ Deo competunt propriè, alia sunt essentialia, & alia personalia: essentialia sũt, quę ipsam naturam, vel substantiam manifestant; & hæc vel dicuntur de Deo ex tempore, vt Dominus, Rex, Iudex, Creator, & huiusmodi; vel de Deo dicuntur ab æterno: & alia vel negatiuè Deo competunt, vt increatus, incorporeus, immortalis; vel positiuè affirmantur: & tunc vel per modum substantiæ, vt Deus, & essentia; vel per modum qualitatis, vt sapiens, bonus, iustus; vel per modũ quantitatis, vt magnus: Personalia verò, quæ ipsas personas, aut ipsarum proprietates nobis explicant, competunt, & ipsa diuinis personis, vel ab æterno; vt & quæ dicunt personas collectiuè, & quasi pluraliter, sicut hoc nomen Trinitas; & quę dicunt personas indistinctè, idest, non magis vnam, quàm aliam sicut hypostasis, persona, suppositum; & quæ tertiò dicunt personas distinctè; vt Pater, filius, & spiritus sanctus. Vel denique competunt eisdem diuinis personis ex tempore; & tunc vel relatiuè dicuntur, vt donatus, missus, & datus; vel non relatiuè, vt humanatus, & incarnatus. De quibus omnibus post hac multa dicenda sunt à nobis duce Magistro. Qui quidem in altera parte præsentis distinctionis duas docet regulas; ex quibus colligitur qualiter de Deo, vel diuinis personis prædicetur vnumquodq; eorum, quæ de illis ab æterno dicuntur. Et prima est, quòd nomina propria ad singulas personas pertinentia, prædicatione gaudent relatiua, & non substantiali, dum ad inuicem prædicantur: vnde dici non potest Pater, est filius, nec è conuerso; quia talis prędicatio est essentialis, & substantiua: sed dici debet, Pater est filij Pater; & filius est Patris filius: quæ est prædicatio relatiua. Altera regula est, quòd nomina ad vnitatem essentiæ spectantia, vt Deus, magnus, omnipotens, & huiusmodi; de singulis personis sigillatim, & de omnibus simul substantialiter, & in singulari dicuntur; non autem relatiuè, nec in plurali affirmantur. Quamobrem dicentes Pater est Deus,

magnus,

magnus, omnipotens; filius est Deus magnus, omnipotens; & sic de Spiritu sancto; verè, rectè, & catholicè loquimur: sicut etiam cũ dicimus Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt Deus, magnus, omnipotens: Quæ si in plurali affirmarentur, certè, vel omninò falsa essent, vel saltem suspecta. Posthæc incidentaliter probat Magister, quòd Deus est magnus substantialiter, quia non est alicuius magnitudinis participatione, magnus; sed est ipsamet magnitudo, cum non sit alio Deus, & alio magnus; & denique epilogando concludit ea, quæ dicta sunt.

LECTIO LVIII.

QVONIAM Theologia, quamuis sit sapientia; (& magis etiam sapientia, quam Methaphisica, eo quòd causas altissimas considerat, & per modum ipsarum causarum, hoc est, per inspirationem à Deo immediatè acceptam; quod Methaphisica facit per rationes ex creaturis assumptas) potest tamen conuenienter, non solum res, sed nominum significationes pertractare; in quantum est sicut caput, & principalis, & ordinatrix omnium scientiarum: aliquid in se habens de omnibus scientiis. Hinc est quòd in superiori nominum disputatione, tanquam eorum, quæ restant fundamento, manentes; non solum culpa vacabimus, sed etiam vtilitatem inde non mediocrem percipiemus.

Quarè suppositis his, quæ superiori lectione sunt habita; quæ ad quęstionem, si est, pertinent, vt an sit nominabilis; & tunc, vnonè, an pluribus nominibus nominabilis. Ad secundam quæstionẽ, videlicet, quid est, descendo; & quæro à vobis, quid in Deo sit nominabile, substãtia. s. sua, an relatio, an negatio, vel aliquid aliud. Et certè dicetis mihi, quod nominum, quę dicuntur de Deo, negatiua, vt increatus, & immortalis, de Deo non dicuntur secundum substantiam; quia solùm important remotionem alicuius imperfectionis à Deo. Positiua autem, quæ soli Deo conueniunt in habitudine ad creaturas; vt Dominus, & Creator; non dicunt substantiam, sed solam habitudinem rationis; hæc enim est communis Theologorum sententia. Sed de illis nominibus, quæ positiuè dicuntur de Deo, absque habitudine ad creaturas; vt bonus, sapiens, Pater, filius, & huiusmodi; aliquãdo fuit dubitatum, nè vel

diceren-

dicerentur negatiuè; vt Deus est bonus.i.non malus; vel relatiuè, videlicet,est causa bonitatis; quod nullo modo est à nobis asserendum. Quamobrem dicatis,quòd nomina hæc positiua absoluta, vt ens,sapiens,viuens,&.c.de Deo dicuntur substantialiter, sed tamen imperfectè : substantialiter quidem,quia de Deo, prædicant eius substantiam:quando omnes perfectiones,quæ sunt in creaturis,sunt etiam in Deo,& eminentius,imperfectè verò; quia nomina, Deum significant,secũdum quod intellectus noster cognoscit ipsum: at Deũ imperfectè cognoscit noster intellectus;quia ipsum cognoscit ex creaturis, secundum quòd creaturæ ipsum representant,quòd fit imperfectè,quia ipsum imperfectè participant;ergo nomina,Dei substantiam significant imperfectè. Quod si etiam quęrat aliquis,an aliquod nominum diuinam substantiam significantium,eam substantialiter dicant; vt quæstio sit de modo,& nõ de re: Respondetur,quòd cùm omnia prædicata essentialia, quæ in diuinis sunt vnum, & idem realiter, ratione differant : hæc ratio, secundum omnia genera prædicamentorum variatur ; vnde quædam significant,& prędicant per modum substãtiæ, vt Deus; quædam per modum quantitatis, vt magnus; quædam per modũ qualitatis, vt bonus; ex quo dicitur,quod illa summa,& simplicissima essentia comprehendit in se,perfectiones omnium generum. Quarè quodlibet talium nominum significat diuinam substantiã, sed non quodlibet significat per modum substantiæ. Et dico omnia talia, diuinam substantiam significare, accipiendo substãtiam pro re, per se stante; quo quidem modo distinguitur contra accidens; quia sic omnia, quæ sunt in Deo substantia sunt. At accipiendo substantiam pro re absoluta, quæ.s.non dicitur,nisi ad se ipsam; quia in Deo est etiam relatio,quæ dicitur ad alium,& non transit in substantiam, sicut prædicamenta cœtera ; Vnde dicitur Deus sine quantitate magnus,sine qualitate bonus,& non sine relatione Pater; sic diuinorum nominum, quædam dicuntur secundum substantiam;& quędam secũdum relationem, vt Paternitas, & Pater : quia licet, Pater, prædicet substantiam cum relatione; prædicat tamen per modum relationis,quæ est formalis in significato talium. Et hæc est resolutio huius difficultatis. Pro cuius defensione, quando contra obseruata dicitur,aliquod nomen diuinam substantiam non significare; concedatis perfectè ; sed imperfectè, dicta nomina diuinam substantiam significare, negari non

potest; sicut etiam imperfectè cognoscitur Deus, secundum suam substantiam à nobis viatoribus. Vnde dicendum est liberè, quòd nomina negatiua non dicunt, quid est Deus, sed quid non est; relatiua dicunt eius habitudinem ad creaturas: & absoluta, aliquando dicuntur nõ significare quid est; quia nullum eorum exprimit totam perfectionem diuinam: & aliquod est eorum, quòd nõ dicit substantiam, per modum substantiæ. & cùm per D. Dionysium dicitur, quòd nomina, quæ in diuinam laudẽ, sancti Doctores assumunt, secundũ processus ipsius Dei distinguuntur; Dicendum est, quòd illa nomina important diuinos processus originaliter, non formaliter: hoc est, imposita quidem illa sunt à processibus deitatis: sed non ad significandos ipsos processus: nàm in significatione nominum, aliud est aliquando, à quo imponitur nomẽ ad significandũ, & aliud id, ad quod significandum nomen imponitur; vt patet de nomine lapidis, quòd impositum est ab eo, quòd lædit pedem; sed tamen ad significandum aliud, scilicet, quãdam corporum speciem. Et hac determinata quæstione, accedo ad sequentem, quę (vt nostis) dicitur quęstio, quia est: & quęrendo quomodo Deus nominetur, an scilicet propriè, vel methaphoricè, vel synonimè, aut vniuocè, & similia; Illud vnum hac lectione accipiatis, quòd cum quęritur, An aliquod nomen, propriè de Deo dicatur; non credatis aliquod nomen sic propriè Deo conuenire, quòd diuinam essentiam significet, secundum propriam, & perfectam eius naturam, quasi definitiuè; sicut animal rationale significat hominem; quia pro statu isto (vt diximus) Deum non intelligimus, secũdum eius propriam, specificamq; rationem; & Deũ nominamus, sicut intelligimus. Sed accipiendo, propriè, vt distinguitur contra, methaphoricè, vel transumptiuè; Respondetur ad propositum, quod quantũ ad rem significatam, aliqua sunt nomina, quæ de Deo propriè dicuntur; vt omne nomen quod perfectionem simpliciter significat, (cùm in Deo sit omnis perfectio simpliciter dicta) nam illud nomen dicitur alicui propriè conuenire, quòd propriè, & directè est impositum ad rem significãdam, quæ in ipso reperitur; vnde ridere, quia propriè, & directè est impositum ad significandum actum oris, qui in solo homine reperitur; homini propriè conuenire dicitur; & methaphoricè prato; quia in eo est tantũ similitudo, vel proportio dùm floret, videlicet signum iucunditatis. At nominum, quantum ad modum significandi

ficandi, nullum est, quòd de Deo propriè dicatur; eò quòd omne nomen, quantum ad modum significandi, imperfectionem dicit; nàm vel sunt nomina abstracta, quæ significant, vt quo aliquid est, & non per modum per se stantis; vel sunt concreta, quæ modum compositionis significant. Quamobrem cùm dicitur, quòd nomina dicta de Deo, verius negantur, quàm affirmentur. Dicatis verum esse, consideratis nominibus, quantum ad modum significandi. Vnde etiam hoc nomen substantia, quia propriè dicitur, quæ aliis substat, sic Deo non conuenit; & licet Deo conueniat ea ratione, qua per se est, & à nullo pendet, tamen ratione primi significati, securius dicitur supersubstantia. Et tandem sit vobis hæc regula vniuersalis, quòd ex nominibus, illa, quæ modum imperfectionis, quo à creatura participatur, in ipso suo significato includunt, methaphoricè de Deo dicuntur: Quæ verò non sic important condictiones corporales in suo significato formali; sed solum quantum ad modum significandi; propriè de Deo dicuntur. Quibus omnibus adnotatis, facilis erit vobis aditus ad multa alia, huius generis, intelligenda.

LECTIO LIX.

EX multis, quæ adhuc à nostris Scholasticis adnotantur in eam distinct: quam vltimo loco interpretati sumus; omnia profectò vestrùm ingeniis cognoscēda prętermitterem, nisi vnum esset, communi disputatione dignissimum; Propterea quòd magnam habet controuersiam apud pręcipuos in Thelogia viros, omniumq; ferè Coryphæos, D. Thomam, & Scotum. Antè quàm igitur ad distinct. 23. accedamus, illud vnum vidēdum erit à nobis, quòd est, an eorum, quæ dicuntur de Deo, & creaturis, aliqua sint, quæ de ipsis dicantur vniuocè; vt voluit Scotus; an verò omnia æquiuocè, aut secundum analogiam; vt optimè testatum reliquit D. Thom. Qua quidem in re, vt breuiter, & facilè procedam, ex libro prædicamentorum Aristotelis, supposito quid sit vniuocum, quid æquiuocum, & quid analogum. Hanc cum D. Thom. (à quo nunc discedendum non arbitror) negantem præmitto conclusionem. Impossibile est aliquid prædicari de Deo, & creaturis vniuocè. & probo, argumento sumpto à definitione

vniuocorum in prędicamẽtis;videlicet, Nullum est nomen,quòd de Deo,& creaturis secundum eandem rationem prædicetur;ergo nullum est, quòd de illis vniuocè dicatur. Antecedens sic comprobatur. Nomina perfectionẽ importantia (hęc enim sola,Deo, & nobis sunt communia,) cùm de creaturis dicũtur,aliquam perfectionem formaliter,& quidditatiuè, ab aliis perfectionibus distinctam significant, de Deo autem dicta non significant aliquid vt distinctum; ergo huiusmodi nomina,non dicuntur de Deo,& aliis, secundum eandem rationem. Huius autem consequentiæ probatur antecedens; sed primò declaratur,ex eo,quòd ratio sapiẽtiæ in homine,est solum ipsa sapientiæ ratio; & in Deo est ipsa, & aliæ: vel potius nec ipsa, nec aliæ, sed altior quædam ratio,eminenter continens,non solum sapientiæ rationem, sed rationes omnium perfectionum simpliciter: sicut enim res,quæ est sapientia, & res,quę est iustitia,in creaturis; eleuantur in vnam rem superioris ordinis.s.deitatem;& sunt vna res in Deo; sic ratio formalis sapientię,& ratio formalis iustitiæ,vel alterius perfectionis simpliciter,eleuantur in vnam rationem formalem superioris ordinis; scilicet,rationem propriã Deitatis: & sunt vna ratio formalis, eminenter (vt dictum est) continens omnes,nõ solum virtualiter, sed & formaliter. probatur verò idem antecedens; quia cùm omnis effectus inadęquatus, recipiat diuisim, & multipliciter, quòd in causa reperit simpliciter, & eodem modo;&,per consequens, similitudinem agentis recipiat,non secundum eandem rationem; benè sequitur quòd nomina communia,perfectionem importantia, cum de creaturis dicũtur, significant aliquid distinctum ab aliis; de Deo autem dicta, non significant aliquid, vt distinctum. Quæ certè nominum differentia,quo ad significare perfectionem distinctam; vel non distinctam; non ex identitate, & distinctione reali, sed formali,infertur: Vnde sequitur nihil de Deo,& creaturis prędicari vniuocè. Ex quo tamen illa purè æquiuocè prædicari,minimè inferre debetis: Quia tunc nihil formaliter commune Deo, & creaturis, posset ex creaturis de Deo cognosci,aut denominari; eò quòd incideret fallacia æquiuocationis; sed dicendum quòd quæ sunt Deo,& creaturis communia, de eis dicuntur secundum analogiam: qui est modus cõmunitatis medius,inter puram æquiuocationem, & vniuocationem simplicem. Et cõstat hoc verum esse per locum à diuisione; quia non est alius modus, quo prædicari

cari possint; & quia Deum non possumus nominare, nisi ex creaturis; vnde oportet quod nomina communia vtrisq;, dicantur secundum ordinem creaturæ ad Deum, vt ad principium, & causam, in qua præexistunt excellenter omnes rerum perfectiones. Et hæc est D. Tho. sententia 1.p.q.13.5. contra quam arguit Scotus 1.d.29.1.:& 3.sent.dist.8.q.2.& potissimum.4.met.q.1.hunc in modum. Ens dicitur vniuocè de omnibus; ergo aliquid est vniuocum Deo, & creaturis. probatur antecedens dupliciter. Primò si ens non esset vniuocum, Deus non esset à nobis aliquo conceptu simplici, naturaliter cognoscibilis: quandoquidem ipsum, ens, nec essentialiter, nec virtualiter Deum contineret. Secundò sequeretur, quòd nec etiam substantia esset à nobis naturaliter cognoscibilis; nam substantia non immutat immediatè intellectum nostrum ad aliquam sui intellectionem: & probatur, quia quicquid sua præsentia immutat intellectum, absentia illius potest naturaliter cognosci, quando non immutat; & tunc cognosceretur quando in hostia consecrata, non est substantia panis. Propter hæc autem, & alia huiusmodi argumenta; cum ens non possit esse vniuocum, quia tunc esset genus ad decem prædicamenta; & esset inclusum in aliqua differentia non vltima; vnde esset nugatio, cum dicitur animal rationale; quia diceretur bis ens; & alia multa sequerentur incommoda: Sciendũ est, duplicia esse analogata; quædam videlicet, secundum determinatam habitudinem vnius ad alterum; vt substantia, & accidens sub ente: & quędam secundum proportionalitatem; vt Deus, & creatura; quia infinita est distantia inter illa; Quæ quidem duo differunt; quoniam analogata primo modo, ita se habent, quòd analogum posterius secundum nomen, definitur per suum prius; vt accidens, in quantum ens per substantiam; non autem analogata secundo modo: quæ tamen habent nomen causæ, & rationem, secundum illud nomen, aliquo modo eandem, & aliquo modo diuersam: propter identitatem proportionis, quæ in eis inuenitur; & propter diuersitatem naturarum suppositorum illis proportionibus. Præterea sciendum, quòd quia medium, comparatum vni extremorum, vt oppositũ, induit alterum extremum; vt patet.v.phis.6. Analogum comparatum æquiuoco, vniuocum dictum est ab Arist.2.met.4. dùm inquit, Vnumquodq; maximè ipsum aliorum dicitur, secundum, quòd aliis inest vniuocatio, &c. Amplius non est prętereundum

dum quòd cum dicitur ens esse analogum, non intelligitur, quòd ens prædicetur per prius, & posterius, secundum esse illius; quia sic omne genus prædicatur per prius, & posterius de suis speciebus; quia necessariò perfectius habet esse in vna specie, quàm in alia: quod etiam gratis conceditur de ente, quòd perfectiori modo est in substantia, quàm in accidentibus. vnde 12. met. 2. dicitur quod prioritas, & posterioritas specierum, nō impedit vnitatē generis; quamobrem intelligendum est ens prædicari analogicè. s. per prius, & posterius, secundum rationem propriam; quod est de vno prædicari sine respectu ad aliud; nàm ens, absolutè prædicatur de substantia; de accidentibus verò, non nisi relatiuè ad substātiam: ex quo benè deducitur, quòd substantia in eo, quod ens nō includit accidens; sed bene accidens in eo quod ens, includit substantiam; & non tantum in eo quod accidens. Tunc, cùm his dictis, supposito quòd ens analogicè, vtroq; modo analogiæ, dicatur de substantia, & accidēte; & quòd de Deo, & creatura dicatur analogicè tantùm secundo modo; Ad primum argumētum dicitur quòd continere virtualiter, dupliciter contingit; vno modo sicut causa virtute sua continet effectū; alio modo, sicut effectus cōtinet virtutem causæ, participādo illam sic; quo quidem modo effectus quilibet, virtualiter continet Deum. quòd si dicatis continentiam virtualem attribui tantum causæ: Dico, quòd si fiat vis in verbo, falsa est omninò consequentia, quia datur triplex modus continendi. s. essentialiter, virtualiter, & participatiuè; sicut effectus cō tinet in se causam. Ad secundum dicitur, quod quantitas, & accidentia in Eucharistia agunt, & patiuntur totum, quod ageret, & pateretur substantia, si esset: nàm sicut acceperunt modum essendi substantiæ, scilicet, absq; subiecto. ita etiam agere, & pati eius; sicut & ad nutritionem agunt, ac si esset ibi panis. Quarè verum est, quòd panis absens immutat; sed in Eucharistia non est omninò absens; quia remansit ibi accidens suum, quod est verè panis. Alia plura, pro ipso Scoto remanent argumēta, quæ rectè soluuntur à Ioa: Capreolo, & Caietano locis citatis. Sed nè sim longior hæc sufficiant pro hac præsenti quæstione, lectione, & distinctione.

DISTIN-

DISTINCTIO XXIII.

De particulari pdicatione huius nominis persona
- Excipitur à communi predicatione substãtialium nominum; ostendendo
  - Quod pluraliter i diuinis prædicatur. A.
  - Quod est nomen substantiale. B.
- Exceptionis Ratio asignat̃
  - Ex parte huius nominis persona
    - Vsu
      - Apud Latinos. C.
      - Apud Græcos. D.
    - Ratione. Apud omnes. E.
  - Ex parte aliorum essentialium nominum, quæ singulariter predicantur, vt est
    - Hoc Nomen Deus. F.
    - Hoc Nomẽ essentiæ. G.
    - Hoc Nomen substantia. H.
- Epilogando colligitur
  - Quod in Deo non est diuersitas, nec solitudo. I.
  - Quod Deus non est multiplex. K.

LECTIO LX.

PRAEDICTIS *adiicendum est, &c.* A. Sermone instituto de nominibus diuinis, quãtum ad eorum prędicationem; hæc vna fuit regula, superiori distinctione tradita, omnibus substantialibus nominibus communis; quòd omnia nomina Dei substantiam significantia, de singulis personis sigillatim, & de omnibus simul prædicantur, sed singulariter tantum, & non pluraliter. Modò tractationem eandem prosequendo, ab illa communi regula, nomen hoc, quòd à nostris persona, & à Græcis hypostasis, & substantia dicitur, excipiendum, monstrat ipse Magister.

Et

Et primùm hoc faciendum proponit. Secundò exceptionis huius rationem assignat; & tertiò epilogando concludit, quòd in diuinis nulla est multiplicitas, nulla diuersitas, nulla singularitas, vel solitudo; sed benè vnitas, atque Trinitas. Quantum ad primum, Aliorum substantialium nominum regulam, in hoc nomine, persona, non seruari, inde prospicitur; quòd Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tres personas catholicè dicimus; & non tres Deos, non tres magnos, non tres omnipotentes: quāuis hæc nomina omnipotens, magnus, Deus, & persona, secundum substantiam, absq; dubio dicantur. Dubitatis de hoc nomine persona? certè nō immeritò: quia secundum Boetium in libro de Trinit. omne nomen pertinens ad personas, significat relationē; & iam scitis quod quicquid plurificatur in diuinis, pertinet ad relationes, quia relatio est, quæ multiplicat Trinitatem. Verùmtamen (vt optimè probat Magister in 2. cap.) dicendum est, & firmiter tenendum, quòd persona significat substantiam: cuius rei certum est testimonium ipse D. Augustinus; qui hoc expresè fatetur, dùm inquit. Non est aliud Deum esse, quàm personam esse. Sed vt hoc commodè percipiatur, altius exordior, plura adnotando: & primùm, quòd (vt accipere potui) essentiale, triplicem habet significationem: Quia primò significat id, quòd ad constituendam alicuius essentiam necessariò concurrit: qua quidem acceptione omnes causę internæ, essentiales dicuntur. Secundò modo, illud pro essentiali habetur, quòd ab intrinseco principio, rei iam constitutæ fluit; vnde risibile, homini dicitur essentiale: quoniam à forma hominis fluit; quo in loco non est ignorandum, quòd apud subtiles multum differt dicere, hoc est de essentia, & hoc est essentiale; nàm illud respicit causas internas; hoc verò proprietates fluentes à principio. Tertiò modo accipitur essentiale, pro eo quod explicat essentiam, & naturam rei: Vnde colligitur, qnòd in disputatione nominum essentialium, accipitur essentiale, non primò vel secundo modo, sed tantùm tertiò: hoc est pro nomine exprimente naturam diuinam. Præterea sciendum, quòd nomen personæ, nomen substantiæ, & nomen essentiæ propriè, & conuenienter dicuntur de Deo. Si quidem primò, persona dupliciter definitur, vno modo à Boetio in libro de duabus naturis, & vna persona Christi, dicente: Persona est naturæ rationalis indiuidua substantia; & alio modo à Ricardo 4. de Trinit. 22. sic, Persona est intellectualis naturæ, incommunicabilis

cabilis existentia; & hæc recipitur à Scotistis; qui primam dupliciter accusant, quia scilicet, non competit omni contento sub definito: vt personis diuinis, quæ non discurrunt: & quia non soli definito competit; eò quòd sic, & anima esset persona, quòd licet à Magistro Sent. concedatur, à reliquis tamẽ Scholasticis, & Theologis negatur. Sed & prima definitio rectè tueri potest; vt faciunt Thomistæ; per naturam rationalem intelligendo eam, quæ ratione vtitur: videlicet, intellectualem; & per substantiam indiuiduã, suppositum, siue, substantiam incommunicabilem, subsistentem, & completam. Quo quidem modo, persona, nõ animæ, sed Deo competit, Angelis, & hominibus; diuersimodè tamen: Deo enim nobiliori quodam modo competit, sicut est in omnibus aliis, quæ de Deo, & creaturis dicuntur: saluatur namq; ratio personæ in diuinis, secundùm quod habet esse per se subsistens, in natura intellectuali; & non secundùm rationem singularitatis: saluatur, vt dicit suppositum distinctum habens dignitatem; quia in Deo est reperire suppositum, distinctum proprietate nobilissima; & non vt dicit particulare compositum: quamuis persona, pro substrato, in diuinis sit aggregatum ex absoluto, & relatiuo; secundùm quam acceptionem, persona, absq; dubio, vniuocè dicitur de creata, & increata: quæ de tribus personis diuinis, etiam pro formali, vniuocè dicitur; quibus est communicabilis, non vt quid, sed vt modus. Secundò hoc nomen substantia, propriè Deo conuenit; quia substantia est ens per se, & Deus propriissimè est per se; sed Deus est ens per se; quia nullo eget: & creatura est ens per se; quia non est in alio, vt in subiecto: licet alio opus habeat ad sui conseruationẽ; quamobrem substantiæ ratio, non vniformiter Creatori, & creaturæ conuenit; Creatori tamen propriè competit: Quòd si D. Augustinus aliquando negauerit; hoc intelligatis secundùm proprietatem, quæ est aliis subesse; & non vt dicitur à per se stando; quia sic perfectionẽ, & primò modo imperfectionem dicit. Essentia præterea Deo, sine dubio, competit; quia (vt inquit D. Augustinus) Deus est sine dubitatione substantia, vel (si melius hoc, appellatur) essentia. Et ratio est, quia in omni re per se existente, est cõsiderare, quòd est, & quo est, videlicet, essentiam, & suppositum; quæ licet in Deo pœnitus sint idem, possunt tamen ab intellectu nostro distingui. Tertiò sciendum est, quod ista nomina substantia, subsistentia, essentia, & persona, non sunt synonima; quia nomina synonima di-
F cuntur

cuntur illa, quæ significant vnum, secundùm vnam rationem; & nomina hæc, multaq; alia, Deo attributa, licet vnam rem significent; eam tamen dicunt sub rationibus multis, & diuersis: Vnde vna res in diuinis dicitur essentia, inquantū habet esse; subsistentia inquantum habet tale esse.s.non in alio; substantia inquātum per se stat, alio nō indigēs; persona verò, cui omnia prædicta cōueniūt, scilicet, essentia, substantia, & subsistentia. Vel dicatis cùm Bonauentura, quòd essentia, & substātia pertinent ad vnitatem Dei; subsistentia verò, & persona ad Trinitatem; hunc in modum, quòd essentia significat, vt quo; & substantia, vt quod est vnum; subsistentia, vt in Trinitate distinctum quacumq; proprietate, vt substantia prima; & persona, vt distinctum proprietate nobili, vt suppositum rationalis naturæ. Cæterum rationibus multis, & diuersis, respondet vnum quid simplex, multipliciter imitabilis, siuè repræsentabilis: tanta enim est illius simplicis eminentia, quòd vnitè continet, quæ diuisim ab aliis apprehenduntur; vnde cùm dicitur Deus multiplex, secūdùm rationem intelligitur, quòd est obiectū verificans actu, vel virtute plures conceptiones de se ipso. Vlterius prænotandum occurrit, quòd hoc nomen, persona, non est nomen secundæ intentionis; sed est nomē primæ intentionis; & consequenter nomen rei cui conuenit secunda intentio; quia (vt rectæ dicūt Scotistæ) prima intentio est res primo cognita, vt cognita; cùm enim tàm prima, quàm secunda intentio sit, quid fabricatum per intellectum, sitq; conceptio intellectus: Prima intentio quidem habet immediatum fundamentum in re; & est similitudo rei extra animam existentis; quæ sumitur ab intellectu, per actum rectum: secunda verò fundatur in re, mediante prima intentione; vbi est sicut in fundamento suæ veritatis; sicut per eam est similitudo rei, quæ fit per actum reflexum, quo intellectus reflectitur super primam conceptionem. Nec impedit, quòd in assignata definitione personæ, ponitur indiuiduum; tùm quòd indiuiduum (vt ibi accipitur) non est terminus secundæ intentionis, in cuius quid nominis ponitur terminus secundæ intentionis; nàm rem singularē describendo, dicere possumus, quòd est res significata, vel significabilis per indiuiduum, aut terminum singularem; vbi poneretur à nobis terminus secundæ intentionis, & tamen res singularis non est terminus secundæ intentionis. Tunc ad rem propositā reuertentes, stantibus dictis, quòd nomen personæ verè dicatur in diui-

nis;

nis; & non sit synonimum, cùm substantia, & essentia; nec sit nomen secundæ intentionis. Sequitur dicendum, quòd cum persona communiter sumpta, substantiam indiuiduam rationalis naturæ significet (vt ex eius definitione superius accepimus) persona diuina subsistens, distinctum in natura diuina significabit: sicut etiã persona humana significat subsistens distinctum in natura humana; & hæc est formalis significatio tàm personæ diuinæ, quàm humanæ. sed quia distinctum subsistens in natura diuina, non potest esse nisi relatio, vel relatiuum; quæ in Deo sunt idem; sicut essentia, & habens essentiam; eò quòd omne absolutum est commune, & indistinctum in diuinis: Ideo materiali significatione dicimus personam significare relationem, vel relatiuum. Et quia relatio in Deo est idem secundum rem, quòd eius essentia; & relatiuum in suo formali significato includit, & concernit essentiam, & substantiam: quia significat relationem subsistentem: Hinc est quòd dicitur personam significare relationem, per modum substãtiæ: non quidem, quæ est essentia, sed quæ est hypostasis; sicut, & relationem significat, non vt relationem, sed vt relatiuum. i. sicut significatur hoc nomine, Pater; non vt significatur hoc nomine, Paternitas. Quamobrem dicitur, quòd hoc nomen persona, in diuinis, quantum ad modum significandi est de substantialibus; quantùm verò ad id, quod nomine personæ in diuinis supponitur, pertinet ad relatiua: quòd est dicere, personam de suo formali significato significare substantiam; de materiali verò significare relationem. quam distinctionẽ explicans Durandus dicebat, nomen personę importare relationem, quia de relatiuo prædicatur; non autem quòd relationẽ significet. Per quæ respondetur difficultatibus ad vtramq; partem conclusionis, & est manifesta prima particula huius distinctionis; in qua excluditur hoc nomen persona à communi prædicatione substantialium nominum, cuius rei ratio in sequenti monstrabitur.

LECTIO LXI.

IDEO *oritur hic quæstio difficilis, &c.* C. Hæc huius distinctionis secunda princeps pars est; in qua propositum Magistri est rationem reddere, cur persona prędicetur pluraliter in diuinis.

Cùm enim prius idem nomen, præter regulam ſubſtantialium nominum, pluraliter prædicari, communi Eccleſiæ vſu expoſuerit; Nunc ad illius dicti rationem aſſignandam ſe conuertit. Atque orationem ſuam proximè dictis nectens, rationali coniunctione propoſitum ſic aggreditur. *Ideo oritur hic quæſtio difficilis*. In hac verò re tractanda, ſic diſputatiuè proficiſcitur, vt primùm dubitando quęrat, Cur Pater, Filius, & Spiritus s. dicãtur tres perſonæ. Secundò cur non dicamus tres Deos, & tres eſſentias; ac Tertiò cur ſimiliter non prædicemus pluraliter ſubſtantiam de diuinis perſonis, quando, & Græci catholicè hoc faciunt. Quoad primũ, vt oſtenderet Magiſter dignam, ac vtilem eſſe difficultatem propoſitam; etiam D. Auguſtini tempore, dubitatum fuiſſe narrat, Cur illa tria, quæ Trinitatem faciunt in diuinis, non vnam perſonam, ſed tres perſonas dicimus, cum tamen vnam eſſentiam, & vnum Deum, & non tres eſſentias, nec tres Deos dicamus. Quamobrem cùm ipſo Auguſtino reſpondendum eſſe docet, hoc factum fuiſſe vocabulorum penuria; quia. ſ. nihil erat, quod reſponderetur quęrenti; quid eſſet Trinitas in diuinis; niſi diceretur, quod ſunt tres perſonæ; vnde neceſſitate ducti dicimus, quod ſola relatio eſt, quę Trinitatem diſtinguit. ex quo inferri non debet, quòd minus propriè hæc à nobis ſint dicta; quàm cœtera, quæ de Deo, noſtris verbis ſignificamus; ſed ſolùm, quòd hoc per ſcripturam canonicam traditum, non inueniebatur; & idcirco, niſi expreſſionis fidei neceſſitas coegiſſet, non plurificaretur hoc nomen perſona; nõ quia falsò plurificetur, ſed quia tunc non erat vſitatum, ſicut hoc tempore. Et hac eadem neceſſitate ducti etiam Græci, ad interrogationem qua quęritur, quid tria, vel quid tres ſint in diuinis; Dicũt tres hypoſtaſes, hoc eſt, tria ſuppoſita, vel tres perſonas. quod ſi dicunt tres ſubſtantias, non aliud intelligunt, quàm tres hypoſtaſes: quod latino ſermone dictum, ſuſpectum eſſet; quia à nobis ſubſtantia, pro ipſa rei eſſentia, quæ in diuinis vna tantùm eſt, accipitur: Quarè cum quæritur quid ſint Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; qui tria quædam ſunt; quoniam per eſſentialia nomina reſpondere non poſſumus, quando vnitatem, & non diſtinctionem important; nec per relatiua, quia nullum eſt, quod pluribus conueniat, & tria illa complectatur; Rectè dicimus tres eſſe perſonas; & præſertim, quia nomen perſonæ, (vt ſuperiori lectione monſtrauimus) licèt ſubſtantiam dicat quantùm ad

modum;


modum; pro relatione tamen supponit, potissimum in diuinis. Ex quibus benè colligitur, quòd tres sunt personæ in diuinis, & non plures nec pauciores; quia persona, (vt dictum est) significat in diuinis relationem, vt rem subsistentem in natura diuina; & tamen tres sunt ibi relationes subsistentes, ab inuicem realiter distinctæ; quòd ex eo accipere debetis, quia realis distinctio inter relationes diuinas, non est, nisi in ratione oppositionis relatiuæ; vnde duæ relationes oppositæ, ad duas personas pertinent; & quæ oppositæ non sunt, ad eandem spectant; vt spiratio, & Paternitas, vel filiatio, quia non opponuntur; in eadem persona patris, & filij reperiuntur: sed processio, quia spirationi opponitur, ad aliam personam pertinet. Quamuis igitur, quatuor sint relationes in diuinis, altera tamen earum, scilicet, spiratio, non separatur à persona Patris, & Filij; sed conuenit vtriq;: vnde licèt sit relatio, non tamen dicitur proprietas; quia non conuenit vni tantum personæ: neque dicitur relatio personalis.i.constituens personam; sed hę tres relationes Paternitas, filiatio, & processio, dicuntur proprietates personales, quasi personas constituentes: quia Paternitas, est persona Patris; filiatio, persona Filij; & processio, persona spiritus sancti procedentis. Et sic patet cur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres personæ dicantur. Sed cur non dicimus etiam tres Deos, cùm etiam diuinitatis nomen, illis tribus sit commune? Ad hoc secundò, Respondet Magister, etiam D. Augustini authoritate, Dicentis, huius rei causam esse, quia sacra scriptura, nobis in hoc contradicit; dum inquit, Audi Israel Deus tuus, Deus vnus est: & non contradicit dicentibus tres esse personas: Verùm obiicit Magister, quòd ex eo saltem, licebit nobis tres essentias dicere in diuinis; quia scriptura si hoc non dicit, nec etiam negat, vel contradicit; sicut de nomine persona. Et respondet ipsemet Magister, & inquit, hoc factum esse, propter vnitatem essentiæ; nè, videlicet, intelligatur diuersitas in diuinis, ratione præsertim essentiæ, & substantialium. Vndè scire debetis, quod sacræ scripturę repugnantia, non est tota ratio, quarè in diuinis, tres Deos non dicamus: siquidem, nec etiam contradicit scriptura, si vnam in diuinis dicamus personam; sed ratio, quarè tres personę dicātur, est, quia necessitas imminet; dùm scilicet, interrogamur, quid illa tria sint: ratio consonat; quia non significat absolutè substantiam; sed relationem, per modum
sub-

ſubſtantiæ : & ſcriptura non contradicit; quòd tertium,quia principalius eſt, ſat fuit D. Auguſtino adduxiſſe. Quòd ſi obiiciatis, Rectè dicitur, Deus generat, ergo, & catholicè dictum erit, Tres Dij sũt; quia eadẽ dictio perſonalis importatur,per hoc,quod eſt, generat,& per hoc,quod eſt tres;& ſimiliter, quia tres perſonę,tria quædam dicuntur,in genere neutro,à D. Auguſtino; poterunt dici tres eſſentiæ; cum præſertim eſſentia, tribus perſonis ſit communis; ſicut, & nomen, perſona. Reſpondetur, primò quòd eccleſia contradicit,nè plures dicamus Deos; cuius cauſa, abneganda eſt omnis humana ratio : præterea, neceſſitas non cogit, vt dicamus tres Deos, vel tres eſſentias; quia ſat eſt dicere tres eſſe perſonas: Et vltimò,ratio non conſonat; quia forma, & natura diuina, per hæc nomina importata, Deus, & eſſentia, non multiplicatur: ideo negatur primi argumenti conſequentia,quia, generat, ſimul importat diſtinctionem cùm cõuenientia; ſed, plures Deos, ſimpliciter importat diſtinctionem, quantum ad ſuppoſitum, & formam.& ad ſecundum,dicitur,quòd Auguſtinus communiter loquitur, & non propriè : ideo tale verbum, pro genere maſculino eſt accipiendum. Quòd ſi nomen hoc, Deus, eſt tribus perſonis commune; nõ tamen eſt diſtinguibile, in illis formaliter, ideo nõ ſequitur tres eſſe Deos; ſicut tres sũt perſonæ diuinæ : quia diſtinctę ſunt in perſonalitate, & non in Deitate : & ex quo deſumitur,quòd Deus nominat quid commune ſecundum rem, Patri, filio,& ſpiritui ſancto : non autem ſic perſona. Sed nec etiam ſubſtantiam in diuinis numerari; prędictis rationibus, tertio loco oſtendit Magiſter; videlicet propter vnitatem Trinitatis; & quia nomina ſubſtantialia, de omnibus dicuntur ſingulariter: Vndè animaduertit Gręcos, ſubſtantiam in diuinis numerare;quia perſonam, nomine ſubſtantię, intelligunt. At quia in eodem ſenſu, à noſtris etiam ſumitur aliquando ſubſtantia; Docent Scholaſtici, hanc loquendi diuerſitatem, inde ſumi, quòd ſubſtantia, vt per ſe ſtat, valet quantum ὀυσία hoc eſt, eſſentia : & ſubſtantia, vt ſub alio eſt, ideſt, ſub proprietates, valet idẽ, ac ὑπωστασις ſiuè πρόσωπον hoc eſt, perſona. Vndè hoc modo accepta ſubſtantia, plurificari conceditur; quia plures ſunt perſonę : ſecundò verò modo minimè, quia in diuinis, vnum eſt, quod eſt. Quo quidem modo, etiã hoc nomen ſubſiſtentia, cum de diuinis dicitur, intelligatis velim: ſemper omnes authoritates, & rationes, quę huiuſmodi eſſentialia plu-

rificant,

rificant, exponentes pro personis : & quę, de illis in singulari loquuntur, pro essentia. Vltimò in tertia distinctionis particula, epilogo, quę dicta sunt, amplectitur, ac duo colligit; nempè, quòd Deus, nec diuersus, nec singularis, nec vnicus, vel solitarius est confitendus : Secundò, quòd nec multiplex, sed trinus, & simplex. Cautè igitur, vobis est loquendum, de omnibus quidem; sed magis, dùm de diuinis agitis: nàm, si ibi admitteretur multiplicitas, & diuersitas; adimeretur essentiæ vnitas; & si, affirmaretur singularitas, & solitudo; negaretur personarum pluralitas.

DISTINCTIO XXIIII.



Lectio LXII.

H*ic diligenter inquiri oportet,&c.* A. Consilium Magistri in hac distinctione, (vt in illius verbis apparet) manifestè cernitur: siquidem, diuina nomina, vnitatem, & pluralitatem significantia, secundum se sumpta, quid valeant, quiduè significent, commonstrandum proponit. Continuatio verò, ex his, quæ prius dicta sunt, nempè, in distinct. 22. pulchrè eruitur; cùm enim, diuinorum nominum prædicationes commonstrauerit, nunc, eorum significationes manifestare instituit: Distinctio autem, tres in partes distribuitur: In prima, consilium suum proponit: In secunda, ad illud consilium confirmandum, & probandum construit. In tertia denique, obiectioni cuidam respondet, & satisfacit. Cùm itaque in diuinis, nulla sit diuersitas, vel multiplicitas, vel singularitas; nomina, multitudinem, & pluralitatẽ, ac distinctionem, importantia, quid significant? si enim, verè de Deo dicuntur; sua significata, in diuinis ponere videntur. Respondet Magister, primò in vniuersum, quòd nomina numeralia, & distinctionem importãtia, magis introducta sunt, ad remouendum, à diuina simplicitate, quæ ibi non sunt; quàm, ad ponendum aliquid: Deinde specialiter, hoc declarat; prius in nominibus, vnitatem significantibus; quę si in diuinis, termino essentiali, adiungantur; vt dicendo, vnus Deus; Deorum multitudinem excludere; & nullam numeri quantitatem ponere, docet; & similiter, quãdo termino personali præfertur: vt, vnus est Pater; vnus filius, & sic de spiritu sancto; sensus est, inquit, quòd, nõ sunt multi Patres, vel multi filij, & sic de spiritu sancto: Quod etiam proportionaliter, nomina, pluralitatem importantia, significare; postea declarat: vt hoc nomen, plures; plures dicendo personas; singularitatem, & solitudinem excludere, nullamq; diuersitatem, vel multiplicitatem, ibi ponere, authoritate, & exemplo cõcludit; sicut etiã nomen ternarius, & binarius; dùm dicimus, tres esse diuinas personas, ac duos esse Patrem, & filium; nullam numeri, quantitatem in Deo ponunt; sed sensus est (inquit) quòd, non est ibi: tantùm Pater, verùm, & filius; & nõ tantùm, Pater est persona: nec tantùm, Filius; vel Spiritus sanctus; sed Pater, est persona, Filius, est persona,

persona;& Spiritus sanctus, est persona;& nõ est ibi, alia persona. Vndè,& nomina pluralitatis, principium significantia, vt distinctio, alietas,& discretio, nullam omninò diuersitatem, in Deo ponere; sed comistionem,& confusionem, remouere videntur; & creduntur: Hoc autem nomen, Trinitas, quòd est, quasi pluralitatẽ continens, quià; secundùm ethymologiam dicitur, trium vnitas; quãtùm ad significationem, idem valet, quòd tres personæ, vnius essentiæ. Tertiò,& vltimò, habet Magister, quod cum Isidorus, singularitatem de Dei vnitate,& multiplicitatem, ac numerum, de sanctissima Trinitate, prædicat; per singularem, vnum; & per multiplicem,& numerabilem; trinum, intelligit. Ex quibus omnibus, hoc vnum principaliter est colligendum, quòd, dùm de diuinis loquimur, ex parte essentię, vnitatem recipiunt Theologi; nõ singularitatem, nec solitudinem: quia singularitas, communicabilitatem; & solitudo, essentiam, pluribus communicatam, excludit: Ex parte verò, personarum; ista quatuor recipiuntur; alietas, pluralitas, discretio, atque distinctio: sed alia, hæc quatuor excluduntur; diuersitas, multiplicitas, diuisio, & separatio; cuius ratio est, quia separatio, diuisionem supponit; diuisio, multiplicitatem; multiplicitas, diuersitatem; diuersitas autem, ponit formæ, vel naturæ, distinctionem; diuersitas enim attenditur secundùm substãtiam; multiplicitas, quantùm ad verã quantitatem; diuisio, quantùm ad discontinuationem; & separatio, quantũ ad vbi; hoc est; quantùm ad medium interiectum: vndè, iurè à sermone de sanctissima, ac simplicissima, vnitate, excluduntur; sicut è contra rationabiliter, alia quatuor recipiuntur, quia discretio præsupponit distinctionem; distinctio, pluralitatem; pluralitas, alietatem: quæ, quantùm ad suppositum attenditur, quia sunt ibi plures hypostases: Quamobrem, his quatuor vtamini:& cum aliquando, Ecclesiæ Patres, aliter locutos fuisse refertur (sicut facit Magister, de Isidoro) eorum dicta in bonum sensum traducatis; quia tunc, sine hæreticorum suspicione, piè, sed communiter, & non propriæ sũt locuti. Verùm, hîc, duæ principaliter, longè grauiores, consurgunt difficultates, quarum prima est, An numerus, verè enuncietur in diuinis, altera verò, An numerus dicat, quid positiuum vel potius è contra, solùm remoueat. Et quantùm ad primam (vt breuibus agam) disputantes abũdant, in proprio sensu; Nàm, aliqui numerum, in diuinis reperiri, omninò negant; affirmantes,

ibi non reponi, nisi ratione nostri modi considerandi, & loquẽdi; ad quod ponendum moueri dicunt, tùm quòd, numerus est accidens, de prædicamento quantitatis: tùm quia, consurgit ex diuisione continui; quæ, in diuinis, vel de essentia, vel de personis prę dicari, nullus vnquam fidelium, adhuc excogitauit. At si res sic habet, non erit in diuinis, verè Trinitas; imò, nec vna essentia, nisi methaphoricè: quæ nec somniasse vellem. Quarè nec iis, qui numerum, propriè sumptum à diuinis auferunt, assentiri, vllo pacto possum; sum enim huius mentis, quòd etiam, magis propriè, reperiatur numerus in diuinis, quàm in prædicamento quantitatis; & ratio mea est, quia cùm omnis numerus debeat tandem ad vnum reduci, quòd est metrum, & mensura omnium; sicut omnia accidentia, ad prædicamentum substantiæ, & secunda substantia, ad primam, quæ propriè, & principaliter, & maximè substantia dicitur, reducũtur: Ego, lumine fidei, altius prouehor; & dico, quòd, cùm hæc ita se habeant, numerus, qui est in diuinis, maximè propriè est numerus; quem trascendentem, & supersubstantialem appello, quo quidem dicto omnis tollitur difficultas; quia, sic, non sequitur, quòd sit accidens talis numerus, vel de prædicamento quantitatis: siquidem, est solùm numerus relationum; non tamẽ relationem, existentium in Deo, secundùm rationem tantùm, sed realiter, in ipso subsistentium. Quòd, vt clarius percipiatis, cùm Scoto: D. Thoma; & D. Bonauentura Numerum distinguo, in essentialem, seù trascendentem; & in accidentalem, seù prædicamentalem, vel mathematicum; & tunc dico, quòd cùm omnis pluralitas, consequatur aliquam diuisionem, numerus transcendens, non causatur ex diuisione continui, quæ, est diuisio materialis, sed ex diuisione formali, quæ, fit per oppositas, vel diuersas formas, nec distinguitur à rebus numeratis; quia cõponitur ex vnitatibus propriis rerum, quæ non sunt distinctę ab illis, quorum sunt vnitates: sed, numerus prædicamentalis, consequitur diuisionem materialem; & distinguitur realiter à rebus numeratis; quia componitur ex vnitatibus, de genere quantitatis, quæ realiter, ab illis, quorum sunt vnitates, distinguuntur: Vndè, colligitur duplex vnitas, altera, quæ conuertitur cùm ente, & altera, quæ est principium numeri: quæ in Deo distinguuntur: quòd vnitas, quæ est principiũ numeri, est in genere determinato. s. in quantitate; & vnitas, quæ conuertitur cùm ente, circuit omnia genera. Cuius diuisionis

conclusio est, quòd termini numerales, pertinentes ad genus quantitatis, non recipiuntur in diuinis: quia non est ibi, res aliqua de genere quantitatis; sed termini, importantes multitudinem, quæ est de transcendentibus; quæ non addit aliquam rem super ens, benè recipiuntur in diuinis. Et sic patet primum, ex duobus propositis, Alterum in sequenti declarabitur.

LECTIO LXIII.

GRAVIS certè, ac difficilis admodùm est quæstio à nobis superiori lectione, proposita, de significatione terminorum numeralium, dùm de diuinis dicuntur: Quamobrẽ, omni studio, & diligentia, est tractanda. Difficilis quidem est, propter multas diuersasq;, disputantiũ sententias: grauis verò, quia multum refert, quonam pacto resoluatur dubitatio. Nàm, ex altera parte, apertè habet Magister, terminos numerales, ad diuina translatos, esse magis ad remouendum, quàm ad ponendum aliquid: & cum Magistro, videntur esse D. Ambrosius, D. Hilarius; & D. Augustinus (vt ex distinctionis textu accepistis) quorum authoritas, sufficiens iudicatur, ad aliquid verè terminandum: quòd etiam, sine aliquo scrupulo, quilibet liberè faciet, si cùm his, & Aristotelem, & rationem ipsam audiat: modò Aristoteles. 5. met. t. c. 9. Vnum, non positiuè, sed remotiuè prædicari, videtur affirmare; dùm inquit, quòd omnia dicuntur vnum, inquantùm non diuiduntur: hoc enim, quòd est non diuidi, nõ ponit aliquid, sed solùm remouet. Ratio præterea, hoc idem conuincit; quia numerus est in genere quantitatis; quæ cùm sit accidens, & materiæ dispositio; in Deo esse, nullus vel parũ eruditus, arbitrabitur: Nàm, si diceret aliquis, quantitatẽ esse in Deo, nõ secundùm rationẽ sui generis, vel accidẽtis, sed secundùm rationem speciei; sicut aliqua qualitas, vt scientia, & iustitia; antecedẽs, & similitudo, rectè negaretur illi, quia, est aliqua qualitas, quæ secundum rationẽ suæ speciei, nullam dicit imperfectionem; vt scientia: iustitia: & æquitas: quæ de Deo dicuntur: omnis autem quantitas, secundùm rationes speciei imperfectionem importat, quia diuisionem includit. Ex quibus omnibus, sequitur, quòd termini numerales, remotiuè tantùm de diuinis prædicentur. Et confirmatur, quia, si Deus esset

vnus, per aliquod additum,& non per essentiam suam, tunc daretur processus in infinitum, quia, omnia essent vnum per aliud. Verùm, ex alia parte, oppositum omninò statuendum videtur, quoniam, primùm fides, prædictis sanctorum Patrum authoritatibus, præstita; dubia, incerta, ac infirma redditur: ex eo quòd etiam, ipsemet Augustinus, lib. 5.& cap. 5. de Trinitate, testatum reliquit, quòd, quicquid prædicatur de Deo, secundùm substantiam, vel relationem prædicatur. Et Boëtius etiam in medio sui libri, de Trinit. inquit, quòd omnia, quæ veniunt in diuinam prædicationem, mutantur in substantiam præter ad aliquid: vndè, cùm termini numerales prædicentur de Deo, oportet quod significent substantiam, vel relationem: & sic, positiuè dicuntur. Sed hinc, omnis, determinatur recta hominis ratio; quia, hæc habetur pro communi Theologorum sententia: & quia, si termini numerales nihil ponerent in diuinis, is, qui diceret tres personas, nihil diceret, quòd esset in Deo: Quamobrem, qui negaret tres diuinas personas, non esset hæreticus; quia nihil negaret de Deo, quòd esset in ipso. Siquidem, si termini numerales, non sunt aliquid in Deo; propter quòd de Deo dicantur positiuè; tunc multitudo, & vnitas, per tales terminos, importata; essent in intellectu tantùm: & sic non essent tres personæ in Deo, nisi secundùm intellectum. quòd pertinet ad hæresim Sabellianam; in qua certè, nè, vel cogitatione incidatis; numerum, de diuinis positiuè prædicari, prorsus prædicandum videtur. Quòd etiam confirmatur, quia, si remotiuè dicitur, sequitur circulus vnius, & multi; dicendò vnum esse, quòd non est multa; & multa esse, quæ non sunt vnum; quibus nihil vtique fieret notum. In disputatione igitur, tàm graui, ac difficili, quid dicendum? Vtinam, sicut dubitationem nouimus, ita, & solutionem inueniamus. Ego, aliorum opinionibus prætermissis, (vt breuibus agam) Primùm suppono, ea, quæ superiori lectione diximus; & præsertim, distinctionem numeri, in eius calce positam: deinde, ad rem propius accedens, animaduerto, quòd sensus quæstionis propositæ non est, an termini numerales ponant aliquid in diuinis, quòd sit realiter diuersum ab essentia diuina; quia hoc est impossibile; nisi admittatur in diuinis compositio. Nec sensus quæstionis, est, quærere, An tales termini includant aliquod positiuum: quia certum est, quòd saltem denominatiuè, includunt entitates rerum,

super

super quas, fundantur, quia vnum, dicit ens indiuisum; & multa, dicit entia diuisa, vel distincta; vndè in diuinis, significant illa, de quibus dicuntur. Sed quæstio est, an formalis ratio illorum, sit positiua an priuatiua. Et tunc, cùm Durando dico, quòd vnum, prout recipitur in diuinis, habet rationem priuatiuam, quia consistit in indiuinuatione; & sic addit super ens, solùm rationem indiuisionis; quæ ratio, non est illa, quàm format intellectus solus; vt sunt secundæ intentiones: at ratio, quæ est conditio per se communicans quamlibet naturam entis, vel rei. Sed multitudo, necessario habet rationem positiuam; tùm, quod vnum, quòd conuertitur cùm ente, & multitudo, ei correspondens opponuntur priuatiuè; vt patet 4. & 10. met: & quæcumque sic opponuntur, necessariò est, rationem vnius, esse positiuam, & alterius priuatiuam: tùm quia, ratio multitudinis, non consistit in ratione indiuisionis, circa ea, quæ dicuntur multa; sed in ratione diuisionis, vel distinctionis eorum, quæ multa dicuntur; quia oppositorum, oppositæ sunt rationes: vnde non per hoc, sunt aliqua multa formaliter, quia quodlibet eorum sit vnum indiuisum; sed per hoc, quòd habent distinctionem ad inuicem; ad quod, sequitur quædam negatio, scilicet, quòd vnum, non est aliud: quæ non est formaliter ratio multitudinis, sed quoddam concomitans. Si autem queratis, quid positiuè significent termini numerales? Respondet Durandus, quod hoc potest intelligi, vel de significato, vel de his, de quibus dicuntur: & de significato, inquit, quòd solùm important distinctionem, vel indistinctionem, circa totam naturam entis, substantiæ, & accidentis: de his verò, de quibus nomina predicantur, dicit, quòd in diuinis, vnum prædicatur, tàm de substantia, quàm de relatione: multum autem, & omne nomen, ad multitudinem pertinens, non dicitur realiter, nisi de relationibus; & de his, quæ relationem includunt: in diuinis enim, non est distinctio, quo ad essentiam, sed solùm, quoad relationes, vel ea, quæ relationem important. Quarè concludimus, terminos numerales, significare, in diuinis illa, de quibus dicuntur; & super hoc, nihil addere, nisi negationem, quæ, ratione vnitatis, est indiuisio, immediatè significata; & ratione multitudinis, negatio mutua: quòd, scilicet, vnum non est aliud, mediante diuisione, vel distinctione significata. Ex qua conclusione, luce clarius

rius constat, quantum necessariò, in huius difficultatis exordio, fuerit à nobis, ad vtramq; partem argumentatum; cùm vtraque pars aliquam sapiat veritatem. Verùm est enim, quòd termini numerales, in diuinis, non dico, addunt aliquid supra id, de quo prædicantur, sed dicuntur positiuè; quoniam, quando prædicantur de essentialibus, significant essentiam; quando verò de personalibus, significant relationem: propter quod, qui dicit tres personas, aliquid in Deo dicit, scilicet, distinctionem personarum, quam qui negat, hæreticus est; quia personarum Trinitas, per terminos numerales significata, nõ est solùm in intellectu nostro, sed est in Deo, secundùm rem. & ad confirmationem, ex his, quæ paulò supra dicta sunt, patet, quòd non sequitur circulus in definitione vnius, & multitudinis; cum opponãtur priuatiuè: nàm, licèt vnum, sit prius multitudine naturaliter, & secundùm rationem; priuatioq; sit posterior secundum rationem, quia in intellectu priuationis, est eius oppositum, per quod definitur; tamen, ad hoc, quod aliquid significetur per nomen, vt priuatio, sufficit qualitercumq; sit posterius in nostra cognitione: sic enim opponuntur, quòd hoc nomen, vnum, significat priuatiuè, nomen verò multitudinis, positiuè: vel etiam non sequitur circulus, dùm vnitas remouet multitudinem, & è contra; quia remouetur à Deo vnitas, & multitudo, quæ sunt in genere quantitatis; quorum neutrum de Deo dicitur; Vndè, vnitas dicta de Deo, quæ remouet multitudinem, non remouetur; sed alia vnitas, quæ de de Deo dici non potest. Similiter ex opposito, à veritate non discedit Magister, dùm inquit, terminos numerales, in diuinis nihil ponere; sed negare singularitatem, & solitudinem: vel quia, non considerauit nisi numerum, de prædicamento quantitatis; qui nullo modo in Deo esse potest: vel quia, solùm dixit, illos terminos non ponere, hoc est, non addere aliquid ad diuinam essentiam, nisi negationem, quemadmodum exponunt etiam D. Thom. Gab. biel. & Durandus: nàm (vt optimè patet, ex verbis Magistri in hac distinctione) ipse manifestè concedit, terminos numerales, & diuinam essentiam, & personas significare, & negat, illos formaliter ponere aliquam diuersitatem essentialem; ratione cuius, magis introducta esse dicit, ad remouendum, quàm ad ponendum aliquid: quòd etiam aliquando dictum fuit de hoc nomine, vita, sapientia, & huiusmodi: quæ tamen, non remouentur à Deo, quasi ei de-


desint; sed quia excellentius habet ea, quàm intellectus humanus capere, vel sermo significare possit. Ad rationem, alias diximus, in Deo, esse quantitatem virtualem, & nunc addimus, ibi esse distinctionem per relationes; quæ facit numerum personarum; & nullam dicit imperfectionem: nàm, in rebus immaterialibus, est diuisio formalis; quæ fit per oppositas, vel diuersas formas: quàm diuisionem, sequitur multitudo, quę non est in aliquo genere; sed est de transcendentibus: secundùm quòd, ens diuiditur, per vnum, & multa. Quamobrem patet, quomodo numerus dicitur in diuinis; & quòd Deus, non est vnum per aliquod additum; quia vnum, transcendens, quòd conuertitur cùm ente, nullam naturam potest addere super ens; quæ sit alia realiter ab ente: quia ens omnia includit. quibus soluta est quæstio, & declarata distinctio.



DISTIN-



DISTINCTIO XXV.



LECTIO



Lectio LXIIII.

PRAETEREA *considerandum, &c. A.* Cùm in hac tractatione diuinorum nominum, in qua, per dies aliquot iam versati sumus, egerit hucusq; Magister, de illorum recta prædicatione; & potissimum, de numeralium nominum catholico sensu, vel significato, distinctione præcedenti tractauerit, dùm secundùm se, & absolutè considerantur: Nunc disputationi huiusmodi finem imponens, numerales illi termini, cùm hoc nomine, persona, sumpti, quid valeant, quiduè significent, sufficienter exponit; Et duo principaliter facit, quia primùm dubitat, secundariò soluit. Dubitando verò, in primis verbis, sic dubitationẽ proponit; Quoniam dictum est supra, hoc nomen, persona, regulam aliorum substantialium nominum, non seruare; in eo quòd pluraliter, de omnibus personis (vt dicebat) in sũma, prędicatur; Vtrum similiter significet substantiam, tùm quando pluraliter prędicatur, cùm hoc numerali termino tres, & duo; vt, dicendo, tres personæ, vel duæ personæ; tùm quando cum termino partitiuo accipitur, dùm dicimus, alia est persona Patris, alia est persona Filij, & sic de Spiritu sancto? Nàm (inquit) dubitationis ratio est, quia alterum horum inconueniens, necessariò sequi videtur: vel quòd plures sint substantiæ, & essentiæ in diuinis; si persona substantiam significat, dùm dicitur, tres, aut duæ personæ: vel quod hoc nomẽ persona, sit æquiuocum in singulari, & plurali; si in plurali, non significat substantiam, sicut in singulari. Deinde, dupliciter arguit ad alteram partem, ex qua maius sequitur inconueniens; probando, scilicet, personã, duobus propositis modis acceptam, substantiam significare. Primùm quidem; D. Augustini authoritate (statim quòd, ex iam dictis d. 23. personam, in singulari numero, substantiam significare, confirmauit). Habet enim D. Augustinus, quòd ideo, tres personas dicimus; quia, id quod persona est, commune est tribus: ex quo, rectè infertur propositum; quia nihil est commune Patri, Filio, & Spiritui sãcto, nisi essentia diuina.

Præterea, ratione sic argumentatur; Illud, quòd respondetur ad interrogationem factam per quid, significat substantiam; sed nomen personę respondetur ad interrogationem factam per quid;

quia quærentibus, quid tres, respondemus, quòd tres personæ: ergo nomen personæ, significat substantiam. ergo sequitur prædictum inconueniens, quòd, scilicet, tres erunt substantiæ, & essentiæ; sicut tres sunt personæ. Ad hoc autem argumentum, vt respondeat, primò eorum improbat solutionem, qui nomen personæ, in plurali, essentiam significare concedentes, tres tamen esse diuinas essentias negabant: quia dicebant, inferendum hoc tãtùm esse, quòd Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt tres habẽtes illud commune, quod est essentia; & similiter, cùm dicimus, alia est persona Patris, & alia est persona Filij, intelligendum esse, quòd alius est Pater à Filio; quorum vterq; est persona: Quæ certè sententia erronea est censenda, quia si essentia, & persona, omninò idem significant; quantùm ad modum significandi, & quantùm ad rem significatam; oportet, sicut dicimus tres personas, ita dicere tres essentias; aut, si hoc est falsum, & illud: nàm, sicut exponunt tres personas. i. tres id habẽtes commune, quòd est persona, sic possunt exponere, tres essentias. i. tres id habẽtes cõmune, quòd est essentia. Quamobrem, non defuit Magistro, quòd illis obiiceret insolubile; vt, cum inquit Augustinus, quòd alius est Pater in persona, siuè personaliter: quia similiter, sequeretur, quòd alius esset Pater à Filio in essentia, siuè essentialiter: quòd hæreticum est, existimare. Ideò, secundò ad solutionem accedens, propriam exponit sententiam, dicendo, quòd hoc nomen persona, essentiam significat; sed tamen, propter vocabulorum penuriam, transfertur aliquando ad significandum suppositum, vel hypostasim; vt, quando pluraliter profertur cum termino numerali, vel singulariter cum termino partitiuo. Ex quo Magistri dicto, illud debetis accipere, non quod persona, in plurali significet aliud, quàm in singulari; sed quod, ratione pluralitatis personarum, factum est, quòd nomen personę, tàm in singulari, quàm in plurali, aliquando accipiatur pro hypostasi: nàm propter identitatẽ secundùm rem hypostasis, & essentiæ in diuinis, persona potest poni pro essentia in singulari; non autem in plurali; quia repugnat vnitati essentiæ. Vnde tres diuinas personas, dicimus tres entes; accipiendo ens adiectiuè: quia adiectiua, quo ad modum significandi, numerantur ad numerationem suppositorum, quòd tamen non conceditur accipiendo ens substantiuè, quia sic, ens, significat esse rei; & trium personarum vnicum est esse: sicut etiam tres personæ, vna tantùm res dicun-

dicuntur, quandò res absolutè dicitur in diuinis; quia si relatiuè accipitur, tres personas, tres res catholicè dicimus; sẽsus est enim, quòd tres sunt hypostases, vel tres subsistentes, in natura diuina. Et tunc Magister, sententiam suam, duabus prædictis obiectionibus applicando; primò ad primam, inquit, quod, quia persona significat id, quòd est commune tribus, ideo tres personæ, dicuntur vna essentia, vel vnius essentiæ: sed quia aliquando significat suppositum; ideo tres personæ, dicuntur tres subsistẽtiæ, & tres entes. Vbi aduertatis duo, alterum quidem, quòd Theologi, quia communiter accipiunt substantiam pro natura rei, ideo pro supposito magis voluerunt accipere subsistentiam, quàm substantiam, & essentiam: quia subsistentia magis importat respectum ad proprietatem, cui subest: Alterum verò, quòd tres personas dicimus, vnã essentiam, inquãtum personæ, & essentia, sunt vnum re in diuinis; & tres personas dicimus esse eiusdem essentiæ; secundum quòd, personæ, & essentia, ratione differunt: & non dicimus, tres personas ex eadem essentia; quia hæc propositio, ex, denotat habitudinem causæ efficientis, vel materialis. Sed quia essentia se habet ad personam, per modum causæ formalis; quę in genitiuo optimè potest intelligi; ideo dicuntur personæ vnius essentiæ; & nõ ex eadem essentia. Ad aliud verò, quòd essentia respondetur, ad quæstionẽ factam per quid; in eandem permanendo sententiam, Respondet Magister, quòd non solum essentia, sed & suppositum in essentia subsistens, verè ad eandem interrogationem respondetur: vndè, & suppositum, vna res dicitur; & consequenter, tria supposita; quæ sunt tres personæ diuinæ, tres dicuntur res, & tres entes. Quòd dictum, nè difficultatem pariat, admonet Magister, quo sic & D. Augustinus est locutus; & relatiuè ibi accipitur res; quia absolutè sumpta (vt mox diximus) tres personæ, vna tantùm res sunt. Ens verò, quia non sumitur ab aliqua relatione, sed ab esse, quod absolutum est simpliciter, in diuinis; non prædicatur pluraliter ex forma sua; sed ex supposito, prout est adiectiuum, vel participium. Quarè patet, quæ sit intelligentia, huius nominis persona, cùm dicimus, tres personas. Qualis autem sit intelligentia alterius propositionis, qua dicitur, alia est persona, &c. in sequenti tractabitur.

LECTIO LXV.

NVNC inspiciamus, &c. 1 Disputabatur à Magistro de intelligentia, & significato huius nominis persona, quādo termino numerali, vel partitiuo adiungitur: cuius quidē disputationis, altera parte exposita; secunda remanet interpretāda: quæ ideo primæ adiungitur, quia eadē solutione tollitur. Verùm (si in his opinari licet) frustra videtur hucusq; laborasse Magister; eo quòd, falso fundamento motus, totam hanc habuit disputationē: falsum enim apparet omninò, quòd persona, quoddam commune sit in Trinitate; à qua tamen re, tota manat, & pendet difficultas: quia si faciat quis non esse commune, faciet etiam non significare substantiam; & tunc quando dicitur, tres esse personas, non erit, qui tres essentias esse deducere possit. Quod autem illud sit falsum, sic validè probatur, Illud quod de natura sua est incommunicabile, non potest esse commune, sed de ratione personæ, est esse incommunicabile (vt patet ex eius definitione) ergo persona non erit commune. Amplius omne commune in Trinitate significat essentiam, & singulariter prædicatur; sed persona non significat essentiam; quia tantùm vna esset persona; nec singulariter prædicatur, quia tres dicimus esse personas; ergo persona non est commune in Trinitate. Præterea, si persona esset communis, sequeretur, quòd esset quoddam vniuersale; sed consequens est falsum; quia in diuinis nō est vniuersale, nec particulare; ergo & falsum erit, quòd sit nomen cōmune. Consequentia probatur, quia omne commune ad aliqua, quòd numeratur in illis, est verè vniuersale ad illa; præsertim, si non dicitur accidentaliter de illis; ergo si persona esset commune, esset vniuersale; quia in diuinis non est accidens; ergo non est commune tribus personis; ergo non dicit substantiam; ergo non sequitur tres esse essentias, cum tres personas confitemur. Sed ne, quæso, à Magistro discedamus, quia simul, à veritate longè discederemus; ipse enim loquēdi modus ostēdit, hoc nomen, persona, tribus esse commune, cùm dicimus, tres personas; sicut cùm dicimus, tres homines, ostendimus hominem esse communem tribus. Ideò hæc soluamus, & ad Magistrum statim reuertamur. Cùm autem concedimus, quòd persona sit com-

munis in Trinitate, & iam essentiam communem esse nouimus, distinctione quamprimùm, opus est hæc secernere: quando alius est modus communitatis in essentia, & alius in persona, vt inde cognoscitur, quòd plurificatur persona, & non essentia. Duplex igitur constituatur communitas, rei, scilicet, & rationis, communitas rei, est quando aliquid, vnum, & idem numero, conuenit pluribus; cuiusmodi in Trinitate, est sola essentia, & ea, quæ ad essentiam pertinent; vt attributa, & operationes ad extra: communitas autem rationis, est per modum vniuersalis, respectu suorum singularium, quo quidem modo, persona communis est in diuinis; & non solùm persona, sed relatio: quia vtrumq; dicitur de pluribus, non secundùm aliquid, vnum numero, repertum in ipsis, sed sicut vniuersale, de sub ipso contentis, quòd tamen non sic intelligi volumus, vt nomen personæ, commune esse tribus diuinis personis, sicut genus, vel species intelligatur: quia ibi non est genus, neque species: sed benè sicut indiuiduũ vagum (vt inquit D.Th.) siquidem, persona significat aliquid distinctum subsistens, & non dicit determinata principia distinguentia. Et tunc ad primum dicitur, quòd res incõmunicabilis, non põt esse cõmunis; sed intẽtio incõmunicabilitatis, benè potest esse cõmunis: Vndè licet persona sit incommunicabilis, tñ ipse modus existendi incõmunicabiliter, põt esse pluribus cõmunis. Quamobrẽ, illud, quòd est incommunicabile, non dicitur cõmunicabile, secundùm illam cõmunitatẽ; sed secundùm aliã. quæ respõsio, rectè explicatur, cùm dicitur, aliquid esse cõmune, vt quid, vel vt modus: nàm persona, vt modus, & nõ vt quid, est cõmunis. Ad secũdùm dicitur, quod valet de cõmunitate rei, quo quidẽ modo, nõ dicimus personam esse cõmunẽ in diuinis. Ad aliud, iam dictũ est, quòd licèt cõmunitas personæ, sit cõmunitas rationis, & nõ rei: non tñ sequitur, quòd in diuinis sit vniuersale, vel genus, vel species; quia quodlibet vniuersale prædicatur de pluribus, secundùm esse differentibus. Restat ergo, ꝙ nomen personæ, est commune tribus diuinis personis, & quòd cõsequenter, iurè à Magistro est dubitatum, de talis nominis significatione; quãdo termino numerali adiungitur, vt superiori lectione visum fuit. Sed quid dicendum, quãdo additur idem nomen personę, termino particulari, vt est alius? Hæc est altera pars distinctionis, in qua duarum propositionum sensum explicat Magister, & duo colligit. Prima propositio habet, Alia est persona Patris,

&

& alia est persona Filij, & alia Spiritu sancti; quam dicit intelligendã esse, sicut primã; accipiendo.s. personam, pro hypostasi, & supposito; & non inquantum dicit essentiam; vt sit sensus, alia est substentia, vel aliud est suppositum Patris, aliud suppositum Filij, & aliud suppositum Spiritus sancti. Cùm verò dicitur, alius est Pater in persona, vel personaliter; quę est altera propositio; inquit Magister, quòd persona propriè significat proprietatem, licèt possit ēt accipi pro supposito; vnde sẽsus est, quòd Pater, est alius in persona (hoc est) in proprietate; quia hypostasis Patris, paternali proprietate distinguitur ab hypostasi Filij; & in tali loquendi modo, persona, distinctionis rationẽ designat: quę nõ est aliud, quàm proprietas relatiua, vel relatio originis, vt trãsactis æstiuis caloribus, Deo adiuuante, intelligemus distinctè. Vltimò, colligit Magister duo: quorũ alterum est, quòd in adductis propositionibus, semper pro persona, possumus intelligere proprietatẽ; vt cùm dicimus, alia est persona Patris; sensus sit, alia est proprietas, qua Pater est Pater; alia qua Filius, &c. & sic secundũ aliquos, cùm dicitur tres sunt personæ, põt intelligi, tres sunt proprietates; quibus distinguuntur personæ: sed tñ (vt habet Magister) melius est, pro persona intelligere hypostasim, & suppositum, qñ dicimus tres personas. Alterum verò, quòd colligit Magister, est, quòd nomẽ personę, dicitur tripliciter; quia aliquãdo significat essentiã, aliquando suppositũ, & aliqñ proprietatẽ: quòd pluribus authoritatibus cõfirmat; vt patet in litera; vbi, illud solùm videtur animaduersione dignum, quòd à D. Hieron. dicitur; nullũ esse in Trinitate gradũ; quia oppositũ habet D. August. 9. conf. dicẽdo, Pater, & Filius nõ differunt substãtia, sed causa, & gradu; rõne cuius oppositionis, & similiũ; memoria sẽper est tenẽdum D. Hilarij pręceptũ, superius, pręsenti distinct. citatũ; quòd, videlicet, intelligẽtia dictorum ex causis est assumẽda dicendi: quia nõ sermoni res, sed rei sermo subiectus est: siquidẽ, tunc videbimus, ꝙ nulla est inter dictos Patres cõtrarietas; quia D. Hiero. de gradu, qui est inter inferius, & superius loquitur; & D. August. de gradu, qui ꝓpriè ordo originis dicitur; sicut ēt causã intelligit, pro principio. Vndè colligimus, quòd, quia propriè loquẽdo, gradus importat ordinẽ dignitatis, sm̃ sub & supra: ideò ĩ diuinis nullũ gradũ cõcedere debemus; sicut ēt in Exodo dr̃, non ascendes ad altare meũ per gradus. i. nõ facies filiũ minorẽ Patre; sed tm̃ ordinẽ ponimus; ratione cuius hîc finẽ facimus, vsq; ad diẽ oct. Septẽbris.

DI-

DISTINCTIO XXVI.

De æternis proprietatibus personalibus, vt sunt in singulis suppositis
- Assignatur
  - Quibus competant. A.
  - Quæ sint. B.
  - Quid sint. C.
- Dubitatur
  - De illa filij
    - An soli filio competat. D.
    - Quare alteri non cõueniat. E.
  - De illa spiritus sãcti
    - In quantũ dicitur donum. F.
    - In quantũ dicitur spiritus sanctus. G.
    - In quãtum relatiuè dicitur. H.

LECTIO LXVI.

POSTQVAM pro rei veritate, contra hæreticorum cauillos, diuinæ essentiæ vnitatem; & diuinarum personarum Trinitatem; ac earundem coæqualitatem (Deo reuelante) hucusq; percepimus: Sequitur hoc gratiori tempore (studiosissimi, ac, ob id, gratissimi Iuuenes) quod huius altissimi mysterij, eam perfectam notitiam, quæ non claudicantibus viatoribus con cedi solet, inquirentes; duo principaliter quæ restant; alterum de proprietatibus, quibus diuinæ personæ distinguuntur; alterum de attributis, quibus diuinæ eædem personę, optimè dignoscuntur; omni studio exquirantur, disputentur, percipiantur.

Primùm verò, cùm ipso Magistro, de proprietatibus tractantes; quoniam aliæ sunt propriæ, aliæ appropriatę; & propriæ, aliæ temporales, aliæ sunt æternæ; & harum, aliæ sunt personales, aliæ personarum; hoc est, non constituentes personas: à personalibus, siuè

con-

constituentibus personas, iurè optimò exordimur. Sed quia proprietates huiusmodi, & secũdum se, & comparatiuè ad personas, considerare contingit: Præsentis distinctionis scopus, & finis erit, de proprietatibus propriis, æternis, & personalibus, agere; vt in singulis sunt personis: Continuatio autem, talis communiter, & rectè, assignatur; quòd post tractationem eorum, quæ de Deo dicuntur secundùm substantiam; tractandum sequitur, de his, quæ de eodem dicuntur, secundùm relationem, cuiusmodi sunt diuinę proprietates. Demum distinctionem hanc, in duas secamus partes; secundùm quòd, & docet propositum, & contingentes dubitationes tollit: Quæ duo, in alias particulas commodè subdiuiduntur. Nàm Magister, vniuersali intentione proposita; vt quibus competát, quæ & quot sint, ac quid sint, quantùm ad modum prædicandi; doceat: Primùm, nomine hypostasis, communiter à nobis, de diuinis loquentibus, vti posse, admonet; dùm pro supposito subsistente accipitur: siquidem, quòd D. Hieronymus sub dicto nomine, hypostasis, venenum latêre asserat; hoc, in primitiua Ecclesia, dictum fuit, propter hæreticos, qui eo nomine, pro supposito, & pro essentia sumentes; simplices, distinguere nescientes, decipiebant: vndè non latebat venenum sub nomine, ex parte nominis; sed tantùm sub nomine, ratione intentionis eorum peruersæ: siquidem, nomẽ, hypostasis, ortum habet ex veritate antiqua: & ideo, non sic est nouellum nomen, quòd prohibeatur ab Apostolo dicente; Vocum nouitates esse vitandas. Deinde, hoc statuto, vt quibus proprietates conueniũt, innotesceret; quia, hypostases, in diuinis, sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, de personalibus proprietatibus, inquit, quòd proprietas Patris, nõ est, quòd nõ sit natus. i. innascibilitas: nec proprietas Filij est, non gignere: neque illa Spiritus sancti est, esse ingenitum, vel non natum: sed proprietas Patris est, gignere; proprietas Filij, gigni; & illa Spiritus sancti est, à Patre, & Filio procedere: quæ proprietates, aliis nominibus dicuntur, Paternitas; Filiatio; & Processio; siuè spiratio; & hæ non prædicantur substantialiter, nec accidentaliter, sed relatiuè solùm: non substantialiter; quia vna est substantia, & essentia in diuinis: nõ accidentaliter; quia nihil est in Deo amisibile, vel mutabile: relatiuè verò; quia personæ diuinæ, sic ad inuicem referuntur, & distinguuntur. Vnde sequitur, quòd illa diuisio entis, qua dicitur, quòd, omne ens, aut est substantia, aut accidens; vera est, & sufficiens

sufficiens in naturalibus,& non in diuinis, quasi sit subdiuisio hu ius; Ens aut est ab alio,aut non ab alio: si enim, non est ab alio, est ens diuinum: & si ab alio, substantia est,vel accidens. Et hæc est doctrina huius distinctionis,circa quam, plures exoriuntur dif ficultates. Sed primò dubitat Magister,in secunda, & postrema di stinctionis parte,de proprietate filij, ac de proprietate Spiritus san cti. Et de proprietate quidem filij,inquit, quòd licet sæpius inue niatur in scriptura, quòd homines nominentur filij Dei; sola tamen secunda persona in deitate, propriè dicitur filius Dei: hæc enim, filius est Dei per naturalem generationem; homines verò,filij Dei sunt,non nisi per gratiam,vel per gratuitam adoptionem: propter quod secũda persona in diuinis,nunquàm fuit non filius; homines quandoq; non fuerunt filij Dei,quia filij iræ: Præterea se cunda persona dicitur,& est, filius Dei Patris; homines verò, filij sunt totius Trinitatis; quia cùm dicitur, homo filius Dei, Deus tunc non supponit pro persona Patris; sed pro tota Trinitate,quæ vnus est Deus. Amplius secunda persona,filius est Dei, veritate; homines imitatione: illa generatione; hi creatione: & demùm, in illa non est quicquam nisi filius;quòd hominibus minimè com petit. Similiter de proprietate Spiritus sancti dicitur,quòd ei pro priissimè competit, vndè, licèt multa sint Dei dona, magis tamen propriè Spiritui sancto conuenit esse donum; sicut secunda perso na,æterna generatione,est filius: Et quamuis hoc nomen,Spiritus sanctus,& Patri,& Filio,ac simul totæ Trinitati possit conuenire; tertiæ tamen personæ in diuinis, specialiter appropriatur: huic enim diuinæ personæ conuenit, vt est nomen relatiuum, & personale; quo quidem modo, deriuatur à spiratione: aliis verò personis,& toti Trinitati, conuenit,vt sumitur à spiritualitate, & vt est nomen essentiale: atque vt accipitur pro duabus dictionibus distinctis: quòd tertiæ personæ in Trinitate conuenit, quatenus pro vna sola dictione accipitur. Nec etiã sequitur (inquit Magister) nomina hæc, tertiam personã in diuinis significantia,non esse nomina personalia; eo quod ad Patrem,& filium, non referantur; vt dicendo, Pater, vel filius spiritus sancti filius, vel Pater: Siquidem licet hæc,secundum sonum vocis, non sibi correspondeant vocabulis, vt communiter faciunt relatiua; tamen, secundùm relationis sensum, maximam habent correspondentiam: vt,dicendo Spiritus sanctus, spiratoris est Spiritus sanctus: & donum datoris do

I num:

num: quòd sufficit: quia non omnia, quæ relatiuè dicuntur, suis ad se inuicem respondent vocabulis: multoties enim, non habentur nomina, vtriq; relatiuorum determinata. Restat igitur, quòd tertia persona in diuinis, propriè dicitur donum: & propriè Spiritus sanctus: personaliter, & relatiuè; sicut hoc correlatiuũ, quòd est esse filium, propriè conuenit secundæ personæ in diuinis. Atque principaliter remanet, tres esse personales proprietates; videlicet, generare, gigni, & sperari; quæ multæ, apud Scholasticos, sunt difficultatis, quas (vt rectè percipiatis) multa erunt à vobis animaduertenda. Verùm hoc tempore (nè sim longior) pauca hæc, de nomine hypostasis, & literis, & memoriæ vos mandare velim. Primùm, videlicet, quòd nomen hypostasis, propriè dicitur in diuinis; nõ tamen omnibus modis, sicut in creaturis accipitur: Vnde factum est, quòd in primitiua Ecclesia, ante notam, ac determinatam eius significationem, prohibitum fuit. Est autem, hypostasis in diuinis, substantia, cùm proprietate: & dicitur, hypostasim sub proprietate subsistere; non substare; quia hoc est respectu accidentis; illud autem respectu proprietatis: Nec tamen substantia, quæ est diuina essentia, est quid simplicius, quàm substantia cùm proprietate; quæ est hypostasis, & persona; quia in simplicibus (etiã secundum Auicennam) quidditas simplicis, est ipsum simpliciter; & differt solùm, quantùm ad modũ significandi: quia quidditas significat vt forma; & ipsa res simpliciter significatur, vt subsistens. Verumtamen, hypostasis, addit supra substantiam, id quòd dicitur incommunicabile; & supra essentiam hoc, quòd essentia, obliquè cadit, in definitionem hypostasis. Deinde sciendum, quòd nomen hypostasis, in diuinis, nec vniuocè, nec æquiuocè propriè dicitur: non enim dicitur vniuocè de personis, vniuocatione, quæ dicitur communitas essentiæ: sed dicitur quodammodo vniuocè, secundùm quòd vniuocatio dicitur vniformis cõmunitas habitudinis: quæ, ex relatione suppositorum ad hypostasim, consurgit. Nec est nomen secundæ intentionis, quia hypostasis significat aliquid, quòd inuenitur in re extra. Præterea dicimus, quòd quamuis supposita persona, supponatur hypostasis; non tamen supposita hypostasi, supponitur essentia: alioquin etiã essentia generaret, sicut hypostasis, vel persona generat. Nàm illud dicitur supponi, supposito altero; quòd est in ratione eius, secundùm rectitudinem; & quando quicquid attribuitur vni, & al-

teri conuenit. Nec sequitur, si hoc est idem illi, quòd, hoc supposito, supponatur illud, nisi illa duo sint idem secundùm rem, & secundùm rationem. modo licèt persona, sit idem, secundùm rem, quod essentia in diuinis; propter summam simplicitatem: differens tamen est ratio intelligentiæ eorum; & ideo supposita hypostasi, non supponitur essentia. Amplius hoc vnum, & audire, & concedere libenter, debetis; quòd, videlicet, differentes proprietates, siuè relationes in diuinis, differentes exigunt hypostases: eo quòd illæ incompossibiles sunt ad inuicem. Quarè tribus positis proprietatibus, tres sequitur esse hypostases; & tres personas: sicut enim multiplicabilis est hypostasis, ita & persona: differũt namq; hæc, solùm, quòd persona dicit, quid distinctum; ac habet in suo intellectu, & de suo nomine proprietatem distinguentem: hypostasis verò est quidem quid actu distinctum, sicut persona; sed tantùm ad proprietatẽ distinguentem habet respectũ; nec vllo pacto, de suo intellectu includit illã. In sequenti difficiliora tractabimus.

LECTIO LXVII.

DE personalibus proprietatibus, cùm ipso Magistro, in distinctionẽ vigesimam sextam, tractãtes; quę, & quot essent, & quomodo in diuinis prædicarentur secundùm relationem; quæ non est substantia, nec accidens; superiori lectione accepimus. Nunc (vt promisimus) difficiliora aggredientes, quęstionem grauissimi ponderis, ab omnibus tractata doctoribus, & multa cùm diuersitate; examinandam, ac resoluendam proponimus. An, videlicet, Diuinæ personæ constituantur, & distinguantur, dictis relatiuis proprietatibus, aut origine, siuè distinguãtur se ipsis, vel quarto per absoluta. In hac enim disputatione, quatuor huiusmodi Theologorum opiniones inuenio; quarum tres, quia vna est veritas, præsenti lectione confutabimus, alterius verò veritatẽ, in sequenti manifestabimus. At primùm, pro intelligentia terminorum quæstionis, aliqua diligenter, & accuratè, sunt consideranda; ideo de secundo termino, quòd est, constituere, & distinguere (nam quid sit persona in superioribus distinctionibus, iam satis est dictum) scire oportet, quod, compositio: Vnio: & constitutio inter se non parum differunt: nàm compositio, duo requirit; quo-

rum vnum, ſit potentia, & aliud in actu; vndè ſemper dicit informationem. Sed vnio, duo realiter diſtincta importat; & nullam dicit informationem; alioquin, dùm verbo diuino eſt vnita natura humana, ibi fuiſſet informatio aliqua: quòd falſum eſſe, tertio Sent. omnes Theologi, nullo diſcrepante, affirmant. Conſtitutio deinde, informationem non dicit; ſed dat eſſe, vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid; accipiendo eſſe perſonale, pro eſſe ſecũdùm quid; vt natura diuina, eſt, qua Pater ſimpliciter, eſt; & Pater eſt, qua Pater eſt, ſecundùm quid. i. qua Pater eſt Pater: & de huiuſmodi eſſe perſonali, quęritur in propoſito, An ſcilicet, perſona conſtituatur in eſſe, non ſimpliciter, ſed ſuppoſitali; pro aliquid eorum, quæ propoſita ſunt. Ex quo, colligitur, quòd ſimplicitas, quæ reperitur in diuinis perſonis, compoſitionem tollit, & non conſtitutionem: quia in compoſitione, componibilia diſtinguuntur inter ſe; & negantur de ſe inuicem, & ſimiliter à compoſito: vndè, anima hominis non eſt homo, nec materia eſt homo, nec anima: & in conſtitutione, conſtituentia ſibi realiter, & eſſentiali ter identificantur: quamobrem, cum ſumma ſimplicitate in diuinis, ſtat conſtitutio, & diſtinctio plurium perſonarum. Vnumquodque enim eo conſtituitur in ſuo eſſe, quo ab aliis diſtinguitur; & eſt ſermo de cõſtitutiuo formali, & non efficienti. Præterea eſt not. quòd cùm in diuinis ſit duplex relatio, communis, ſcilicet, vt identitas, ſimilitudo, & æqualitas; quæ, quia communes ſunt, dicuntur æquiparantiæ: & relatio originis, quæ dicitur, diſquiparantiæ relatio; de his habetur ſermo in propoſito; quia inter producens, & productum, intercedunt: non ſe compatiuntur in eodem ſuppoſito; & in Deo non ſunt alicuius generis prædicabilis, ſed tranſcendentis. His autem poſitis, ad errores impugnandos accedentes, errorem eſſe, dicere diuinas perſonas ſe ipſis, & ſe totis (vt dixit Præpoſitiuus) diſtingui, & conſtitui; ſic pater, ſicut & diuinas perſonas, in eſſentiæ vnitate conuenire, eſt manifeſtum. quòd certè nullum Theologorum præterit: nam quæ ſe ipſis, & ſe totis diſtinguuntur, in nullo conueniunt inter ſe. Nec tamen ſequitur, quòd perſona ſit minus ſimplex, quàm eſſentia: quoniam relatio, quæ (vt ita loquar) accedit ad eſſentiam, in conſtitutione perſonæ; nullam facit compoſitionem; ſed diſtinctionem. Quæ enim compoſitio fit in ſor. quando efficitur Pater, vel Filius? nulla certè. Dicatis igitur, quòd perſona, quamuis non cõſtituatur ſe ipſa, eſt tamen æquè ſimplex,
ſicut

sicut essentia: quantùm ad negationem compositionis; sed non quantùm ad aliquos respectus, qui includuntur in esse quidditatiuo personæ. Quòd si proprietates, vel quòd cumq; sit, quo constituantur personæ, non est quid distinctum ab ipsis personis; non tamen sequitur, quòd propter illud, non constituantur personæ; non enim valet hoc argumentum, Ratio non est quid distinctum ab homine, ergo homo non habet esse, & formam, à ratione: est enim distincta res ab homine ratio; non quòd non sit in homine; sed quia non est omne id, quòd est homo; vel quòd habet homo: sed est tantùm pars hominis. nempè vltima, & specifica forma: similiter in diuinis, proprietas (si talis sit constituens) non est persona; quia in persona sunt duo, relatio, scilicet, & essentia; & relatio, non est essentia, quia esset vna tantùm relatio, sicut vna duntaxàt est substantia, & essentia diuina; & tunc vna tantùm esset persona; ergo non trinitas: quæ nè tollatur, néuè confundantur personæ, non est illud concedendum. Sed tamen dicendum, relationem simul cum essentia esse in persona: licèt relatio non sit essentia, & persona: sicut ratio non est homo, sed in homine: quod tamen melius declarabitur, quando quęremus, an relatio sit essentia. Quarè patet, quòd personæ non constituuntur se ipsis, & se totis; sed per aliquid aliud: vt videbimus. Et argumenta, quæ pro dicta opinione afferuntur; procedunt semper, de constitutione per modum totius ex partibus: non autem de constitutione suppositi, per naturam; vt est in diuinis. Sed falsa est etiam eorum opinio, qui volunt, personas diuinas distingui per absoluta; siuè per modos aliquos intrinsecos absolutos; nobis tamen ignotos: horret enim animus, ponere in diuinis plura absoluta; quando tota Theologorum Schola, communi consensu, affirmat, quòd in diuinis, sola essentia est absolutum, quod ipsis personis communicatur. Quò circà, cùm dicunt, quòd persona nō esset quid vnum per se: & posset esse sine relatione; nisi constituens personam, esset quid absolutum, & substantia; quia res diuersorum generum, vt essentia, & relatio; non faciunt vnum per se; & remoto eo, quòd non est substātia, non tollitur substantia: Respondetur, quòd ex relatione, & essentia, fit vnum per se in diuinis, non formaliter, sed identicè, nàm relatio identificatur cùm essentia; & sic est realiter idem cùm substantia: quæ est substantia hypostasis, & ideò tali relatione remota, remouetur, & substantia, & eadem ratione, quia, scilicet relatio est

est idem cùm essentia; sequitur, quòd nec essentia, nec persona, diuinam relationẽ præcedit: siquidem, fundamentum est prius relatione; quando relatio realiter, & essentialiter distinguitur à fundamento: & cùm in diuinis, relatio sit idem, cùm fundamento; non constituit fundamentum, quantùm ad hoc, quòd est per se esse, & per se subsistere: sed quantùm ad hoc, quòd sit Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus. Nàm, licèt relatio realis (vt in pluribus) supponat extrema distincta, non tamen semper est verum: & sat est, quòd surgat ex natura rei; & non ex opere intellectus; & potissimum in diuinis non est verum, quia ibi relatio, non est accidens; sed substantia: & ideò non supponit; sed secum fert distinctionem; ergo, quòd diuinæ personæ absoluto constituantur, nequaquam est opus: imò, valde absurdum, vt ex dicendis manifestabitur. Sed nec etiam tertio, dicendum est, Diuinas personas constitui, & distingui, origine; seù emanatione. (vt voluisse videtur Diuus Bonauentura hoc in loco) nàm (vt arguit D. Thomas) Distinctiuum oportet esse intrinsecum, & proprium, sed origo non est intrinseca, quia significatur per modum actus; & actio, etiam realis, habet semper rationem egredientis. Præterea repugnat origini, constituere: quia origo actiuè præsupponit personam; passiuè autem, est via in eam. Quia tamen, aliquod esse cõstitutiuum, & distinctiuum, potest dupliciter intelligi; vno modo formaliter, sicut homo humanitate constituitur; alio modo, vt via ad constitutionem, & distinctionem; Vnde sor. sua generatione dicitur homo: quia generatio, est via ad formam, quà formaliter constituitur in esse: Possumus etiam dicere, quòd origo, non formaliter, sed initiatiuè, constituat, & distinguat; in quo sensu, fortasse locutus est D. Bonauentura, quando emanationem priorẽ quodammodo, relatione diuina esse credidit; & per id, quòd prius est, distingui personas voluit. Cùm igitur, personæ diuinæ non constituantur, & distinguantur personaliter seipsis; nec per aliquod absolutum; neque origine, seù emanatione; vt monstrauimus. Sequitur videndum, quomodo hoc fiat per relationes originis, siuè proprietates relatiuas, vt est communis Theologorum opinio.

LECTIO LXVIII.

EAM sententiam sustinendam esse, superiori lectione constitutum habemus; quæ statuit relationes originis, siuè proprietates relatiuas, diuinas personas, in esse personali, formaliter distinguere, & constituere: siquidem, cùm sit necesse, diuinas personas distingui, & constitui, altero illorum modorum; per sufficientem diuisionem: & non possit hoc esse (vt monstrauimus) se ipsis, nec per absoluta, neque origine, vel emanatione, nisi initiatiuè: sequitur, fieri debere, formaliter, per relationes, & proprietates. Quam sententiam libenter amplecti vos velim; quia talem sequuntur D. Thomas, Albertus, Petrus de Tarantasio, Egidius, Durandus, & qui sunt ex familia subtilium famosissimi; ita vt, facta sit communis omnium Theologorum opinio: à qua etiã fortasse non recessit Scotus; quia illam non confutauit: difficillimum tamen est, videre, quid ipse voluerit. Nam Franciscus Lychetus. 1.d.26. non longè à fine, dicit, se credere, Scotum fuisse huius mentis, vt per absoluta constituãtur personæ, & distinguãtur: At Gabriel 1.d.26, dicit, Scotum insequi communem opinionem. Ego verò dico, Scotum in hac disputatione, fuisse problematicum, vt videre est hoc in loco, quęstione vnica; vbi disputat validissimè pro vtraque opinione; nec maius ad vnam, quam ad aliam declinare videtur: laudat alteram, quia illi videtur probabilis; & à communi opinione non recedit, propter authoritates Ecclesiæ, & patrum; quæ ita sonant, vt diuinæ personæ, per relationes originis, seù per proprietates relatiuas distinguantur. & sic, anceps remanere videtur. Ne igitur, à communi Theologorum sententia discedamus, illa erit conclusio à nobis defendenda, quæ authoritatibus sanctorum, magis est consona: videlicet. Diuinæ personæ cõstituuntur, & inter se distinguuntur, relationibus originis; seù proprietatibus relatiuis. Quę manifesta fiet, iactis quibusdam fundamentis, & obiectionibus dissolutis. Primùm fundamentũ, colligitur ex D. Th. tum in scripto. 1. sent. d. 26. tùm in 1. p. q. 40. 2. In quibuscunque pluribus, in quibus inuenitur aliquod commune; oportet quęrere aliquid distinctiuum: cum igitur diuinæ personæ sint plures, & habeant essentiam tribus communem;

oportet

oportet aliquod inuenire, quo distinguantur; omnis autem distinctio, vel diuisio, (secundum Philosoph. 5. met.) est, vel per quantitatem, vel per formam; igitur, quia in Deo non est quantitas, neq; materia; erit ibi distinctio pœnes formam: & quoniam omnis distinctionis formalis, principium, est aliqua oppositio; accipiendo tamen oppositionem, lata quadam significatione; & in omnibus oppositionibus (præter quàm in relatiuis) alterum est, vt perfectum, alterum, vt imperfectum, (vt patet, inducendo in affirmatione, & negatione, in priuatione, & habitu; & etiam in cõtrariis, quorum, secundum Philosophum, primo Phys. semper, vnum est, sicut nobilius, & alterum ignobilius) ideo in diuinis, nulla talis erit oppositio, sed tantùm relatiua, quæ prima ponitur, inter distinctiones reales: tùm quòd, secundùm veritatem, ipsa sola est simpliciter, & omninò necessaria: (reliquas enim, non implicat contradictionem nõ esse, quoniam, extra Deum sunt) tùm quia, nihil imperfectionis ponit, aut pręsupponit; & ideo ordine perfectionis, est prima: Quod intelligendum est, ordinãdo distinctiones, in ordine entium simpliciter; non autem in ordine distinctionum, vt sic. (vt in post prædicamentis habetur). Secundum fundamentum, sumitur ex Egidio 1. d. 26. q. 2. videlicet, quòd in diuinis, nihil plurificatur realiter, nisi quòd relationem importat: & ideo, tria hæc plurificantur; proprietas, hypostasis, & origo: sunt enim ibi plures proprietates reales distinctæ; vt paternitas: filiatio: & spiratio passiua: plures hypostases; vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus: & plures origines; vt gigni; & procedere; quia hæc tria relationem important. & si comparemus hypostasim, ad suam originem, & ad suam proprietatem; tunc illa tria, realiter non differunt; imò vnam, & eandem relationem important: Nàm, si filius, ad suam proprietatem comparetur, vt ad filiationem; & ad propriam originem, vt ad generationem, vel natiuitatem; ab eis realiter non distinguitur: & eandem relationem importat: siquidem, natiuitas, filiatio; & filius, non sunt tres res; sed vna: & cùm hæc omnia, secundùm relationem distinguantur; non aliam, & aliam relationem dicunt; sed distinguuntur pœnes modum significãdi; & propter hunc modũ diuersum significandi, sequitur, quòd proprietas se habeat, vt distinguens, origo autem, & hypostasis, se habeat, vt distincta. Nàm, quòd magis directè, quãtùm ad modum significãdi, relationem importat, hoc ponitur in diuinis, distin-
ctionis

ctionis principium: & alia per ipsum, habebunt esse distinctum; & quia proprietas relatiua, quantùm ad modum significandi, magis directè, relationem importat, quàm hypostasis, & origo; ideò ipse proprietates, sunt distinctionis principium. Tertiò not. ex eodem Egidio, quòd quia proprietas, & origo, vnam, & eandem relationem important; propter hoc, aliquando inuenitur à Sanctis dictum, quòd in diuinis est distinctio, per origines, aliquando per proprietates: quamobrem, dicendum, quòd hypostases distinguuntur per proprietates relatiuas, directè, & per se; per origines aũt, distinguuntur, prout origines, loco proprietatũ accipiuntur. Quartum, & vltimum fundamentum sit, quòd quemadmodum in diuinis, singulare est, & præter consuetudinem nostram, quòd relatio est idem realiter cùm substantia; ob infinitatem ipsius essentiæ; quòd in creaturis inuenire, impossibile est: ita, multa alia sequuntur verissima in illis diuinis personis, quæ in creaturis, omnia fieri non possunt; vt est hoc, quòd relatio, constituat suppositũ naturæ intellectualis: & quòd det ei esse subsistens, & distinctum; sic intelligendo, quòd relatione formaliter Deus est suppositum; & suppositum, relatione distinguitur ab alio supposito; quæ relatio est intrinseca, & essentialis; imò est ipsum suppositum; & tamẽ constituit suppositum, substantialiter, & multa alia similia: quæ omnia, non sunt magis impossibilia, quàm, quòd relatio sit eadem substantię. Hæc omnia, in diuinis verissima sunt, licèt in humanis, impossibilia sint: & cùm talis diuinarum personarum constitutio, difficillima sit, ac pœnè ineffabilis; Necesse est nobis, quibus possumus verbis, illam explicare. Cùm igitur, cont. propositam conclusionem, ab aduersariis argumentatur; Nihil agit non existens; sed generare est agere: ergo Pater prius habet esse, quàm generet. Respondetur ad maiorem, Nihil agit non existens, aut, quin per actionem constituatur; vt est Pater diuinus, qui generando, cõstituitur Paternitate sua; & si dicas, ergo Pater est productus; Nego consequentiam, productus enim requirit producens distinctum, à quo producatur; sed constitutus, non requirit nisi principium, quasi formale, vndè pater constituitur, non tamen producitur; filius autem, producitur, & constituitur. Præterea argumentor, si relatio diuina constitueret suppositum; aut hoc faceret, vt comparatur ad essentiam, aut, vt comparatur ad suppositum: nullum illorũ est dicendũ. igitur, &c. probatur minor, nõ enim qua-

tenus comparatur ad essentiam constituit; quia tunc, relatio trāsit in essentiam; & tunc, non relatio, sed essentia constitueret: nequeūt, comparatur ad suppositum, potest constituere; quia cùm omnis vnio, presupponat sua vnibilia, in huiusmodi vnione, relatio non constitueret suppositum, imò, ipsum præsupponeret constitutum. Respondetur, quòd relatio cōstituit, vt comparatur ad essentiam; sed non est aliqua prioritas realis, in qua relatio, & essentia sint vnite, antequàm suppositum, & persona sit constituta; & ideò, relatio non dat essentiæ effectum suum formalem; sed huiusmodi effectū; dat solùm ipsi toti supposito constituto; sicut patet de anima rationali, quæ non dat in aliquo priori, ipsi materiæ, esse rationale; sed solùm huiusmodi constituto, tribuit esse tale: vndè, nullum sequitur inconueniens, si relatio cùm essentia (secundum etiam nostrum modum intelligendi) præunita, constituat diuinum suppositum. quid enim est aliud, constitui personam in diuinis, nisi essentiam, & proprietatem relatiuam identificari, ac verè, & affirmatiuè prædicari, & de se inuicem, & de persona constituta? reseruando tamen, modum prædicandi particularem relationi, supposito, & essentiæ; ratione cuius, pater dicitur generare, filius generari, essentia autem, nec generare, nec generari: & huiusmodi. Relatio autem, vt relatio, non constituit, nec distinguit in esse hypostatico, diuinas personas; sed tantùm, in esse relatiuo constituit; & vt realis, distinguit realiter; & in quantùm identificatur diuinæ essentie, & est incommunicabilis, distinguit, & constituit extrema in esse suppositi. Plurima, & pœnè innumerabilia, possent cont. nostrā cōclusionem afferri: quæ, non solùm, nè sim longior; sed quia etiā, ex dictis in hac, & superiori lectione, facile soluūtur; prætermitto. Et illud vnum animaduerto, quòd in hac quæstione diligenter est tenendum, & ob oculos ponendum, ne confundantur personæ; & præsertim cùm conceditur relationes, vel proprietates, esse essentiam diuinam; quia cùm essentia sit vna, & indiuisa; etiam proprietates essent indistinctæ, & etiam personæ; quod Athanasio, & veritati catholicè repugnat; quòd tamen sequeretur, si nullo pacto distinguerentur, sicut verè formaliter distinguuntur, quòd sufficit in diuinis, & nobis sufficiant, quæ dicta sunt, pro tali quæstione.

LECTIO

Lectio LXIX.

CVM iis, qui de ſanctiſſimo Trinitatis miſterio tractant, ad modùm periclitentur; quia (teſte Auguſtino) nil periculoſius quęritur, ſicut nihil fructuoſius ſcitur. Nos, qui de diuinarum perſonarum diſtinctione agimus (quæ grauiſſima res eſt, & maximè difficultatis) ne temerè, & maximo noſtro cùm diſcrimine, in aliquem labamur errorem; in hac vna re, omne ſtudium, omnem operam, atque induſtriā, adhibere debemus. dùm enim, relatione diuina, diuinas cōſtituimus, ac diſtinguimus perſonas; eas quodammodo, ſola ratione, modoq; noſtro intelligendi, conſtituere, & diſtinguere videmur: Quamobrem ad vberiorē, illuſtrioremq; dictorum doctrinam; aliqua non leuia, de vi, de veritate, ſeù realitate, atque de numero relationum perſonalium, & proprietatum relatiuarum, notionumq, hodie quidem dicenda, & audienda; ſemper verò, memoria tenenda ſunt. Dicamus igitur, tantam eſſe diuinarum relationum, ſeù proprietatum vim, atque præſtantiam, quòd, illis, à perſonis per intellectum abſtractis, impoſſibile eſt remanere hypoſtaſes, & perſonas: & ratio eſt, quia huiuſmodi proprietates perſonales, non ſic intelliguntur aduenire hypoſtaſibus diuinis, ſicut forma ſubiecto præexiſtenti; ſed ferunt ſecùm ſuppoſita: inquantùm ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtētes. Præterquam quòd ſi (vt communiter dicunt Theologi) ſola relatio eſt, quę diſtinguit; remota relatione, nulla remanebit diſtinctio in diuinis: & ſic nulla perſona, & nulla hypoſtaſis. Dico autem ſignāter, nulla hypoſtaſis; quia (vt rectè arguit D.Th. 1.p.q.40 3.) falſa eſt eorum opinio, qui dicebant, abſtractis relationibus, remanere hypoſtaſes; quia remanent origines diſtinguentes: ſed non remanere perſonas; quia relationes pertinerent ad dignitatem; quæ eſt de ratione perſonæ, & nō hypoſtaſis. Siquidem, relationes ſunt primò diſtinctiua, & conſtitutiua: & dignitas, qua differt perſona ab hypoſtaſi, tenet ſe, ex parte naturæ, & non ex parte indiuidui: vndè, perſona, non addit ſupra hypoſtaſim proprietatem diſtinguentem abſolutè, ſed proprietatem diſtinguētem, ad dignitatem pertinentem: quòd totum, loco vnius differentiæ eſt accipiēdum: nam, ad dignitatem, pertinet proprietas diſtinguens, ſecundum

quòd intelligitur subsistens in natura intellectuali, ergo, hac proprietate distinguente remota, non remanet hypostasis; quamuis remanere posset, si tolleretur rationalitas naturæ: quia, tàm persona, quàm hypostasis, est substantia indiuidua; & de ratione vtriusque, est relatio distinguens. Quamobrem, cùm dicit D. Augustinus aliud esse dicere ingenitum, & aliud dicere patrem: eius intentio nõ fuit dicere, quòd hypostasis Patris remaneat ingenita, remota paternitate; quasi innascibilitas constituat, & distinguat hypostasim patris. quia hoc esse nõ potest, cùm ingenitum nihil ponat: sed loquitur in communi; quia non omne ingenitum est pater. Quarè remota paternitate, non remanet in diuinis hypostasis patris, vt distinguitur ab aliis personis; sed, vt distinguitur à creaturis. Deus enim pater, non solùm paternitate est pater, sed etiam est persona, & est quis, siuè hypostasis. Nec tamen sequitur, quòd filius, cùm non sit pater, non sit etiam quis, siuè hypostasis; sicut nõ sequitur, quòd non sit persona; quamuis tali nomine non referatur ad filium: nam (vt dicitur 5. met.) non inconuenit, quædam dici ad aliquid secundùm nomina specifica, quæ non dicuntur ad illud, secundùm nomina generica: sicut in proposito; quia pater, patris nomine, & re, refertur ad filium; personę autem, re quidem, sed non nomine, refertur ad eundem; eo quòd, paternitate, pater, est pater, & persona; sed persona significat esse illam per modum absoluti. Remotis igitur per intellectum relationibus personalibus à personis, non remanent personæ, nec hypostases. Sed an remaneant, remotis relationibus, siuè proprietatibus non personalibus? Videtur quòd sic, quia cuius affirmatio non est causa affirmationis; nec negatio causa esse debet negationis. Ex altera tamen parte, aliàs dictum est, & disputatum à nobis, quòd remota spiratione à filio, non distingueretur personaliter à Spiritu sancto: solutio est, quia remotis relationibus non personalibus, remanet intellectus hypostasum, & personarũ; & ideo abstracta spiratione actiua, remanet hypostasis filij; & tamen verùm est etiam quòd, abstracta spiratione, non remanet distinctio filij à Spiritu sancto. cuius rei ratio est ea, quia hypostasis filij est relatiua, & cui non remanet relatiua, non remanet distincta; quia persona diuina, & vniuersaliter res relatiua, non constituitur, & distinguitur relatiuè per vnum, & idem à cœteris: etiam in eadem natura. Ex his autem facilè potest colligi, quòd sicut in diuinis vera est essentia, & veræ

sunt

sunt personæ; sic etiam veræ sint personales proprietates, & relationes originis. Vnde communis est sententia, eas esse in diuinis realiter ad se inuicem differentes, & etiam differentes à personis, non solùm modo loquendi; sed differentia sumpta à parte rei: & ideò verè asseritur, quòd in Deo est realis distinctio secũdùm rem: non quidem secundùm rem absolutam, sed respectiuam. Et probatur sic à D.Thom. In Deo est realiter relatio, ad intra; ergo in Deo est respectus relatiuè oppositus alteri; ergo relatiua oppositio; ergo realis distinctio relatiua: quę omnia patent ex illa maxima; Quãdo aliquid attribuitur alicui, oportet attribui etiam, omnia, quæ sunt de ratione illius: licèt enim multa tribuantur Deo, absq; his, quæ videntur esse de definitione eorum; vt patet de sapientiá, & iustitia quorum nõ reponitur in Deo qualitas, nec habitus: hoc tamen ex eo prouenit, quòd huiusmodi non sunt de ratione iustitiæ, vel sapientiæ: quia verum est, quòd quicquid clauditur in ratione formali rei, propriè attributæ Deo, nõ excludendo communia transcendentia, semper in Deo saluatur, & cum dicit Boetius, quòd ad aliquid in diuinis, non potest prædicari; non excluditur ob id relatio ab ipso Deo; sed tantùm habetur, quòd relatio in diuinis, non prędicatur per modum inhærentis; quæ est propria relationis ratio; sed magis per modum ad aliud se habentis. propria enim ratio eius, quòd ad aliquid dicitur, non accipitur per comparationem ad illud, cui inest relatio; sed solùm per respectum ad alterum. Relationes igitur, vt paternitas, & filiatio, quia habent fundamentum aliquod in re. s. ipsam naturam, quæ communicatur secundum communicationem naturæ; constat quòd sunt realiter in Deo: & propter simplicitatem sunt idem, quòd personæ, in quibus sunt: & propter veritatem relationum, alio modo significantur. Propositio autem illa, quæ dicit, quòd proprietates cõstituũt personas, seù ferunt secum supposita, inquantùm sunt ipsæ personæ. non est singularis, sed omnibus puris, & simplicibus cõmunis. Deitas enim constituit Deum, inquantum est ipse Deus: & Gabrielitas Gabrielem, inquantum est Gabriel, si sunt omninò idem. Et significant hæ propositiones specialem modum constituendi: nàm cùm dupliciter contingat constituere, primò sicut forma constituit compositum, vt anima hominem; secundò sicut simplex constituit simplex: certè primo modo, constituens non est constitutum; sed benè secundo modo: quia tunc constitutiuum

tutiuum

tutiuum, pro tanto dicitur constituere, pro quanto ponit se; ponendo enim se, constituit, quia, ly, se, monstrat constitutum: & significatur, cùm dicitur inquantum est ipsum. Itaque paternitas ponendo se, constituit patrem: quia ipsa est pater. & sic dictio inquantum, tenetur reduplicatiuè, modumq; constituendi reduplicat in simplicibus. Cuius rei animaduersione, plurimæ soluuntur obiectiones; & præsertim animaduerso quinque esse notiones. Quatuor proprietates, & quatuor relationes, licèt tres tantùm sint constituentes personas: paternitas, filiatio, processio, innascibilitas, & communis spiratio sunt notiones: paternitas autem, & innascibilitas, quæ soli patri conueniunt; filiatio quæ conuenit tantùm filio; & processio quæ conuenit tantùm Spiritui sancto; sunt proprietates. Harum verò, relationes constituentes personas, sunt paternitas, filiatio, & processio: communis enim spiratio, nullam constituit personam. quæ omnia vnum, & idem sunt in Deo ratione simplicitatis. Vnde paternitas dicitur relatio, secundùm quòd ad filium refertur; dicitur proprietas, inquantùm soli patri conuenit: & dicitur notio, inquantùm est principium formale innotescendi patrem. Quæ omnia faciliora fient ex intelligentia eorum, quæ in sequentibus distinctionibus tractantur à Magistro.

*



DISTIN-

DISTINCTIO XXVII.

- **De æternis proprietatibus personalibus, in comparatione ad personas. i. ad nomina personarũ.**
  - Docet dictis nominibus proprietatum idem significari, qđ per nomina personalia.
    - Dubitando. A.
    - Soluendo. B.
    - Solutioné explicãdo.
      - Distictione. C.
      - Cõclusione. D.
  - Monet alia esse nomina à dictis, personas, & proprietates easdem significantia.
    - Exponendo. E.
    - Concludendo. F.
  - Dat regulam generalé ad cognoscẽda nomina personalia.
    - Proponendo eam. G.
    - Soluendo instantiam. H.
    - Colligendo vnum. I.

LECTIO LXX.

HIC *quæri potest, &c.* A. De eisdem personalibus proprieta tibus in hac distinct. 27. sermonem faciens Magister; nõ absolutè, & vniuersaliter; vt in superiori distinctione, eas considerare; sed comparatiuè, & specialiter, easdem tractare, iam supra diximus. Quamobrem eius intentione, & continuatione manifestis; de diuisione, dicimus, quòd primò docet, prædictis nominibus proprietatum, idem significari, quod per nomina personalia. Deinde animaduertit alia esse nomina personas, & proprie tates easdem significantia: Tertiò, & vltimò vniuersalem dat regu lam ad cognoscendum nomina personalia, & relatiua ab his, quæ, quod in diuinis est absolutum, significant. Quantùm igitur ad

primum

primum (quòd præsentis erit considerationis) quoniam Diuus Hilarius, & Diuus Augustinus de diuinis proprietatibus loquentes, diuersis vtuntur nominibus; Dubitat Magister an huiusmodi diuersis nominibus, easdē, vel diuersas significent proprietates. Vt dùm dicit Hilarius proprium patris esse, quòd semper sit pater; & filij, quòd semper sit filius: An proprietatē eam intelligat quam Diuus Augustinus intelligit dicendo propriū patris esse, quòd genuit filium, & proprium filij, quòd genitus est à patre; & spiritus sancti, quòd ab vtroque procedit? Hoc enim difficultatem patitur, quia si diuersæ significātur proprietates, illæ plures erūt, quàm quæ à nobis sunt assignatæ: si verò eædem, idem erit esse patrem, & genuisse filium; & tunc cuicumq; conuenit esse patrem, conueniet & generare filium: quia quandocunque duo sunt idem realiter, cui conuenit alterum illorum, conuenit, & reliquum; sed tamen consequens est falsum; quia diuinæ essentiæ conuenit esse patrem; & generare minimè conuenit: ergo non erunt eædem proprietates à Diuo Hylario, & D. Augustino assignatæ. Non enim videtur dicendum, quòd generare non conueniat diuinæ essentiæ, sicut eidem conuenit esse patrem, propter diuersum modum significādi: quia tàm esse patrem, quàm generare, in concretione dicitur. Accedit quòd si eadem proprietas esset esse patrem, & generare: idem importaret nomen patris, & nomen genitoris: & tunc, sic posset quis baptizari in nomine genitoris, sicut in nomine patris; quòd tamen communiter non conceditur. Vt hanc difficultatem soluat, Magister, tria facit. Quæsito respondet, responsionem declarat, & declarationem determinat. Est autem Magistri responsio, quòd idem est, & eādem dicit proprietatem, patrem esse, & genuisse filium: & filium esse, & natum esse à patre: & quòd eadem proprietas, qua pater est pater, dicitur paternitas, vel generatio; sicut proprietas, qua filius semper est filius, dicitur filiatio, vel genitura, vel natiuitas, vel origo, vel nascibilitas, & similiter illa qua spiritus sanctus, est spiritus sāctus, vel donum: dicitur processio. quo in loco illud est animaduertēdum, quòd origo, passiuè accipitur; & respectu diuinæ personæ; quando hîc filij proprietas dicitur: si quidem actiuè accepta, & etiam respectu creaturæ; patri appropriatur: vt visum est supra dist. 3. in cap. de vestigio. Verùm nè credamus idem omninò esse patrem, quòd genuisse, datam responsionem declarat Magister, dicendo, illa esse idem re, sed differre in

modo significandi: propter quam diuersitatem nominis, vult, patrem posse prædicari de diuina essentia; nō tamen generare. Quod autem illa sint idē re, sic probatur à D. Bonauentura; Quæcumq; ita se habent, quod vnum prædicatur de altero, & in concreto, & in abstracto; illa sunt vnum re: sed ista sunt huiusmodi; quia nō solùm in concretione dicitur pater generat; sed etiam in abstractione, paternitas est generatio; ergo sunt vnum re. Quòd verò differant in modo significandi, patet, quantùm ad tria; primò quia generatio communius exprimit proprietatem patris, quàm nomen hoc, quòd est pater: nàm esse patrem, sequitur generare; & non è conuerso: vt homo dicitur generare pediculos, nec tamen eorum est pater; Secundò ratione differunt, vel modo significandi; quia (vt hic dicit ipse Magister) nomen patris non tantùm relationem importat, sed etiam hypostasim.i.substantiam significat: verbum verò hoc, quòd est, generat, & vniuersaliter relationum vocabula, non hypostasim; sed relationem significant; Tertiò, quia in nomine proprietatis duo semper importantur, emanatio videlicet, & habitudo; quę duo, licet sint idem re, ratione tamen intelligendi differunt: hoc autem quòd est esse patrem, propriè importat habitudinem, & sic patet quomodo sit intelligenda responsio ad dubitationem propositam; quòd.s.pater, & generare, sunt idem re; & ratione, siue modo intelligendi differunt. At quia hæc differentia in eo potissimum consistit (vt dictum est) quod nomina proprietatum solam relationem dicunt; & nomina personalia etiam hypostasim significant; Quarto cap: animaduertit Magister, quòd cùm proprietates determinent personas, intelligendum est illas determinare hypostasim; & non naturam: quia hypostases non differūt, hoc est, non distinguuntur secundum substantiam, & naturam. Quare non valet argumentum præmissum, Essentia diuina est pater, ergo generat; quia quamuis secundùm rem idem sit pater, & generatio; tamen (vt diximus) per verbum generationis, significatur illa proprietas, vt inhęrens, & determinans illud, de quo dicitur; & ideo quia essentia non determinatur à proprietate, vt per se subsistente; non dicitur quòd essentia generet: sed pater significat eandem proprietatem, vt per se subsistentem; & ideo, propter identitatem rei, dicitur quòd essentia est pater. Et cùm instatur, quòd verbum gignere importat relationem concretè: Respondetur, quòd verbum, quia importat actum, vt egredientem, & ob

id in quadam distantia à producente actum; non claudit intra se suppositum: & ideo, quantùm est de se, solam relationem importat: quòd non accidit nomini adiectiuo concreto, vt album: quia significat, vt proprietatem informantem; & ob id in quadã vnione, & in distantia; propter quòd formam, simul importat, & suppositum. Ad confirmationem, patet in 4. sent. quòd homo non baptizatur in nomine genitoris, sicut in nomine patris, propter diuersitatem modi exprimendi, & non rei. Verùm cùm hæc in modo intelligendi differant, sequitur quod proprietas, ab ipsa hypostasi, abstrahi possit; non quidem ex parte rei, sed ex parte intellectus nostri, qui considerat diuinas personas per modum quo, & per modum quòd: potest. n. intelligi ipsum quo. i. proprietas, non intelligẽdo, quòd. i. hypostasim. Quamobrem iurè dubitãt Scholastici, An actus notionales præintelligãtur proprietatibus: (hoc est) an operatio personalis. i. generatio sit prior paternitate, an verò paternitas sit prior ipsa generatione; adeò quòd ideo sit pater, quia generet, an è contra. Cuius quęsiti prima pars videtur ab ipso Magistro in litera affirmari, dùm dicit, quòd pater ideo semper est pater, quia semper genuit; ex quo sequitur, quòd generatio sit principium paternitatis: & hoc etiam, quòd paternitas non possit esse principium generationis, videtur determinari à D. Anselmo, dùm dicit, eò quod est Deus, generat; & non eò quòd est pater. At in contrarium videtur etiam ratio ipsa, Nàm cùm generare sit operatio, certè esse debet singularis, & indiuidui, vel personæ distinctæ; sed in diuinis, nihil est distinctum, nisi per relationem; ergo relatio præintelligitur operationi; ergo paternitas est prior generatione. Quarè aliorum sententiis omissis, & reiectis iuxta fundamenta nostra supra posita, dùm statuimus relationes distinguere, ac constituere personas; dicendum est, quòd relatio præcedit secundùm intellectum, operationem personarum. Et propter rationes oppositas, distinguo cùm D. Thom. relationem, dicendo, quòd relatio absolutè accepta, non præcedit operationẽ, sed potius sequitur eandem: sed relatio vt diuina, & constituens personam, præcedit operationem personarum: si verò accipitur relatio inquãtùm est ipsa operatio personalis, sic sunt simul secundùm intellectum, & sunt idem. Tunc dicitur ad Magistrum, quòd ipse generationem accepit, non vt significatur per modum operationis, sed per modum constituentis personam. Vel dicatis, & melius, quòd ibi

non importatur ordo, per modum causæ, sed potius identitas relationis. i. ita dicitur ad ostendendum quòd esse patrem, & generare, est eadem relatio. Ad Anselmum, dicitur, quòd ipse non comprehēdit omne quod requiritur ad principium quo generationis; nō enim solùm natura diuina, est principium generationis, sed vt est in patre; & sub relatione, quę est paternitas. sequitur altera pars distinctionis, &c.

LECTIO LXXI.

HIC *non est prætermittendum, &c. E.* Ex tribus particulis, in quibus partita fuit præsens distinctio, prima declarata; ad alias duas interpretandas accedo: Et de altera, in qua Magister monstrare intendit, quòd reperiuntur alia nomina, præter ea, quę hucusque adduxit; quibus significantur eædem proprietates personales; breuiter dico, quòd illa sunt hæc, genitor, genitus, verbum, & imago; & quòd relatiuè dicantur, sic ostendo; Illa nomina quæ propriè vni personæ conueniunt, & eius proprietatem præcisè exprimunt, non substantialiter, sed relatiuè dicuntur: at prædicta nomina filio tantummodo conueniunt, (primo excepto, quòd est proprium patri) & eius proprietatem præcisè exprimunt: ergo relatiuè, & non substantialiter dicuntur. Minor patet in textu; quia genitum genitoris dicitur genitum: & verbū, etiam refertur ad dicentem; (vt dicit Magister) & imago ad imaginatum: quæ omnia dicuntur de filio, quatenus refertur ad patrē; & filij proprietatem exprimunt; quia solus filius dicitur verbum, dicitur genitus, & imago, quæ idem esse re, & ratione distingui; scitè, subtiliterq; notauit Magister, cùm dixit, quòd eadem proprietate, siuè notione, dicitur verbum, & imago, qua filius. De tertia denique, & vltima particula. Sciendum est, quòd tria continet; quia primùm docet regulam ex D. Augustino l. 6. de Trinit. c. 2. qua secernuntur nomina substantialia, ab his quæ relatiuè dicuntur; eaq; est, quòd nomina substantialia, quæ ad se dicuntur, non possunt conuenire vni personæ, sine altera; & ideo de pluribus simul, & de se ipsis, illa maximè affirmantur. vt hoc nomen, Deus, non potest dici de patre, quin de filio, & spiritu sancto, dicatur: sunt enim tres, vnus Deus: quòd tamen non conuenit nominibus

relatiuis: vndè dicere non habet, Pater, & filius, sunt pater; vel sunt filius; sicut etiam essentialia, & cùm his aliqua notionalia, dicuntur de se; vt lumen de lumine, Deus de Deo, procedens de procedente, principiũ de principio, & spirans de spirante: quod nullo modo cõuenit nominibus relatiuis, & propriis, quia nõ dicitur pater de patre, vel filius de filio. Vt enim ait Diuus Augustinus, illo nomine, vti nõ possumus, ad ostendendũ vnum de vno; quòd simul ambobus nõ conuenit. Secundò dubitat, quia si nomina substãtialia, non possunt vni soli cõuenire, & de pluribus simul affirmãtur; tunc verùm erit dicere, quod pater sit à filio; sicut filius à patre; quia cùm in sacra scriptura dicitur, Deus de Deo, & lumen de lumine; verum illud erit de tribus personis simul, per regulam dictam. Sed respõdet ipse Magister, quod huiusmodi nomina substãtialia, licèt relatiuè nunquã dicãtur; aliquando tñ pro diuinis personis accipiũtur: sicut in tali propositione, Deus de Deo: nàm alterum, putà subiectũ, supponit pro Deo filio; & prædicatũ, supponit pro Deo patre: & quia nomina substãtialia sic aliqñ pro personis diuinis intelligũtur; hinc est, quòd hæc, & similis propositio, cõceditur. s. Deus passus est. Tertiò hoc vnũ colligit Magister, quòd quãuis nomina substantialia, pro personis aliquando supponant; & nominum personalium priuilegio gaudeant; personalia tamen, modum prædicandi substantialium nominum, exercere non possunt. Vnde nõ dicitur Verbum de verbo, vel filius de filio; sed tantùm Deus de Deo; quia talis modus prædicandi; solùm in nominibus ad substantiam pertinentibus, recipitur. Et hæc sunt quę habet Magister in contextu. Circa quę, tria sunt declaranda de hoc vocabulo, Verbum. videlicet, An propriè dicatur in diuinis: An ex propria sui significati ratione, sit nomen personale: & an soli filio conueniat, vt eius personalis proprietas. Quæ omnia hic ab omnibus Scholasticis, & etiã à D. Thoma 1. p. q. 34. & in quęstionibus disputatis de verit. q. 4. & ab Alexãdro de Ales 1. p. q. 62. diligenter, & copiosè tractantur. A nobis autem (vt breuiter explicentur) dicendum est, de primo proposito, quòd cùm triplex sit verbum. s. cordis, cogitationis, & vocis; solummodo verbum cordis, quòd consistit in intellectu (quia non est aliud, quàm quòd actu consideratur per intellectum) propriè de Deo dicitur, quia est omninò remotum à materialitate, & omni defectu: at verbum vocis, & cogitationis, de Deo non dicuntur, nisi methaphoricè; in

quan-

quantùm, videlicet, ideæ rerum faciendarum, dicuntur eius verbum cogitationis; & creaturæ à Deo productæ verbum vocis. Et quamuis, huius nominis interpretatio, Deo non conueniat; res tamen per nomen significata, maximè conuenit: quia verbum interius est prius exteriori: licet per prius vocale verbum dicatur verbum, quàm verbum interius; secundùm nominis impositionem: sicut euenit in omnibus nominibus, quæ de Deo, & creaturis dicuntur: vt ens, & bonum, & huiusmodi; quę prius fuerunt creaturis imposita, & ex his, ad diuinam prędicationem translata: quãuis esse, & bonum, prius inueniantur in Deo. Cuius rei ratio est, quia nomina imponũtur, secundùm, quòd cognitionem de rebus accipimus. Quo in loco, illud est præcipuè obseruandum, quòd verbum Dei, non est aliquod accidens in ipso, vel aliquis effectus eius; sed ad eius naturam pertinet: & est aliquid subsistens: quia esse Dei, est ipsum eius intelligere; & quicquid est in Dei natura, subsistit: quòd non sic est in nobis; quia in nobis, non est idem esse, & intelligere; & per consequens, illud, quòd habet in nobis esse intelligibile, non pertinet ad naturam nostram. De secundò aperte dicendum est, quòd verbi nomen, propriè sumptum, in diuinis est personale; & nullo modo essentiale. Nam, verbum, in diuinis, significat cõceptum intellectus; ergo significat aliquid ab alio procedens (de ratione enim ipsius cõceptus cordis est, quod procedat ab alio. s. à notitia concipientis) ergo non sumitur essentialiter, sed personaliter tantùm. Et notandum, quod vni soli personæ in diuinis conuenit dici, eo modo, quo dicitur verbum; at eo modo, quo dicitur res in verbo intellecta, cuilibet personæ conuenit dici: pater enim intelligendo se, & filium, & spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia continentur; concipit verbum: vt sic tota Trinitas verbo dicatur; & etiam omnis creatura: quo quidem modo, sola persona, quæ verbũ profert, est dicens in diuinis: cùm tamẽ singula persona sit intelligens, & intellecta; & per cõsequens, verbo dicta: nàm, dicere, in diuinis, est idem, quod intelligere; sed addit ad ipsum expressionem verbi; Tandem de tertio proposito liberè dicimus, quòd verbi nomen, propriè dictum, in diuinis, est propriũ nomen personæ filij. quòd sic probatur, Verbum est proprium illius personæ, quę procedit per modum intellectus; (Verbum enim significat emanationem intellectus, hoc est, procedit secundùm emanationem intellectus) sed filius est persona procedẽs

ſecundùm emanationem intellectus, (Vt ex ſuperius dictis manifeſtè conſtat) ergo Verbum propriè filio competit. Imò in nomine, verbi, eadem proprietas importatur, quæ in nomine, filij. Vnde dicit Auguſtinus (vt in hac diſtinct. refert Magiſter). Eò dicitur verbum, quo filius: ipſa enim natiuitas filij, quæ eſt proprietas perſonalis eius, diuerſis nominibus ſignificatur; quæ filio attribuuntur, ad exprimendum diuerſimodè perfectioné eius: nàm vt oſtendatur connaturalis patri, dicitur filius: vt oſtendatur coæternus, dicitur ſplendor: vt oſtendatur omninò ſimilis, dicitur imago; vt oſtendatur immaterialiter genitus, dicitur verbum. Nec potuit vnum nomen inueniri, per quod omnia iſta deſignarentur. Multa alia sũt circa propoſita notatu digniſſima; ſed hæc, breuitatis cauſa, pro præſenti diſtinct. dicta, ſufficiant.

DISTINCTIO XXVIII.

De æterna proprietate perſonę ſed nõ perſonali, negatiua, q̃ eſt Innaſcibilitas.
- Probat prædicari de Patre.
  - Declarando. A.
  - Dubitando. B.
  - Determinando.
    - Patrem ab innaſcibilitate dici ingenitum. C.
    - Nominis Ingeniti rectum vſum. D.
    - Incidentem Quęſtioné. E.
- Oſtendit oppoſitum verificari de filio
  - Affirmando ſapientiam genitam perſonaliter accipi. F.
  - Deducendo imaginem quandoque eſſentialiter dici. G.

LECTIO LXXII.

PRAETEREA *conſiderari oportet, &c. A.* Cùm conſilium, ac continuatio ſermonis, ipſius Magiſtri, ex contextus ſerie, manifeſta ſit; aliunde quętenda non eſt: cùm enim prius de proprietatibus diuinas perſonas conſtituentibus egiſſet; Nunc de pro-

proprietatibus personarum; personis videlicet inexistentibus,quę .s.diuinas personas non constituunt; disputare instituit, & prius de innascibilitate,quàm de cõmuni spiratione;quæ tales sunt proprietates; non ob aliam causam, arbitror, nisi quia innascibilitas proprietas est personę,quamuis non sit personalis: cõmunis verò spiratio, nec personalis est, nec personæ alicui propria; ex eo quòd patri, & filio est communis. Tractans ergo Magister de hac proprietate personæ,quę est innascibilitas,duo facit;quorum alterum (quod huius est lectionis) ostendit dictam proprietatem, notionẽ esse solius patris; eamq; distinctam esse à paternitate, qua dicitur pater; idq; vt facilius persuadeat, in prima particula, declarat significationem ingeniti;& inquit,quòd hoc nomẽ, ingenitus, aliã dicit proprietatem, quàm hoc nomen pater; quòd probat ex eo, quòd potest quis esse ingenitus,& non pater, sicut è contra; potest quis esse pater, & non ingenitus;siquidem multi geniti genuerunt, & generant; vnde talis potest formari ratio. Illa duo distinguuntur ad inuicem, quorum vnum potest esse sine alio: sed esse patrẽ, & esse ingenitum talia sunt, vt nihil prohibeat esse vnum sine alio; quia vnum,non est de ratione alterius; ergo esse patrem, & esse ingenitum, distinguuntur:&,per consequens,aliam,& aliam dicunt proprietatem:quòd dictum sic rectè intelligitur,quòd quamuis esse patrem,& esse ingenitum,omninò secundùm rem,in diuina persona sit inseparabile; tamen, secundùm nostrum intellectum, vnũ potest accipi præter alterum: quia hæc simpliciter accepta diuersas habent intentiones; & secundùm rationem sunt separabilia. In hoc tamen (addit Magister) conueniunt hæc duo,quòd ambo relatiuè dicuntur. Siquidem non genitus,relatiuè dicitur,sicut & genitus; sed ingenitus idem est,quòd non genitus; pręsertim in diuinis,vbi locum non habet priuatio; ergo ingenitus relatiuè dicitur,sicut & genitus. maior probatur à Magistro,dum inquit.Negatiua porrò particula non id efficit,vt quod,sine illa,relatiuè dicitur; eadem præposita, substantialiter dicatur: quia id tantùm negatur,quòd sine illa affirmabatur: modò, genitus, sine negatione,relatiuè dicitur (vt constat) ergo similiter, & non genitus, & genitus. Illud tamen animaduertatis,quòd negatio, prædicamẽtum non mutare dicitur, quantum ad significatum; non autem quantum ad suppositum: vt cùm dicitur hoc est homo, substantiam prædico: & dicendo hoc est non homo substantiã remoueo:

pro

pro alio tamen supponit terminus affirmatus, & pro alio negatus. Quòd si quęratis, Ad quod nam refertur ingenitus? Respondetur ex Magistro, ad non generantem referri; sicut genitus ad generantem: quæ tamen relatio est, non secundùm rationẽ existendi, quæ realem importat habitudinem; sed secundùm rationem intelligendi; quę realẽ importat habitudinẽ; sed secundùm rationẽ intelligẽdi, quæ negat habitudinem realem, & supponit duo extrema, vt negata. Et sic est manifesta significatio ingeniti, quòd proprietatem dicit; & aliam ab ea, quam significat pater. Ex quibus, cum Magistro colligimus, Ingenitum sic esse proprium patri, quod nec aliis personis, nec essentiæ, conuenit. Et probatur, esse primum principium est propriũ patri; ergo & esse ingenitum: nàm quod est principium de non principio est innascibilis; in tertia significatione, quàm ex Aristotele, primo Cœli, textu centesimo vndecimo, potuistis accipere, & consequenter, est ingenitus: Sed quod est primũ principium, est principium de non principio; ergo quod est primum principium, est etiam innascibile, & ingenitum. Et hoc conuenienter est dictum: quoniam sicut in rebus creatis, primũ principium duobus modis innotescit; videlicet, inquantùm habet relationem ad ea, quæ ab ipso sunt, & inquantùm non est ab alio: sic & pater, in diuina Trinitate, innotescit quidem paternitate, & cõmuni spiratione, per respectum ad personas ab eo procedẽtes; sed inquantum non est ab alio innotescit per innascibilitatem; quam significat hoc nomen, ingenitus. Verùm, quispiam oppugnare posset, cum ingenitum, negatiuè acceptum, conueniat, & spiritui sancto, & essentiæ; & priuatiuè non possit accipi, quia imperfectionem diceret. ideo concedo ingenitum, priuatiuè accipi: Inquantum tamen omnis negatio, quæ est in aliquo subiecto determinato, potest dici priuatio: vnde octauo met. t. 27. dicitur quòd priuatio est negatio in subiecto; sic. n. priuatio nullam dicit imperfectionem, quia sic, pater dicitur ingenitus, inquantum non habet principium, personaliter dictum, quod natum est haberi ab aliis personis in suo genere; idest quę sunt eiusdem essentiæ. Quòd si acciperetur, ingenitum, priuatiuè in se ipso, quasi non haberet, quòd natum est habere; tunc priuatio imperfectionem diceret. Vel facilius dicatis, quod si accipitur, ingenitus, prout idem est, quod nõ natus, conuenit etiam Spiritui sancto, & essentiæ; sed hic accipitur, vt dicit esse personale, à se, & non ab alio: quo quidem modo

tan-

tantùm patri conuenit; & est proprium illius. Tunc, quando in secundo capite, dubitat Magister, An solus pater dici debeat non genitus; sicut solus dicitur ingenitus. dicendum est, quod, pręuia distinct. proposita, defendi potest vtraque opinio: siquidem, accipiendo, non genitum, sicut accipiebatur ingenitum, primo modo (hoc est) prout dicit negationem absolutè, non conuenit solo patri; at secundo modo acceptum, prout, scilicet, negationem dicit in genere principij; tunc solus pater dicitur, non genitus; sicut solus dicebatur ingenitus. Præterea, tria determinat Magister; primùm in tertio capite, quòd proprietas, quæ nomine, ingeniti, importatur; est innascibilitas: alterum in quarta particula, quòd est dicti nominis vsus, ostendens quòd nomine ingeniti, rectè vti possumus, quamuis ex sacra scriptura ortum non habeat, eoq; D. Ambrosius vti noluerit: quia hoc factum fuit ad confutandos Arrianos hæreticos; qui ex diuersitate, quæ est inter genitum, & non genitum, diuinæ naturæ diuersitatem, arguebant in Deo. Vltimò, in quinta particula, dubitationem illam determinat, quæ, ex antedictis occasionem sumens, quærebat; An, sicut aliud est dicere genitum, & aliud ingenitum: sic diuersum sit esse patrem, & esse filiũ; an potius sit idem. & inquit, quòd idem est patrem esse, quod & filium esse; quamuis esse patrem, & esse filium non sit idem: cuius rei ratio est, quia esse, à parte prędicati, significat esse, quòd est accidens essentiæ: idest significat actum essentiæ; quo videlicet pater est, & quò filius est: & quia vna essentia diuina est id, quo vterque ipsorum est; ideò sicut vna est essentia trium; sic & vnum est esse. At cùm ponitur, esse, à parte subiecti dicẽdo, quòd esse patrem, sit idem quod esse filium; ibi, esse, significat veritatem cõpositionis: & sensus est, quod eadem sit proprietas, quà pater est pater; & quà filius est filius: quod falsum est: quoniam pater, paternitate est pater; & filius, filiatione filius. Vnde, si diuersitas referatur ad actum essentialem, non sunt diuersa, sed benè relata ad proprietatem personalem. Quarè, ex hac prima distinctionis parte, cùm habitum sit, quod innascibilitas est proprietas patris, alia à paternitate; ipsi tantùm conueniens, licèt non constitutiua ipsius: colligitur quod tres sunt proprietates, vel notiones in patre. Vna quà refertur ad filium; quę est paternitas: alia, qua refertur ad spiritum sanctum; & illa est spiratio actiua, quæ communis est patri, & filio: & alia, qua refertur ad non genitorem; quę importatur nomine, ingeniti;

& vocatur innascibilitas, quæ omnes, idem sunt realiter, cùm persona patris; & inter se distinguũtur, inquantùm paternitas, & actiua spiratio, sunt diuersi modi producendi; & significant relationes reales: innascibilitas verò primò significat negationem relationis realis: licèt quantùm ad illud, quod importat secundariò, dicat rem aliquam, videlicet primitatem ad omnem emanationẽ; quæ dicit respectum habitualem ad primum. Quo in loco non est ignorandum, quod innascibilitas, siuè ingeneratio, vel ingenitus, de Deo patre non dicitur, secũdùm substantiam, neque secundùm accidens; sed secundùm relationem: & sciendum, quod qui ponit duos innascibiles, magis duos Deos statuit (vt dicit Hilarius) quàm qui dicit duos filios: & ratio est, quia qui duos innascibiles ponit, priuat ordinem in diuinis: quoniam significat duos esse, quorum vterq; est Deus; & neuter ab alio: sed qui duos filios ponit, vt spiritus sanctus dicatur filius filij, non remouet ordinẽ, & per consequens nec vnitatem substantiæ.

LECTIO LXXIII.

SCIENDVM *quoque est, &c. F.* Distinctionem hanc 28. in duas partes à nobis diuisam exponentes, iam pro prima parte innascibilitatem de patre, propriè prædicari audiuimus. Nunc eius oppositum, de filio verificari, pro altera parte intelligendum restat. Sed quoniam ex eò, quod filius, ipsum quoque, & natum, & genitum esse, apertè cognoscitur; ideo satis hoc in loco id tractari credimus, qñ quod obstare videbitur excludatur. Sic igitur, de proprietate filij, quæ est nascibilitas, determinat Magister, quod sapientiam, quæ est quid commune de filio, personaliter dici demonstrat: &, eius gratia, quod imago, aliquando essentialiter dicatur, ostendit. Verùm quia, de filij sapientia, cùm de diuinis attributis tractabitur, commodius disputãdum occurrit. Hîc de imagine solùm sermo est habendus: premisso tamen pro literæ intelligentia, quod sapientia semper significat essentiam; sed aliquando personam supponit: vt cum dicitur sapientia nata; sapientia, quantùm ad significationẽ est essentia; & quantùm ad suppositum, est hypostasis. sicut hoc nomen, Deus, cùm dicitur, Deus generat Deum, significat essentiam, & supponit personam: & sic nata

nata sapientia personaliter dicitur; quia idem est, quòd genita hypostasis. Nunc de imagine, ad ea, quæ supra, distinctione tertia, dicta sunt; pulcherrima hæc, ex pluribus selecta Theologis, in omnium vestrum gratiam, libenter appono. Et primùm de quid est imaginis, animaduertendum puto, quòd, Imago, aliquando impropriè, dicitur exemplar, ad cuius similitudinem aliquid producitur; & sic Augustinus, in libro de fide ad Petrum, dicit, quod Trinitas diuina est imago, ad quam factus est homo: sed propriè, imago, dicitur imitatiuum quod ad alicuius similitudinem producitur; & sic propriè accepta imago, vel sit in re alterius naturæ, sicut Imago Cæsaris in denario; vel in re naturæ eiusdem, sicut filius dicitur imago patris; sic à D. Hylario definitur, Imago est species indifferens, eius rei ad quam imaginatur. ex qua colligitur, quod similitudo, quæ est de ratione imaginis, consistit in adęquatione, saltem secundum proportionem, illius qualitatis, quæ est expressum, & proximum significatum naturæ, & speciei illius; nàm de ratione imaginis est similitudo in specie, aut saltem in signo speciei: cuiusmodi est figura. & adhuc colligitur necessarius ordo imaginis ad imaginatum, quod dicitur exemplar; qui quidem ordo, in his quæ sunt eiusdem naturæ, importat quod illud, quod dicitur imago, sit productum modo naturæ, & ex modo suæ productionis, simile sit producenti, quod maximè notandum. Et tunc, talis definitio, quæ propriè est imaginis increatæ, quæ sola est indifferens in substantia, sic intellecta etiam imagini creatæ conuenit. Ex his autem duo principaliter debent à nobis colligi; alterum, quod imago non dicitur essentialiter; & alterum, quod in diuinis, soli filio propriè cõuenit; siquidem habemus, quod imago, alterius est imago, & non sui: quia natura nõ patitur vt aliquid suimet sit imago. Deinde habemus, quod imago, quæ dicitur species, quia est, quo cognoscitur; ducit nos in vnius tantùm cognitionem immediatè: siquidem (vt inquit Albertus) non potest esse nisi in vnum, manuductio immediata. Tertiò, ex eo quod imago est species indifferens, oportet quod, imago perfectè impleat naturam imaginati: vnde imago in diuinis, non solùm dicit essentiam; sed etiam connotat notionalem conformationem. Quarè diuina essentia non potest dici imago; quia non habet aliquod principium, ad quod ordinem habeat; & eius sit imago: igitur imago, secundùm quod propriè de Deo dicitur, semper est quid personale: latissima tamẽ

M 2 signi-

significatione, essentialiter dici potest; quando, videlicet, exemplar & illud in quod est imitatio, imago dicitur: vt habet Magister in calce huius distinctionis: siquidem, in essentia diuina, est imitatio personæ ad personam, secundum quod filius in natura diuina, quam habet à patre, imitatur patrem: & creaturæ ad Creatorē; inquantùm creatura Creatorem imitatur, licèt imperfectè, secundùm aliquam similitudinem bonitatis suæ. Sed nec etiam spiritui sancto nomen imaginis attribui potest: præsertim quia nō potest ducere nos in cognitionem vnius tantùm; sicut facit imago; quoniam æqualiter producitur à patre, & filio; quamuis vt vnum principium. Quod si dicat quis vestrum, fides catholica sic confitetur, Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus; & quod vterque per omnia patri consimilis est, & coæqualis; igitur si filius, dictus est imago patris, ratione expressæ in eo similitudinis; cur non etiam Spiritus sanctus, imago patris rectè dicitur; cùm vterque similis, & coæqualis inueniatur? Respondetur ab Alexandro de Ales, quod commune est patri, & filio, non tàm habere, quàm alij dare; vnde in hoc filius expressam similitudinē in se habet, & imaginem tenet; quod sicut diuinitatis plenitudo manat de vno, sic & eadem plenitudinis largitio manat de alio: & cum nec minus aliquid, nec alio modo, accipiat Spiritus sanctus ab vno, quàm ab alio; in hoc à tali plenitudine expressionis deficit, quia nulla alia persona, diuinitatis plenitudinem à Spiritu sancto accipit. Quia tamen, sicut filius imago, etiam effectiuè dicitur, inquantùm pater, per filium imaginem inuisibilem, imaginem operatur creationis; sic & spiritussãctus imago quasi effectiuè dici potest; quia pater, per spiritum sanctum, imaginem operatur recreationis. Sed dicetis adhuc. Cùm filius sit imago patris, quia est eius expressa similitudo; quare Spiritus sanctus nō est saltem imago filij, cùm eius sit expressa similitudo? Respondetur quod Spiritus sanctus propriè non dicitur imago patris, nec filij: non patris; quia (vt dictum est) in filio est expressior similitudo: non filij; eadem ratione: quia, scilicet, non cōuenit in notione cùm filio: ac etiam, quia cùm filius sit imago, si esset imago filij, imaginis esset imago, quod non esse dicendum tali exemplo cognoscitur: Cùm à re extra nascitur similitudo, in mēte artificis, expressa imago est; si autem per illam, operaretur ad similitudinem Herculis, non diceretur statua imago similitudinis in mente, sed magis ipsius Herculis: ergo cùm similiter

similiter filius rationem medij habeat, nõ potest dici, quod Spiritus sanctus sit eius imago; sed potius patris: quod tamen non esse dicẽdum iã est monstratũ, ergo solus filius propriè dicitur imago. & ratio potissima (vt superius notauimus) sumitur ex modo procedendi; qui alius est à modo quo procedit Spiritus sãctus: habet.n. filius, quòd sit imago, inquantùm procedit, vt filius, quia filius dicitur, ex hoc quod habet naturam Patris; & inquantùm procedit vt verbum; quia verbum est quædã similitudo, in intellectu ipsius rei intellectæ. & producitur per modum naturæ, cui conuenit generare sibi simile. Quamobrem, cùm non sic procedat Spiritus sanctus; sicut non dicitur filius, quamuis accipiat sua processione naturam patris; ita nec imago est dicẽdus, licèt ad patrem habeat similitudinem. & hac ratione potissimum, velim esse conclusum, quod imago propriissimè de filio, communiter autem de Spiritu sancto, & diuina natura, idest, de tota Trinitate dicitur.

DISTINCTIO XXIX.

De ęterna proprietate, siue notione affirmatiua, q̃ est cõmunis spiratio, significata p hoc nomẽ principium
- Secundùm quod accipitur essentialiter, vel personaliter
  - Ostendit multipliciter dici. A.
  - Monstrat respectu quorum in proposito dicitur. B.
- Secũdùm, quod sumitur personaliter tantùm.
  - Habetur patrem esse principium filij, & ambo principium Spiritus sancti. C.
  - Habetur quod vna est notio, secundum quam pater, & filius sunt principium Spiritus sancti. D.

LECTIO



LECTIO LXXIIII.

EST *præterea aliud nomen, &c. A.* Illud explicandum nobis est hodie, quod habetur à Magistro in d. 29: quod quidem est, An principium in diuinis, secundùm veritatem catholicam, possit affirmari: hoc est, An verè in diuinis Pater dicatur principium, filius principium, & spiritus sanctus principium. Dubitationis autem occasio, non satis intelligitur: Sed ego, aliorum opinionibus omissis, sic eam declaro, quod cum Patres nostri, olim notionem eam, quę facit nos cognoscere patrem, & filiũ in Trinitate; ea ratione, qua producunt Spiritum sanctum; principium nominauerint: Et ipse Magister, qui exprofesso, sententias, seù dicta sanctorum Patrum, in diuersis dispersa voluminibus, in hoc Sententiarum, lib. colligit; nomina relatiua, & notionalia, ad diuinas personas spectantia, hoc in loco reponẽdas existimauerit: Rectè in notionum numero, hanc reposuit. & cum hæc notio, non sit proprietas personæ; quia non vni tantùm cõuenit; nec proprietas personalis; quia nullam constituit personam; optimè factũ est, quod post proprietates personales, & post illam, quæ est ingenitum esse, quę proprietas erat personæ; Disputatio sit de proposita, quę non est proprietas personalis, nec personæ. In hac igitur Distinctione, ne aliquid desiderari possit, de dictis proprietatibus, & notionibus, quod non sit explicatum; agit Magister de cõmuni notione, quę à nostris vocatur, cõmunis spiratio; in qua conueniunt, Pater, & filius, prout sunt vnũ principium spiritussancti. Et duo facit, inquantùm primum considerat principium, vt accipitur, vel essentialiter, vel personaliter; Secundo vt sumitur personaliter tantùm. & de primo quidem, ostẽdit, principiũ multipliciter dici; & postea, respectu quorum in proposito accipiatur, inuestigat. de secundo verò, Patrem esse principium filij, amboq; principium Spiritussancti, & quod vna est notio, secũdum quam Pater, & filius, sunt principium Spiritus sancti, manifestat. Modò, quò ad primam partem, pręmisso, quod nomen principij semper dicitur relatiuè in diuinis; vel sit personæ ad personam; vel personarũ ad creaturas; quoniam semper importat relationem ad creaturas, vel relationem personarum ad inuicem: habetur duplex principij distinctio;

stinctio; Altera, quod principium sumitur, vel ab æterno, vel in tempore; & altera, quod accipitur essentialiter, vel notionaliter: & tunc dicitur, quod esse principium in tempore, conuenit tribus personis, eodem modo respectu creaturarũ: quia quęlibet persona, & tota Trinitas dicitur principium creaturarum; & eorum, quæ naturaliter habent esse; vt sunt proprietates, & naturales oppositiones; sed nullo modo principiũ dicitur peccatorum, quæ naturã vitiãt, & corrumpunt: Principium autem, hoc modo sumptum, dicitur essentialiter, & non notionaliter: quoniam ducit nos in cognitionem totius essentiæ Trinitatis, & non alicuius propriæ personæ; sed quando accipitur principium, vt dicitur ab æterno; tũc conuenit Patri, & filio; & dicitur tantùm notionaliter: quia est respectus personę ad personã, propterquod habetur, quod vnaquæq; persona dicitur principium, licet diuerso modo. Nã Pater dicitur principiũ totius diuinitatis, filius dicitur principiũ respectu Spiritus sãcti, & spiritussanctus dicitur principiũ solùm respectu creaturarum; eò, quod cum duabus aliis personis, omnium substantiarum est principium. Sed contra diuisionem datam obiicit aduersarius, quia videtur sequi, quod principium, vt est personarum relatio, ad creaturas, sit prius quàm principium, vt est relatio personæ ad personam. Siquidem, dictum est, quod huiusmodi, principium est essentiale, quia tribus personis conuenit; & principium quod, est respectus personæ ad personã, notionale. & tamen consequens est falsum; quia æternum, quod est principium notionale, præcedit temporale, quod dictum est esse principiũ essentiale. At facilis est solutio, per distinctionem essentialium; nam essentialia ad intra precedũt notionalia; sed essentialia ad extra (de quibus est sermo in proposito) nõ oportet quod præcedãt; immo subsequuntur notionalia: Nàm, sicut in anima nostra, secundus actus præsupponit primum; sic in diuinis, esse principium eorum, quæ sũt ad extra, pręsupponit actus ad intra. Verùm, in hac vltima re nè labamur, omnis cura est adhibenda; nè, videlicet, concedamus, filium, vel Spiritumsãctum habere principium, licet enim dictum sit, & verè, quod vna persona est principium alterius, non tamen sequitur quod altera illarum principium habeat, saltem durandi; alioquin essent, & principiatæ. quamobrem sciendum, quòd cum vna persona, alterius principiũ dicitur, ibi tantùm origo designatur. Et quoniam, nulla persona, est alterius personæ causa in aliquo

quo

quo genere causæ; ideò, ad significandam personarum originem non debemus vti nomine causæ. Idcirco, non sequitur. Pater est principium filij, ergo est causa filij: quia principium, & causa, nō conuertuntur, præsertim in Diuinis: & si aliquæ sanctorum authoritates vobis adducuntur, quæ diuinas personas, ad inuicem dicāt esse causas (quod dicitur propter Doctores Grecos) liberè dicatis, quòd communiter, & indifferenter, & non propriè, vsi sunt nomine causæ, & principij. Et hæc de prima parte. In secunda ostenditur, quod principium, notionaliter sumptum, conuenit Patri, & filio; Patri quidem respectu filij, & Spiritussancti, filio autem, respectu Spiritussancti, quoniam, Pater est principium filij, & ambo vnum principium Spiritus sancti: & sic, principium dicitur ab æterno, & notionaliter, & ad hoc, sexcētæ formantur rationes; quarum altera est huiusmodi, Gignens ad genitum se habet, vt principium: sed Pater se habet, vt gignens ad filium; ergo Pater se habet ad filium, vt principium. Præterea, quod procedit ab aliquo est ab illo, vt à principio; sed Spiritussanctus, procedit à Patre, & filio, ergo est ab illis, vt vnum principiū, &c. Sed an vna, & eadē notione, Pater, & filius, sint principium Spiritussancti? Respondet ipse Magister, in vltimo cap: affirmatiuè, quia Spiritussanctus ab vtroque, & eodem modo procedit. Et si queratis huius notionis nomen. Respondet Magister, quod est innominata; & non est paternitas, nec filiatio, sed communiter dicitur principium. Nam tempore Magistri, non erat vox inuenta, quæ talem notionē exprimeret; quæ nunc à Theologis, communis spiratio dicitur. Modò in hac distinctione, aliquę notandæ sunt locutiones, quę pia fide sunt accipiendæ; altera est cum dicitur quod Pater est principium totius diuinitatis, vel (si melius dicitur) Deitatis. Nam ipsa Diuinitas, & essentia, nullum habet principium; Et si accipiatur Deitas pro personis, cum Pater, sui ipsius non possit esse principium; verè affirmari nō videtur, quòd totius Diuinitatis sit principium. Piè tamen, vtroque modo interpretari potest. Nam si accipiatur Deitas, pro essentia, tunc non debet accipi totum, vt dicit integritatem partium; sed perfectionem naturæ: nec sic debet intelligi, Patrem esse principium Deitatis, quod Deitatem generet, vel spiret; sed quòd generando, vel spirando, Deitatem communicat: vt sit sensus, Pater est principiū Deitatis. i. vt Deitas habeatur. quod si etiam à filio, perfecta Deitas est in Spiritussancto, principium ta

men

men totius deitatis,non dicitur Filius,sicut Pater;quia à filio non est,secundùm omnem modum,quo communicatur,quia non per modum generationis. Et si secundò accipiatur tota Deitas, pro vniuersitate personarum, facilior erit intellectus;quia sic Pater,totius Diuinitatis,vel Deitatis dicitur principium,quòd verè principium est Filij,& Spiritussancti,in quibus est tota Diuinitas;vel si melius dicatur (inquit) Deitas:cõuenientius.n.ac magis propriè dicitur,trium personarum Deitas,quàm Diuinitas;quoniam Deitas,dicit quid diuinum per essentiam; Diuinitas verò per participationem; Vndè,hoc nomen,diuinum, potest aliquo modo transferri ad creaturam,vt cum dicuntur homines Diuini; quod non sic contingit de nomine Dei; Similiter, piè, ac rectè,intelligendũ est, aliud Magistri dictum; quod.s.Spiritussanctus esse cępit principium; non enim inferendum est, quod Spiritussanctus de non esse,ad esse,sit deductus; quia non cępit esse absolutè, solum cępit esse principium rerum.s.ad extra,quãdo productę sunt;quamuis, habitualiter loquendo, ęternę rerum sit conditor; & ideò, ex tali dicto,accipiendum est,Spiritums.principium esse essentiale,& nõ tale; quia tale est æternum,nec aliquando esse cępit. Item,cum dicitur, filius est ab initio, non sequitur, ergo creatus; quia initium hoc in loco (vt habet ipse Magister) non dicit principium durationis,& temporis; sed diuinitatis fontem;à quo filius est,tãquam ab initiabili;hoc est,à Patre, à quo sunt omnia. etiam lectionis huius intelligentia,ac finis.

LECTIO LXXV.

QVONIAM Scholastici, multa in dubium vertũt, eorum, quæ à Magistro in distinctione 29. assertiuè dicta accepimus: Inutile non esse iudicaui, dubitationis causas inuestigare; ne huiusmodi, aliquando intempestiuè, nos implicatos tenerent. Antequam igitur,ad distinctionis 30.doctrinam accedamus,videndum erit à nobis,quid nãm sit causæ, cur non liberè, & sine ambiguitate, fatentur Theologi, principium, verè dici in diuinis, tùm respectu eorum, quæ sunt ad intra, vt sunt Diuinæ personæ; tùm etiam respectu eorum,quæ sunt ad extra, sicut creata omnia. Et similiter videndum, quid eos prohibeat, nè determi

natè, ac apertè, Patrem, & filium, vnum esse Spiritussancti principium; atque Patrem; Filium, & Spiritumsanctum, principium vnum, omnium creaturarum esse; omnino Magistro concedant. Ad quę omnia vniuersalis, ac immediata est responsio, vt nos verè Theologos efficiat; quorum interest, non solùm veritatem tenere, sed & illam ab argumentis aduersatiorum defendere. Ea tamen est primi dicti, particularis ratio, quia nomen principij, aliqua consignificare videtur, quę in diuinis nullo modo debēt admitti. Nàm, quod est principium, videtur esse eius causa, & prius eo; & quod est prius, supponit posterius; quę inconuenientia, ne dentur in diuinis, illud, ex quo ista sequuntur, quod est nomen principij, negādum videbitur, sed Scholasticorum dubitatio, dubitandi locum, nobis non relinquit: Nàm, statim respondent, quòd nomen principij, verè, dicitur in diuinis, & nullum sequitur inconueniens. Nàm (vt dicitur 5. met. t. c. 1.) cum principiū sit, vnde est aliquid, à quo v3. aliquid habet esse; quia, filius, verè est à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroq;; Pater verè dicitur principium filij; & filius, verè principium Spiritussancti. Et similiter, quia mundus, & omnia, quę sunt in mundo, à tota Trinitate verè sunt, & pendent; Ideò, eorum Principium, verè dicitur tota Trinitas. Et quoniam, principiū vniuersalius est quàm causa, & causa vniuersalior quàm elementum (vt habet Coment. 5. Met.) non sequitur, Patrem esse causam filij; vel elementum; sicut non sequitur etiam, quòd Pater sit prior filio: quia licet nomen principij, à prioritate esset impositum; non tamen significat aliud, quàm originem; immò, in Diuinis, de formali significato, dicit processum absolutè, de materiali verò, processum originis; & aliud est, quod significat nomen; & aliud à quo imponitur nomē. ergo remanet, quod Pater est principiū filij; quia filius est à Patre: & quòd Pater, & filius sunt principiū Spiritussancti; quia Spiritussanctus est ab vtroque; atq; quòd Pater, Filius, & Spiritussanctus sunt principiū creaturarū; quia oīa à Deo sunt; & quāuis Pater nō sit causa Filij; nec Pater, & Filius causa Spiritussancti; Pater tamen; Filius, & Spiritus s. causa sunt creaturarum; quoniam in creatione, ad esse Dei, tanquam ad esse causæ, sequitur aliud: puta ipsa creatura; à Deo, siue ab esse Diuino, essentialiter distincta. Vnde sequitur, quòd nomen causæ, de Deo dicitur, solùm respectu eorum, quæ sunt ad extra; & nomen principij, etiam respectu eorum, quæ sunt ad intra. Pręterea, dubitabant

bant Theologi, An Pater, & Filius, sint vnum principium Spiritussancti; Quoniam Pater non est Filius, & quoniam non dicũtur vnus spirator; nec idem dicuntur principium; quę tamen concedenda videbantur, cõcesso quod vnum essent principium. Verùm dubitando respondent, quod Pater, & Filius, vnum sunt Spiritus sancti principiũ, vnitate notionis, quatenus.s. vna spiratione spirant Spiritumsanctum. Vna est enim numero, notio patris, & filij; secundùm quam, Spiritussancti dicuntur principium; quę nõ multiplicatur in Diuinis suppositis, nisi secũdùm proprietatis specialem rationem; eò quod eorum esse, omnino est vnum; sunt igitur vnum, ratione vnius notionis; vel ratione, vnius potentiæ spiratiuæ; quę dicit naturam diuinã, sub ratione talis proprietatis. Et non dicuntur vnus spirator; Sed duo spiratores; quia nomen hoc, spirator, hypostasim habet pro substracto; & Pater, & Filius, duę sunt hypostases: sicut etiã Pater, & Filius Spiritussancti, principium idem, minime dicuntur; quoniã terminus, idem, & formę, & suppositi vnitatẽ importat; quod in Diuinis, nõ reponitur, vbi plura sunt supposita. Quamuis terminus, idem, adiectiuè sumptus, quia non significat identitatem absolutã, sed solùm respectu eius, cui adiungitur, possit etiam concedi in proposito, dicendo, quod idem sint principium, sicut idem Deus; & amplius cõceditur, quod Pater, Filius, & Spiritus s. sunt vnum principium, omniũ creaturarum; quamuis, sub diuersis rationibus, omnibus tribus approprietur: quod significat Apostolus, cum dicit, ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: prima.n. propositio, notat originẽ, secũda, rationem mediam operationis, & tertia conseruationem. Ex quibus colligere debetis, quod, principium, tribus modis accipitur in diuinis, videlicet, personaliter, notionaliter, & essentialiter; nàm, quando est in vna persona, vt cum dicitur, Pater est principium filij; est nomen personale; quando est in duabus, dicendo Pater, & Filius sunt principium Spiritussancti, nomen est notionale: & quando est in omnibus tribus, sicut quãdo dicitur, quod tres diuinæ personæ, principium sunt creaturarum, nomẽ est essentiale. & tunc, inter Scholasticos alia, non leuis, oritur dubitatio. An, videlicet principium, in communi, ad principium sumptum personaliter, notionaliter, & essentialiter, sit vno modo dictum; hoc est, an vniuocum sit nec ne. Ad quam dubitationem, breuiter respondẽdo cum maiori, & pręcipua Theologorum parte, dicimus,

quod nomẽ principij, secundùm quòd dicitur alicuius diuinæ per sonæ, & creaturæ principiũ, nõ vniuocè, nec æquiuocè; sed analogi cè dicitur; nam ratio principij, secundùm vnam rationem, conue nit Deo; sed tñ prius cõuenit illi, quantùm ad productionem per sonarum, quàm creaturarum; imo, esse principium creaturarum, conuenit Deo, per hoc, quòd ipse est principium personarum. Vndè, esse principium personarum conuenit Deo ab æterno; creaturarum autem in tempore, pręterquam quòd esse principium personarum, conuenit Deo necessariò; quia non potest sibi non competere; & esse principium creaturarum, conuenit sibi liberè, & cõtingenter; quia potuisset, eas non principiare si noluisset. ergo, simpliciter, ratio principij, per prius dicitur de principio generationis, quam de principio creationis: quamuis humana intelligẽtia, prius hoc quàm illud intelligat. Quarè principium, verè dicitur in diuinis, & analogicè dicitur, & nõ importat nisi processum ab alio; siuè originem; sicut etiã nomen authoris. & nullo modo causalitatem importat, respectu eorũ, quę sunt ad intra: & si aliquando inuenitur, quòd aliqui Doctores Græci, illo vsi fuerint, sat est, quòd Latini Doctores, huiusmodi vocabulum, in vsum minimè habuerunt. Verùm, hæc, quæ diuersimodè, possunt à multis intelligi, & exponi, absque eò, quod à simplici veritate discedant; nõ necessariò sic esse defendimus, & si rectè dicta esse intelligamus, & præsertim sine culpa: Quamuis enim omnis falsa opinio peccatum sit, secundùm quòd, peccatum dicitur, quęcunque deuiatio à regula, non tamen, semper talis deuiatio, reddit hominem culpabilem, coram Deo; vt, quando eius oppositum, vel etiam mediatè, non est expressum in sacra scriptura; nec ab Ecclesia, expressè determinatum; & non pertinaciter defenditur; neque ex inquirendi negligentia procedit; vel quando talis deuiatio, non spectat ad fidem; neque ad mores; vel primo, vel ex consequenti.

Nam contrarium veritatis affirmare, quantùm ad illud, quod nobis in sacra Scriptura est expressum, vel determinatum ab Ecclesia, peccatum est erroris; & si adsit pertinacia in defendendo, est hęresis.

DISTIN-

DISTINCTIO XXX.

De proprietatibus propriis temporalibus.
- Oſtendit dici de Deo. A.
- Declarat quomodo dicantur. B.
- Difficultatem ſoluit. C.

LECTIO LXXVI.

CVM enim quædam, quæ ex tempore de Deo dicuntur, &c. A. Trigeſima hæc diſtinctio, adeo breuis eſt, & facilis, quòd à quolibet non pœnitus ignaro, ſine alterius auxilio, percipi poteſt: & profectò, niſi diſputantium rationes, negocium aliquod nobis exhiberent, in eius expoſitione, vel nihil elaborãdum eſſet. Quamuis (vt vera fatear) rei tractatæ dignitas, ac vtilitas, ſolitam diligentiam deſideret, ac requirat. Agitur enim hic, de his, quę propriè, de Deo dicũtur, licet, ex tempore; quæ quidem, illam Dei virtutem, ac dignitatem exprimũt; quæ pręcipuè, in omnium noſtrum vtilitaté, ac ſaluté, eſt manifeſtata. Continuatio verò, ex ſuperioribus ſic habetur, quòd intendens Magiſter, de proprietatibus, & diuinis nominibus tractare, quibus diuinæ perſonæ, vel cõſtituuntur, & diſtinguuntur; vel conſtitutæ, & diſtinctæ cognoſcuntur; vel ſaltem aliquo modo de ipſo Deo dicũtur; & iam egerit de omnibus propriis proprietatibus, vel relatiuis, quę Deo conueniunt ab æterno. Conſequens eſt, de huiuſmodi propriis ſermonem habere, quę Deo ex tempore, vel ſimul cum tempore conueniunt. quæ optimè connectuntur, ex eo, quod, principium, de quo diſtinctione præcedenti eſt dictum, de Deo, ac de Spirituſſancto, perſonaliter, non ſolùm ab æterno, ſed etiam ex tempore, dici, à Magiſtro accepimus. Vnde.q. coactus ad tractationẽ huiuſmodi temporalium deſcendit: Et tria facit: primò oſtendit, quod, quędam de Deo propriè dicta, de illo dicuntur ex tẽpore. Secundò modum declarat, quo talia ſic, de Deo dicũtur. & tertiò cuiuſdam difficultatis, ſolutionem infert, quæ omnia clariſſima sũt in textu.

Et

Et quantum ad primũ, quod aliqua, quę Deo propriè cõueniunt, ex tempore conueniant, & authoritate, & ratione constat: Authoritate quidem D. August. in tex. Magistri posita, & D. Ioannis, in persona Christi dicentis. Pater meus operatur vsque modo, vbi de creatione, & gubernatione loqui est manifestum, ergo, & creatio, & gubernatio, de Deo dicitur ex tempore. Ratione vero sic probatur; Aliqua sunt nomina, relationem creaturæ ad Deum importantia (nihil. n. absolutè dictum prędicatur de Deo ex tempore) quę creaturæ conueniunt ex tempore; vt esse creatum, & esse saluum: ergo, nomina prędictis correspondentia, conueniunt Deo, solùm ex tempore; vt esse creatorem; Saluatorem; Dominum, & similia. Consequentia inde patet, quòd omnis relatio, vel relatiua denominatio, requirit duo extrema, secundum rem, vel secundum ratione; quia natura relationis est, quod sit inter duo, vel accepta, vt duo. Vndè, necessariò quando alteri relatiuorum, cõpetit solùm referri ex tempore, oportet, quod suo correlatiuo etiam ex tempore solùm, referri conueniat; alioquin, daretur relatio, quę non haberet nisi vnum extremum. Aliqua, ergo sunt, relatiuè dicta ad creaturas, quę de Deo prędicantur ex tempore, vel simul cũ tempore: vt, quando dicitur Dominus temporis; quia tempus esse cœpit; Verùm difficultas est, videre, quomodo relationes huiusmodi, de Deo dicãtur: & nulla ponatur ĩ Deo mutatio, nullumq; accidens. Ideò, Magister in secundo cap. Respondet, & inquit quod Deus, noua relatione, refertur ad creaturas; & tota mutatio est in creaturis, de quibus ea dicuntur; quorum. s. ipse est Creator, Dominus, & refugium. & quod hoc, sine Dei mutatione possit esse, exemplo numi, quãdo de nouo fit pręcium, comprobatur, quia sicut numus, sine sui mutatione, fit pręcium; ita Deus, sine sui mutatione, fit Creator. Hæc difficultas, disputatur ab Alexandro de Ales, à D. Th. à Io. Scoto, à D. Bonauentura, à Durando, & ab aliis omnibus Theologis, quos viderim: sed (meo iudicio) melius explicatur à Ricardo de media Villa; Nam dicit, quod octo modis, aliquid de aliquo enunciari potest; primo, secundùm essentiã, vel essentiæ partem; vt tota hominis definitio prædicatur de homine, secundùm totam essentiam; & pars definitionis, de parte essentiæ definiti: vt cum dicitur, homo est animal, vel rationale tantùm; & sic nullo modo potest aliquid prędicari de Deo ex tempore. Secundo, aliquid dici de aliquo contingit, secundùm accidens absolutum,

tum, ad esse rei necessario requisitum: Vt, omnia corpora dicũtur esse quanta; vnde etiam dubitatur de materia prima, An habeat trinam dimensionem; & tunc, cùm Dei simplicitatem fateamur, fatendum est etiam, quod nullum accidens absolutum, de Deo dici potest; quamobrem à D. Augustino dicitur, Deus magnus, sine quãtitate; & bonus sine qualitate. Tertiò, quędam de aliquo enunciantur, sicut causa de effectu; & sic nihil cõuenit Deo, nec ex tempore, neque ab ęterno: quia nullam habet causam. Quarto modo aliquid prędicatur de aliquo tanquam effectus de causa; & sic, aliquid prædicatur de Deo ex tempore; vt cum dicitur, Deus salus nostra, & fortitudo nostra: sensus enim est, quod Deus est causa nostræ fortitudinis, & nostræ salutis; & hoc in tempore, quia sermo est, de relatione Dei ad creaturas, in reali existentia: siquidem, ad creaturam, in esse cognito, & volito tantùm, non est relatio ex tempore, vt cum dicit Apostolus, quod elegit nos, ante mundi constitutionem. Quinto, aliqua dicuntur de aliquo, secundùm relationem, ipsum denominantem; non quod addant aliquid illi, de quo dicuntur, sed quia solùm secundùm appellationem verificantur, & sic, Deus, ex tempore dicitur, Dominus. Sexto, quędam dicuntur de aliquo secundùm actionem transeũtem; & sic dicimus, Deũ creare, sanare, gratificare, & huiusmodi. Septimo modo aliquid dicitur de aliquo secũdùm actionem alterius, modo passiuo significatam; & sic, dicimus Deum laude dignum, vel Deus laudatur, & magnificatur; laudari.n. importat actionem creaturæ, modo passiuo significatam. Octauò & vltimò, enunciantur quędam de aliquo, secũdùm rem sibi vnitam, & sic, ex tempore, Deus dicitur homo, dicitur animal rationale, dicitur mortale, & similia; quę naturam humanam necessariò consequuntur. Et ex his patet, quod quinq; vltimis modis, aliqua dicuntur de Deo ex tempore; quod si inferatis, ergo aliqua dicuntur de Deo, secundùm accidens. Respondetur, ꝙ aliquid dici de Deo per accidens, potest intelligi tripliciter, vno modo, ꝙ sibi accidat; sicut accidentia, per inherentiam accidunt substantiæ; & sic nullũ accidens prędicatur de Deo. Alio modo, quòd illi accidat, meritò alicuius assumpti; & sic ex tẽpore, meritò naturæ humanæ assumptæ; dicitur Deus albus, rubeus, & similia. Tertiò modo aliquid dr̃ accidere Deo, prout accidens opponitur necessitati; & isto modo Deus per accidens causat, ita quod, non necessario; & istis duobus vltimis modis, multa

ex tem-

ex tempore, Deo accidere, non est inconueniens. Et sic est manifestum secundùm caput, quod erat, quomodo Deo conueniant ea, quę de ipso prędicantur ex tempore. cuius illa est conclusio, quod sine Dei mutatione, sine aliquo accidente, sibi adueniente, conueniunt, & prędicantur. Vltimò soluitur quęstio, quam Magister dist. 18. reliquerat insolutam, videlicet, quomodo Spiritus s. datus à se, possit referri ad se; & respondet quod cum Spiritus sanctus dicitur datus, vel missus à se; relatiuè dicitur ad eum, cui datur: & in ipso est relatio secundùm nomen, & non secundùm esse. Vndè tota mutatio, est in recipiente; in quo relatio est realis; vt fortè in sequenti exactius videbimus.

LECTIO LXXVII.

EX dictis à Magistro, in distinctione 30. & à nobis lectione superiori acceptis, quędam non leuia, hoc tempore, sunt quasi deducenda; & quędã maioris difficultatis non sine occasione apponẽda. Primum aũt, ex eò, quòd quædam de Deo, ex tẽpore dici accepimus; Relationem aliquam ad creaturas, in Deo esse verè colligimus; quoniam nihil secundùm essentiam, vel essentiæ partem, de Deo dici ex tempore, superius cum Ricardo statuimus. Nec obstat, quod Deus, secundùm eius absolutum esse, sit prior omni creatura; & non sit cum creatura cõparabilis; nec etiã sit in genere creaturæ; quando in nullo genere clauditur Deus; Si quidem, Deus, secundùm esse relatiuum, puta, vt Creator, simul est cum ipsa creatura; & secundùm hoc esse, ad creaturam comparatur: & est in genere relationis; quamuis illa solùm, quę ad inuicem referuntur pœnes quantitatem, vel qualitatem; necessario comparentur ad inuicem; secundùm quod, illa dicuntur ad se comparabilia, quæ ad se mutuò sunt ordinabilia: sicut etiam non oportet relationum fundamenta, eiusdẽ esse generis, tametsi, Deus in quolibet sit genere, sicut principiũ illius generis. Secundo colligimus, quę pugnantia videntur, videlicet, quod hæc relatio temporalis, quę est inter Deum, & creaturas, nõ est realis, & est realis. quę tamẽ non pugnant, cum respectũ habeant ad diuersa: ex parte nãq; Dei, Relatio dicta, non est realis: ex parte verò creaturæ est realis, non potest esse relatio realis in Deo ad creaturam; quia omne reale, in

Deo

Deo, est idem quod Deus; & relatio huiusmodi, est corruptibilis, quia eius terminus. s. creatura, est corruptibilis. Creatura tamen, realiter ad Creatorem refertur; quoniam realiter dependet à Deo; & ad ipsum ordinatur. Verùm dicet aduersarius, Deus, cum sit Creator omnium, ad omnem creaturam refertur, sicut actiuum ad passiuum, & est realiter principium creaturæ, ergo realiter refertur ad creaturam. Præterea, Deus, ad creaturam, circumscripto omni actu rationis, refertur, ergo talis relatio erit realis. Amplius, ex altera parte, si relatio, qua refertur creatura ad Deum, esset realis, tunc, illa esset creatura; & per consequens, alia relatione reali referri deberet; & sic, esset processus in infinitum. Igitur propter hæc, sciendum est, quod ad relationem realem, duo potissimũ requiruntur. Alterum, quod extrema sint realiter producta, & distincta, & alterum, quod ad inuicem sint ordinata, & depẽdentia: & tunc, ad primùm aduersarij dictum Respond. quod cum mensura ad mensuratũ, sit relatio tantùm rationis, relatio Dei ad creaturam realis esse non potest: quia Deus non sic est producens creaturam, & principium illius, quin sit etiam eius mensura; cuius relatio est tantùm rationis. Et falsùm est, quod, circumscripto omni actu intellectus, referatur Deus ad creaturã: quia saltem, est intellectus angelicus, & diuinus, qui videntes relationem realem, creaturæ, ad potentiam actiuam creatoris terminari, secundùm rationem; concipiunt relationem creantis, ad creaturam: siquidem, eò ipso, quod aliquid relatione reali, ad aliquem terminum refertur, intellectus noster, naturam, huiusmodi relationem terminantem, è contra referri cõcipit: & sic relationem creaturæ terminat. Nec solùm est Dominus, quia Dominum esse intelligamus: sed verè, & realiter est Dominus, propter veram, & realem potentiam coercendi subditos: qua omnem seruitutis dependentiam terminat: & tamen, Dei ad subditos, relatio est secundùm rationẽ: quia ex parte Dei, non respondet ordo depẽdentiæ; qua refertur ad subditos: sed solùm ex parte creaturæ respondet; secundùm quòd, ad ipsum ordinantur subditi: propter quod, talis relatio est realis: nec alia relatione, sed se ipsa, refertur ad Deum: sicut species, differentia sua propria, ab alia specie differt: & differentia, se ipsa, ab alia differentia realiter est diuersa. Et sic, remanet, quod relatio inter Deum, & creaturas, relatio est realis: ex parte creaturę, & rationis, ex parte Dei. Nunc tertio loco, quę maioris videntur esse dif

O ficul-

ficultatis addo, vt puta, ꝙ relatio realis, formaliter sumpta, nō habet tãtùm esse subiectiuum in anima, sed est ens reale extra animã: Alioquin, tres diuinæ personæ, solis relationibus distinctę, realiter non distinguerentur. & falsò, inter prædicamenta, ab Aristotele enumerata esset relatio. Sed nunquid relatio, in rebus creatis, realiter differat à suo fundamento? magna de hoc est quæstio, quoniam, diuersæ afferuntur sententiæ. nos tamẽ, pręuia distinctione, veritatem recepisse credimus, & difficultates facilè vitabimus: Nam, relatio, accepta realiter. i. pro reali respectu, existente in rerũ natura, suum fundamentum consequente, realiter differt à suo fundamento, primis differentiis entis: quia, sicut modus essendi in se, & modus essendi in alio, differunt realiter ab illis, in quibus fundantur; sic modus essendi ad aliud, qui est ipse respectus relatiuus, differt realiter à suo fundamento: Neque hæc realis differentia à fundamento, compositionem cum fundamento facit: quia nec esse in alio facit compositionem cum eo, in quo fundatur; loquendo, non de re habente modum essendi, sed de re, quæ solum est modus entitatis: vt relatio, & quicunque respectus quib. non competit esse in alio, eo modo, quo ex talibus fit compositio. Vndè quæ differunt realiter, in eodem supposito non faciunt cõpositionẽ, nisi vtrunq; sit absolutũ: At ex altera parte, relatio, accepta prędicamentaliter, pro quanto sufficit ad prędicamentum relationis, à suo fundamento realiter nõ differt; quia est sola denominatio respectiua, alicuius subiecti, ex natura pluriũ; vt sortes, dicitur similis Platoni, & è cõuerso; non quod ista similitudo sit aliquid; quod sit essentialiter respectus; sed quia sortes habet in se albedinem, & alius, albedinẽ habet sicut ipse, vnde oritur denominatio, quod ẽt contingit de æqualitate, & inæqualitate suo modo. propter quod sciendum est, quod ens extra animam non distinguitur in decem prędicamenta, secundùm formales rationes eorum, quibus constituuntur, & distinguuntur; sed diuiditur ens extra animam, in decem prædicamenta, quò ad res, quæ præstant sufficiens fundamentũ, ex modis prædicandi; vt sit realis prædicatio, & non ficta. Nam distinguitur vnum prædicamentum ab alio, secundùm figuram prædicationis: dicente Arist. 5. met. cap. de Vno, eodẽ genere esse, quorum est eadem figura prædicationis: Vnde distinctio, & constitutio huiusmodi non fit, nisi concurrente operatione intellectus. Quare patet quod relatio, quæ est essentialiter, & realiter respectus

spectus, differt realiter à fundamento; relatio verò, quæ est sola realis denominatio respectiua, non differt à fundamento: quia, sumitur non solùm, ab ipso, secundùm se, sed cum hoc, ab extra. nec illud, quod importatur per talem denominationem est nihil, vel ens rationis; sed vera res, sumpta cum alia: sicut sortes dicitur similis Platoni, eò quod, habet albedinē sicut Plato. Hæc de dist. 30.

DISTINCTIO XXXI.

De appropriatis diuinis ostenditur
- Quòd sint
  - Exponendo quid significet æqualitas. A.
  - Determinando quid importet similitudo. B.
- Quid sint
  - Ad mētē Hilarij
    - Docendo. C.
    - Exponendo. D.
    - Dubitando. E.
    - Respondendo. F.
  - Ad mētē D.Aug.
    - Proponendo. G.
    - Interpretando. H.
    - Dubitādo
      - De appropriato Patris. I.
      - De appropriato Filij. K.
      - De Spiritussāc̄ti approp. L.

LECTIO LXXVIII.

PRAETEREA *considerari oportet cum tres illæ personæ coæquales sibi sint, &c. A.* Continuatio, ac sermonis Magistri consilium, in hac, & sequenti dist: est huiusmodi. Cum enim prius de diuinarum personarum proprietatibus propriis tractauerit, hîc de proprietatibus communibus, quæ appropriata dicūtur, determinare; hac in dist: veritatem simpliciter docendo; & in sequenti, difficultates remouendo; instituit. Et hoc naturæ ordine, atque doctrinæ, in huius scientiæ parte optimè factum fuit: quia sic talia sunt ordinata, sicut à natura produci sunt solita. Propria enim in diuinis, vni tantùm, vel duabus personis, conueniunt; Vnde, & notiones dicuntur: sed appropriata, quæ tribus personis diuinis æqualiter conueniunt, vni tantùm ascribuntur; propter ma

iorem similitudinem, quam habent cum proprio vnius personæ, quam alterius: appropriari siquidem, nihil aliud est, quàm commune trahi ad propriũ: vt bonitas, quę est communis tribus personis, Spirituisancto appropriatur; non quod magis conueniat Spirituisancto, quàm Patri, & Filio; sed quia habet quandam conuenientiam cum proprio Spiritussancti, quàm nõ habet cum proprietate aliarum personarum; hęc autem est, quod Spiritussanctus procedit, vt amor, & bonitas obiectum est amoris. Vndè rectè dictum est à D.Th.1.p.q.39.7.quòd, appropriatio, est manifestatio diuinarum personarum per essentialia. De his igitur tractare aggrediẽs ipse Magister duas primas excitat quęst. videlicet, An sint, & quid sint huiusmodi appropriata. Nam in primis duob. capitibus, duas mouet dubitationes, quarum solutiones, ad habendas in diuinis appropriationes aliquas, valent. in reliqua verò distinctionis parte, quid sint, & quę appropriata, ad mentem Hilarij, & Augustini docet. Prima quidem dubitatio est, An hęc nomina, æquale, & simile, substantiam, vel relationem dicant in diuinis; Secunda verò est, An eadem nomina, in essentia, aut in relatione, consistant, & attendantur: & est Magistri responsio, quod æquale, & simile, relatiuè dicuntur; & considerantur; ac attenduntur secũdùm substantiam; & est, ac si diceret, quod æqualitas, & similitudo, in personis diuinis, sunt relationes rationis, & non reales. & profectò, quod secundùm relationem dicantur, ostendit Magister, authoritate Hilarij, dicentis, quòd nihil sibi est simile; & nihil sibi æquale; quod verò non sit relatio realis; ostendit per D. August. qui quęrenti, secundùm quòd filius ęqualis sit Patri, Respondet, quòd secundùm substantiam est æqualis, & similis; quia.s.eadem habet cum Patre essentiam. Ex quibus infert Magister aliquos dixisse, pręmissa nomina, in diuinis, nihil ponere, sed remouere tantùm; vt dicendo, quòd filius æqualis est Patri, quia non maior, nec minor; & quod similis, quia non dissimilis, nec alienus. Quorum quidem sententia, quia vera, rectè intellecta, à Magistro non impugnatur; licet, D.Bonauentura, sine forti ratione, hoc in loco, oppositũ sentiat, dicendo, quòd positiuè dicuntur, & non priuatiuè. Nam illorum sententia, dicto Ar.9.Met. innititur, quod est, æqualitatem per maioris, & minoris negationem, dici: Verum tamen est, quòd æqualitas, & similitudo possunt duob. modis cõsiderari, hoc est, materialiter, & formaliter. Vt in diuinis, vno modo considera-

ratur æqualitas quò ad fundamentum, scilicet, quo ad essentiam, quę est magnitudo perfectionis Diuinæ; & alio modo, quantùm ad realitatem, talem magnitudinem consequentem; quæ formaliter est æqualitas: & tunc, primo modo considerata æqualitas, in priuatione consistit; secundo verò modo ponit aliquid; vt in creaturis, relationem realem. & sic debet intelligi Magister; quem optimè sequitur, D. Thomas distinct. præsenti, quæstione prima. Sed in hoc, est diligenter insistendum. Vtrùm, videlicet, æqualitas, & similitudo, relationes sint reales, vel rationis; quoniam de hoc, magna est inter doctores altercatio. Nàm ex altera parte, videtur esse Magister, & Diuus Thomas; ex altera verò Scotus, D. Bonauentura, & sequaces. & quoniam tres conditiones requiruntur, ad hoc, quod relatio aliqua sit realis, videlicet, quòd fundamentum, & terminus sint reales; quòd extrema sint realiter distincta; & quòd ab extremis consurgat relatio ex natura rei, & non ex opere intellectus. Hinc rationes pręcipuę, ad partem vtramq; consurgunt. Nàm (inquit Scotus) in diuina æqualitate, fundamentum est reale, & terminus realis, quia essentia realis: Pater à Filio realiter distinguitur, quia realiter à Patre filius generatur: & inter eos consurgit relatio ex natura rei, quoniam inter generantem, & generatum, distinctio cadit realis. ergo æqualitas, & similitudo, in diuinis relationes sunt reales. Nec obstare videtur, quod vnum & idem sit fundamentum, in tribus personis, quoniam, etiam relationum originis, vnum est fundamentum; quòd est Diuina essentia, & tam reales sunt relationes originis: & confirmatur hæc opinio, quia, nisi essent realitates reales, non essent primæ, & perfectissimę in diuinis: vt voluit Diuus Augustinus in sexto de Trinitate. Magister, tamen ex aduerso, ac Thomistę, æqualitatem, ac similitudinem, relationes non esse reales, propter positarum conditionum defectum, apertè dicunt, & comprobant. Et quoniam, ipse quoque in eorum sum sententia, scire vos velim, eam in his potissimum consistere, nempè, quòd æqualitas, dicit relationem, & fundatur super quantitatem; cum proprium sit quātitatis, secundùm eam, æquale, vel inæquale dici: Vndè, in diuinis, fundatur quidem in Diuina essentia, sed inquantùm virtualis quantitatis, rationem habet. Prætерea, quòd æqualitas in creaturis ponit aliquid secundùm rem; & per consequens, relationem dicit reales; quoniam

quoniam, secundùm suum esse, à nullo intellectu dependet; sed in diuinis nihil ponit, nisi ex vi rationis. Quamobrem, sequitur, quòd æqualitas in diuinis personis, relatio est rationis, & non realis; cuius præcipua ratio est, quia æqualitatis diuinæ fundamentũ, non est nisi vnum, videlicet, diuina essentia. siquidem, realis relatio, fundamenta debet habere distincta; quoniam fundamentum est illud, quod primò refertur: & nihil ad se ipsam realiter refertur: ergo æqualitas, & similitudo, in diuinis, nõ sunt reales relationes, eò quod, eius esse completũ, ab intellectu depẽdet. Cęterum, ad argumentum pro altera parte, Respondetur, primò falsum esse, quòd relationum originis vnum sit fundamentum, quoniam paternitas, & filiatio, immediatè fundantur super actus notionales, qui sunt generare, & generari; qui actus, realiter distinguuntur. Secundò dicitur, quod cum omnis relatio realis, extrema realiter distincta requirat, ęqualitas in diuinis, nullo modo potest esse realis: Quoniam, licet, Pater, vt Pater est; & filius, vt filius, extrema sint relationũ originis, realiter distincta; non tamen æqualitatis sunt extrema; sed solùm, vt quanta sunt: quia extrema æqualitatis, vt extrema æqualitatis sunt, oportet, quòd quãta sint. Modò Pater, & Filius, vt quanti, vel magni sunt, distincti esse nequaquam possunt: quia eadẽ virtute, magni sunt. æqualitas igitur in illis, relatio rationis erit, & nõ realis; eò quod, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vt extrema sunt ęqualitatis, aut similitudinis, distincti esse realiter non possunt: Quamuis, vt extrema sunt relationum originis, realiter distinguantur; Vndè, relationes originis, verè dicũtur reales. Ad confirm. facilè Respõdetur, quòd æqualitas in diuinis, non dicitur prima relatio, quãtum ad respectum, quem importat; sed quantùm ad essentiæ vnitatẽ, in qua fundatur. Nec obstat, ꝙ ęqualitas sit in filio, ex vi productionis suę; quoniã ęqualitas, quò ad suũ fundamentũ, per generationẽ cõmunicatur filio; non aũt in quãtùm est relatio; qm̃ sic, eadẽ magnitudo bis accipitur; ꝙ necessariò fit aliquo intellectu. Et hęc satis, de prima parte Distinctionis.

LECTIO LXXIX.

NON *est igitur hic prætermittendum, &c.* C. Hæc est distinctionis 31. secunda pars, in qua, Magister, de quid est eorũ, quæ diuinis personis appropriantur, pluribus verb. agit:

agit: illaq; , duas habet particulas; in quarum prima, ad mētem D. Hilarij; & in altera, ad mentem D. Augustini trium personarum appropriata docet. Neque hoc superfluè, vel incongruè factum est à Magistro, quamuis de huiusmodi proprietatibus in distinctione 26. & 35. sermo sufficiens habeatur; longè enim diuersa est, talis tractatio: quandoquidem, supra, proprietates propriæ sunt expositæ; hîc autem proprietates appropriatæ tractantur: Inferiùs præterea, appropriata considerantur, vt respectum habēt ad creaturas; hic verò, de appropriatis diuinarū personarum agitur, inquantùm earum emanationem, & ordinē manifestant: tria namq; Hilarij appropriata, personarum emanationem; & tria Augustini, earundem ordinem, inspicienti monstrant. Cum igitur in prima particula inquit Hilarius, in Patre esse æternitatem, speciem in imagine, & vsum in munere. sensus est, quod Patri, appropriatur æternitas; Filio species; & muneri, hoc est, Spiritui sancto attribuitur vsus: Nam exponendo, habet Augustinus, quòd Patri appropriatur æternitas; eò quòd, non habet Patrem de quo sit, sicut habet filius de quo originatur. Vndè non absolutè æternus, sed coëternus Patri dicitur. filio autem, qui vocatur imago, species tribuit, (inquit ipse) propter pulchritudinem; nàm filius, est summa congruentia, prima æqualitas, prima similitudo; & ex omni parte respondet ei, cuius est imago, nempè Patri, quod significatur in hoc nomine species: ac denique Spiritußs. dicitur vsus, quoniam, ipse est dilectio, delectatio, & fęlicitas, vel Beatitudo, qua ineffabiliter se inuicem vtuntur. i. fruuntur, & complectuntur Pater, & Filius. Verùm quoniam, hæc Hilarij appropriata, tantæ sunt difficultatis, quòd (vt inquit Magister) etiam adhibita expositione, vix intellectus aliquis ea intelligere valet; Ad vberiorē notitiā, addendum arbitror, quod à D. Tho: & Bonauentura, & à Ricardo de Media villa colligi potest. Primùm, videlicet, quòd æternitas duplici ratione appropriatur Patri. s. inquātùm æternitas est principium omnis durationis, temporis, & æui; quoniam in generatione, & in processione, Pater est principium: & inquantùm ęternitas dicit priuationem principij, respectu sui, quia Pater est innascibilis, & non de principio, ergo quamuis æternitas, trib. diuinis personis ęqualiter, secundùm rem cōueniat, iurè tamē, propter maiorem assimilationis apparentiam, cum Patre, & cum innascibilitate, quæ solo Patri cōuenit; ipsius Patris appropriatum ponitur.

Præ-

Preterea, habetur, quòd species, conuenienter appropriatur filio, secúdùm quòd accipitur pro speciositate, siue pulchritudine: cum enim pulchritudo, in sui ratione, habeat consonantiam, & claritatem, vt scribit Dionisius 4. cap. de diuinis nominibus, dicendo, quòd Deus est causa omnis pulchritudinis, inquātùm est causa omnis consonātię, & claritatis; vndè, ille pulcher appellatur, in quo, est membrorum proportio, & splendoris claritas) Filius certè, inquantùm est imago Patris expressiua (quod sibi præcipuè conuenit) perfecta est consonantia; quia omnem patris æqualitatem habet, absque vlla imperfectione; & inquantùm verbum est Patris, perfectam illius habet claritatem; quæ illustrat omnia, omniaq; in ipso relucent. Imo cum ad pulchritudinem requiratur magnitudo corporis (vt habet Arist. 4. Ethicorū, cap. de magnanimitate) Vnde parui elegantes, & concinni vocantur, & non pulchri, verè, filius Dei pulcher, & species dici potest, quia immensa patris natura, totaliter, & perfectè sibi est communicata. Tertiò similiter addimus, quòd, quamuis vsus, omnibus tribus personis æquè realiter conueniat, muneri, tamen, hoc est, Spirituisancto, cōuenienter appropriatur, tùm quòd, vti, inquantùm est actus amoris; Primo occursu, maiorem habet apparētiam assimilationis, cum proprio Spiritussancti, quod est esse amorē spiratum: tùm quia vti, inquantùm communiter accipitur pro frui, maiorem habet similiter, appropriationis cum proprio Spiritussancti apparētiam, quàm cùm proprio Patris, & Filij: nàm frui est amare, & Spiritussanctus est amor: non enim vsus, hoc in loco, passiuè accipi potest; quoniam diuinis personis non est vtendum, sed fruendum. En igitur, quòd tribus diuinis personis appropriata, propriissimè assignauit Hilarius. Sed An dictis verbis, proprietates personales exprę︎sserit? nomine quidem æternitatis, innascibilitatem significauit, hypostases tamen, solùm distinctas esse, monstrauit. Quòd itidem intendens D. August. alia tria assignauit appropriata, diuinarum personarū ordinē significantia, videlicet, vnitatem in Patre, æqualitatem in Filio, & in Spiritussancto vnitatis, æqualitatisq; concordiam: Quorum ratio est, quoniam horum trium, omnia sunt vnum, propter Patrem; omnia æqualia, propter filium; & omnia vnum, & ęqualia, propter Spiritum sanctum; cū enim primo in prima persona, quæ est Pater, reperiatur vnitas; à Patre, secundùm ordinem, omnia esse incipiunt: & cum in Filio, statim reperiatur numerus binarius,

rius, quia ipse secunda est in diuinis persona; & æqualitas in duobus inuenitur; sic propter filium, omnia dicũtur æqualia: & quia denique, in Spiritusancto, numerus inuenitur ternarius; & connexio, saltem tria requirit: Ideo propter Spiritumsanctum, omnia connexa, & vnita dicuntur. Quare, licèt, omnes diuinę personæ, propter naturæ vnitatem, voluntatisq; conformitatem, realiter sint vnum, & æquales; Vnitas tamé, quia non habet principium, à quo sit, æterno Patri, qui est sine principio appropriatur; & filio tribuitur æqualitas; quia in ipso primum inuenitur; & Spirituisancto appropriatur diuinarum personarum essentialis cõcordia; quia in diuinis, secundùm nostrum modum intelligendi, tertiò procedit; atq; vt amor, & dilectio, à duobus spiratur. Et sic, rectè huiusmodi appropriata, nos docuit Augustinus. Verùm animaduertatis, quòd appropriando attributa essentialia, determinatis personis; alias personas non excludimus; nec participationis gradum constituimus; sed tantùm, in ratione appropriati, ad propriũ personæ, similitudinem ostendimus: licèt enim illa communia sint tribus, vnum tamen attributorum (secũdùm rationem suam) maiorem similitudinem habet ad vnius, quàm ad alterius personę proprium: Vndè, illi personę conuenienter appropriari potest. Et valet appropriatio hęc, ad aliquam fidei manifestationem; sicut etiam ex vestigio, & imagine, ad manifestationem personarũ, via aliqua persuasiua sumitur: quàmuis enim per attributa, non possimus sufficienter in propria personarum deuenire; aliquam tamẽ illarum similitudinem, in appropriatis inspicimus. Quamobrem, vt in illis intelligendis simul cũ D. Aug. laboraremus, dignũ fuit.

DISTINCTIO XXXII.

De appropriatis diuinis dubitationes remouētur
- Proponendo
  - De illa spiritussancti
    - Argumentum. A.
    - Responsionem. B.
  - De illa filii
    - Principaliter
      - Respectu Patris. C.
      - Respectu Filii
        - Propositum. D.
        - Corollariũ. E.
    - cõsequẽter respectu sui
      - Docendo. F.
      - Confirmando. G.
- Resoluendo
  - Ratione. H.
  - Excusatione. I.

Lectio LXXX.

HIC *oritur quæstio ex prædictis deducta, &c.* A. Magistrum Petrum Lomb. dubitationes, circa appropriata contingentes, hoc in loco refellere; in explicatione distinctionis precedentis, dictum fuit. Quamobrem, eius intentione, & continuatione manifestis, de diuisione dicimus duas, non omnino, faciles difficultates, hic tractari; quarum altera est, An Pater diligat se, Spiritusancto; & altera, An Pater sit sapiens sapientia genita. Sed prima principaliter, & quasi necessariò disputatur, secunda verò, secũdariò, & cõsequenter. Cum enim, in extrema particula superioris distinctionis, ex D. Augustini sentẽtia, dictum fuerit, ꝙ omnia sunt connexa, propter Spiritumsanctum, quia ipse, connexio est, & Amor Patris, & Filij; Iurè dubitatur, An Pater, ac etiam Filius, diligant se, dicto amore, qui est Spiritussanctus: & deinde occasione huius, quęritur consimile propositum, quod ad primæ difficultatis explanationem, non nihil confert. Hanc igitur, proponens Magister, pro parte affirmatiua, illas sanctorum authoritates, inquit esse, quas habuit supra, dist. 10. Si enim (vt probabatur) Spiritussanctus est, quo genitus à generante diligitur, genitoremq; suum diligit; optimè sequitur, Patrem, & Filium, per Spiritum sanctum, vel Spiritussancto diligere. Verùm, ex aduerso deducitur, quod Pater, & Filius, haberent esse per Spiritumsanctum, quod nimis est absurdum: qñ Spiritussanctus ab vtroq; procedit. Nam, sic arguit Magister, diligere, & esse, in diuinis, sunt idem: ergo si Pater, & Filius diligun t se Spiritusancto, & Spiritusancto esse videntur: & probat assumptum, per D. Augustinum, in lib. 15. de Trinitate, dicentem, quòd, quicquid secundùm qualitatem, in illa simplici natura dici videtur, secũdùm essentiam est intelligendum; Vndè, bonitas, sapientia, Amor, & his cognata, nullam in Deo qualitatem ponunt; sed ipsam dicunt essentiam. ergo, Pater, vel Filius, Spiritusancto non diligunt; quia Spiritusancto essent. Quid igitur dicendum? ipse Magister quęstionem hanc, propter nimiã profunditatem, ferè insolubilem esse fatetur, quia tamẽ, contradictoria simul esse nõ possunt: & D. Augustinus partẽ affirmatiuam, duobus in locis, asserere videtur; cum ipso sentiendum esse,

se, solùm admonet; & sicco (vt aiunt) pede, rem hanc pertransit. Doctores tamen Scholastici, hanc eàdem difficultatem subtilius perscrutantes, propositione, tāquàm vera, concessa; (prorsus enim despiciendus est, qui eam temerè, vel Augustini testimonio, negauit) pro eius expositione, & intelligentia multa scribunt, & diuersa; quorum (breuitatis gratia) tantùm adnotabimus, quæ ad propositi notitiam, sufficere videbuntur. Hæc autem duo sunt. Et horum alterum est, quòd diligere duobus modis accipitur. s. essentialiter, & notionaliter; primo modo, dicit voluntatis complacentiam, quæ communis est tribus; & tunc Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, dilectione essentiali, se diligunt, & non Spiritusancto: alio modo, dicit voluntatis fœcunditatem, ad productionem personę: quæ, cum sit in duobus tantùm, verè conceditur, quod Pater, & Filius, diligunt se Spiritusancto, & sensus est, quòd Pater, diligit Filium, & Filius Patrem, amore, qui est Spiritussanctus: Nam Spiritus s. est amor nectens Patrem, & Filium; & licet ibi diligere, sit pro communi spiratione; non tamen licet ponere verbū spirandi; quia alio modo, illam notionem importat; & sensus esset, Pater, & Filius spirāt Spiritusancto; sicut etiam conceditur hæc propositio, Pater, dicit verbo: & hæc negatur, Pater, generat Filio; quamuis dicere, generationem importet. Alterum notandum, est, quòd, in hac propositione, Pater, & Filius diligunt se Spiritusancto: ille ablatiuus (vt optimè docent D. Thom. D. Bonauentura, & ante illos, Hugo de sancto Victore) construitur in ratione effectus formalis: & sic, propositionis talis est sensus; Pater, & filius diligunt se Spiritussancto. i. à Patre, & Filio, procedit amor, qui est Spiritus s. quo se diligunt. Vbi aduertendum est, quòd, hæ voces, effectus, & forma, largo modo accipiuntur; inquantùm effectus dicitur omne illud, quod est à principio, & formale, quod habet actū formę, denominando; propriè enim in diuinis, non est, neque efficiens, neque effectus, neque forma; Vnde in proposito, etiam effectus, qui est à causa efficiente, potest dici effectus formalis, licèt nō dicatur effectus causæ formalis, inquantùm. s. suā causam, vel principium denominat; quandoquidem, omne denominans, vt denominans, habet rationem formæ; quia res communiter à forma denominatur. His verò duobus adnotatis, omnes soluuntur præcipuę difficultates: sicut iam soluta apparet, illa, à Magistro proposita: procedit enim argumentum illud, de diligere, sumpto essen-

tialiter, quia tale, est idē omnibus modis cū eo, quod est esse: at dili gere, notionaliter acceptū; quamuis secundùm rem sit idem cum esse; ab eo tamen, secundùm modum significādi differt; quoniam, diligere dicitur relatiuè, esse autem absolutè; Vndè, non sequitur Pater, & Filius diligunt se, Spiritusancto, ergo Spiritusancto sūt, vel habent esse. Sed diceris, si res sic habet, ergo à simili, Pater sa piens erit sapiētia genita, sicut diligit Spiritusancto, quod tamen à Theologis non conceditur. Resp. quòd, hæc est altera quæstio, quam proponit Magister, in secunda parte præsentis distinctionis; & est difficultas à D. August. 6. de Trinitate excitata; vbi, propter verba D. Pauli ad Corinthios, Christum dicimus Dei virtutem, & sapientiam; quęrit, An Pater sit sapiens sapientia, quam genuit. Et est communis solutio, quæ etiam habetur à D. Augustino in primo libro retractationum. c. 26. quòd illa propositio, est simpliciter falsa; & debet exponi, si ab aliquo Sancto reperitur habita; cuius ratio est, quia sapere, & esse sapientem essentialiter tantùm accipitur: Vndè, sensus esset, quòd Pater est sapiens Filio, cum tamen se ipso, qui sapientia est ingenita, sit sapiens. Quamobrem, non sequitur quod Pater sit sapiens, sapientia genita, vel Filio; quā uis Spiritusancto diligat; quoniam (vt dictū est) sapere non summitur notionaliter, sicut diligere. Et notandum primo, quòd, licèt Pater sit sapiens, sapientia ingenita; & Filius sapiens sapientia genita; Vna tamen solummodo est, Patris, & Filij sapientia; sicut vnus tātùm est Deus; licèt Pater sit Deus ingenitus, & Filius Deus genitus. Nam, cùm sapientia dicitur ingenita, vel genita, supponit pro persona; & quādo simpliciter sumitur, supponit pro essentia. Prętерea notandum, quòd Filius, est sapiens, sapientia genita, formaliter; & est sapiens, sapientia ingenita, originatiuè; & etiam identicè: sicut etiam, Pater est sapiens sapientia genita iden ticè; licet non formaliter, nec originatiuè; quia formaliter, sapiens est, sapientia ingenita: & omnes diuinæ personæ, formaliter sapien tes sapientia essentiali. Vltimò sciatis velim, quòd hæc propositio, Pater est potens potentia genita; falsa est simpliciter; & nō valet, Pater operatur per Filium, ergo potens est per filium; quia primum importat causalitatem, respectu effectus, & conceditur; & secundum, causalitatem, respectu Patris, & negatur; Nam regula est, quòd propositio, per, cum verbo absoluto, importat authoritatem; vt cum dicitur, iste est bonus, vel sapiens, vel potēs per illum;

& cum verbo transitiuo, importat subauthoritatem; vt Prior potest per Vicarium; & non habet potentiam ab illo, vt videretur inferri, si potens esset per illum. Et quoniam ex his colligitur, quòd Pater, & Filius, eodem amore. s. Spiritusancto, quo diligunt se, diligunt etiam nos, & omnia à se; sicut etiã Pater, eodem verbo, quo dicit se, omnia alia dicit; Profectò debemus, & nos, non quidẽ Spiritus. Patrem, & totam sanctiss. Trinitatẽ, amare; sed maiori, & intẽsiori, qua possumus dilectione, prosequi; & ob id oĩ studio huic vni lectioni operã dare, quia maior cognitio maiorẽ parit amorẽ.

DISTINCTIO XXXIII.

De cõparatione proprietatum ad personas, & essentiam.

- Pro veritatis fundaméto probatur
  - Quòd proprietates in personis sunt, & personę. A.
  - Quod proprietates sũt Diuina essentia
    - Ratione. B.
    - Authoritate. C.
- Pro falsitatis confutatione Arguĩt
  - Ratione
    - Ab aduersariis
      - Ex dictis Doctorum. D.
      - Ex dictis hęreticorum. F.
    - A Magistro
      - Quod huius difficultatis intelligentia est incomprehensibilis. E.
      - Qđ oppositæ rationes nõ probãt. G.
      - Quod pia fide tenẽda est veritas. H.
  - Arguitur
    - Primò. I.
    - Secundò. K.

LECTIO LXXXI.

POST *supradicta interius, &c.* A. Cum hactenus, de diuina essentia, de personis diuinis, atque diuinis proprietatibus; sufficienter, vt potuimus (quæ Dei fuit benignitas) à nobis,

vna

vnà cum Magistro disputatum sit, tractationem omnem, quæ intrinsecam, absolutamq; sanctissimę Trinitatis perfectionem respicit; profectò compleuimus. Veruntamen, propter hęreticos, coacti sumus, ea, quę dicta sunt, ad inuicem nunc comparando, quodammodo colligere; ne sophistica illorum argumenta, nos, vllo pacto imparatos, offendant. Et hæc est distinctionis huius, & sequentis continuatio, ac intentio. In hac enim comparantur proprietates personales, ad essentiam, & personas; in altera, comparatio est personarum ad essentiam. Vndè quęritur hîc, An proprietates, quibus diuinæ personæ determinantur, ita sint in personis, & in diuina essentia, quòd sint ipsę personę, & ipsa diuina essentia. Quęstio quidem, ad intelligendum, ad exprimendum, & ad iudicandum, omnium fortè difficillima; quam tamē à nobis (vt licet) percipi posse, nō dubito, ordinē, ac consilium sequentib. Magistri. Est autem ordo, vel diuisio, vt primum explicetur veritas, & deinde redarguatur falsitas; consilium verò, ne credamus, generationis æternæ sacramentū, nostra intelligentia consequi posse; quasi maiestatem perscrutari, ius ponere potestati, modumq; circumscribere infinito, temerè audeamus. Dum ergo quæritur, an proprietates personales sint ipsę personę, piè credamus, omnes illas in personis, & personas esse; nam, non minus verè, quàm apertè, docet Christianorum Ecclesia, quod in personis est proprietas, & in essētia vnitas; ex quò, benè sequitur proprietates esse personas; qm̄, cum nulla sit in personis compositio, quicquid in illis esse conceditur, personas esse necesse est; quòd etiam à Magistro, ratione huiusmodi confirmatur, personæ ab æterno sunt distinctæ; sed proprietates (vt supra probatum est) distinguunt personas, ergo proprietates sunt ab æterno. Tunc vltra, nihil est ab æterno, nisi in Deo, & in personis; ergo proprietates sunt in personis; & per consequens, sunt ipsę personæ; aliàs, cōpositio esset in persona. Quod verò proprietates eædem sint ipsa diuina essentia, ratione diuinæ simplicitatis facilè persuadet. Nam, diuina essentia, propter eius simplicitatem, est quicquid habet; sed habet proprietates; quia in illa sunt, sicut in personis: ergo proprietates sunt essentia diuina. & confirmatur, authoritate Hilarij, dicentis, natiuitatem Filij esse naturam; & proprietatem Patris, Patrem esse. Sed contra (& est huius distinctionis pars secunda) argumentantur Hæretici, & Gilibertus Porretanus, qui in Senonum Concilio se retractauit, Distinguens

stinguens non est distinctum; sed proprietates distinguunt, & personæ sunt distinctæ: ergo proprietates non sunt ipsæ personæ. ergo (inquiunt) si proprietates sunt in personis, erũt quasi extrinsecus affixæ. Ad quod respõdet Magister, per interemptionem maioris, quòd non est inconueniens, personas distingui se ipsis; hoc est, per proprietates, quę realiter idem sunt, quod personæ. Et cum secundò arguũt, quod proprietates nõ possunt esse diuina essentia, quia tunc, sicut diuinæ personæ, essentia, sunt vnum; etiam & proprietatibus essent vnum; & nullo modo distinctæ: cuius oppositum verè conceditur; Quoniam hęc eorum ratio, curiosa admodum videbatur, ad hominem respondet, dicẽdo, quòd hoc propter sui altitudinem, omnem excedit intellectum. Attamen ad veritatem, vt respondeat, validiorem eorum assumit rationem, quę sic formatur. In quocunque est paternitas, illud est Pater, & est generans; & in quocunque est filiatio, illud est Filius, & est genitum: ergo si in essentia est paternitas, & filiatio; tunc, essentia erit Pater, & Filius, & generans, & genitus; & tunc vna, eademq; res (vt maximè vna est essentia) erit generans, & genita: Pater, & Filius. quod posuit hæresis Sabellij, asserendo, quod idem sibi Pater esset. Et respõdet ipse Magister, quòd, licèt essentia paternitatem habeat, & filiationẽ; non tamen est Pater, vel Filius; nec generat, vel generatur; quia proprietates nõ sunt in ea, vt determinantes, & distinguẽtes ipsam. Et si vlterius quęratis, quare proprietates non distinguunt essentiã, in qua sunt; sicut distinguunt personas, in quibus reperiuntur: Quoniam interrogatio est curiosa, respondet, quòd hoc exprimere est supra intellectum nostrum; & iam superiori cap. dixit, quòd proprietates, alio modo sunt in essentia, & alio modo in personis. quæ põt esse quæsiti responsio. Vltimò cum duplici Augustini authoritate arguunt Hęretici, quòd in diuinis aliud sit substantia, & aliud proprietas: & consequenter quòd paternitas, non sit essentia; quia à D. August. dicitur, quòd non eo Deus est, quo Pater est, quia paternitate est Pater, & essentia Deus. Respondet Magister, quòd dictũ illud dupliciter põt intelligi; vno modo formaliter. & sic conceditur; quoniam paternitate formaliter nõ est Deus; sicut formaliter Pater: Alio modo identicè, & realiter, & tunc facit pro eis, & negatur: nam sensus est; non enim quo Pater est, Deus est. i. illud, quo Pater est, nõ est illud, quo Deus dicitur; quod est falsum. quia paternitas, qua denominatur Pater, est Deitas; qua deno-

denominatur Deus, licet à Paternitate non dicatur Deus; Quarè, in eorum argumento, est fallacia accidentis; quia, ex eo quòd, Paternitas, & Deitas differunt secundùm rationem; nō sequitur, quin Paternitas idem sit realiter, quòd diuina essentia; Nec Augustinus per illas authoritates dicere intēdebat, aliquid diuersum esse, proprietates ab essentia; sed solùm, quod ratione distinguuntur. Et hęc de expositione textus Magistri.

LECTIO LXXXII.

QVONIAM sapientis est, non solùm non mentiri, de quib. nouit; sed etiam mentientem posse manifestare; (vt distin. 33. fecit Magister) Meum nunc est propositum, aliqua, pro altera parte adnotare, cum heri, multis negociis implicati, Magistri literam exponentes, vix veritatem agnoscere potuerimus: Sed quia (vt dicebat Hilarius) hoc quod à nobis exigitur, immensum est, & incomprehensibile, eò quòd, verbis non exprimitur, memoria non tenetur, nec intellectu satis attingitur; mirum minimè erit, si rem plenè non explicabimus. Vt igitur, relationū diuinarum, ipsius diuinæ essentiæ, & personarum; realem identitatē negantes, mentiri intelligamus: Primum veritatem paucis confirmabimus, deinde, aduersariorū rationes falsas esse, & nihil obstare mōstrabimus. Et quidē, quòd essentia Diuina, & proprietas relatiua, sint idem realiter, inde probatur, quòd, quicquid est realiter in Deo, est idem re, quod diuina essentia; quod enim in rebus creatis habet esse accidentale, translatum in Deo, habet esse substantiale, cum ergo (vt supra accepimus) proprietates relatiuæ sint in Deo, secundum rem; sequitur, eas idem esse realiter cum diuina essentia. Similiter, quòd proprietas diuina, idem sit realiter cum persona, confirmatur à simili: Vt enim Deitas est in Deo, & est Deus, sic Paternitas est in Patre, & est Pater. Quo in loco duo animaduertatis velim. Primum, quod proprietates personales idem sūt cum personis, ea ratione, qua, abstractum est idem cū concreto, quia sunt ipsę personæ subsistētes; vbi. n. nulla est formæ cum materia compositio, idem est abstractum, & concretum; vt Deitas, & Deus: sed proprietates non personales, alia ratione identitatis, idem sunt cum personis; ea. s. qua illud quod attribuitur

Deo

Deo, est eius essentia: Vndè, communis spiratio est idem cum esse Patris, & Filij; non quòd sit vna persona per se subsistens; sed sicut vna essentia est, in duabus personis. Alterum animaduertendum est, quòd cum dicitur, proprietates alio modo esse in personis, & alio in essentia; illud est, quòd per modum identitatis tantùm, sunt in essentia; & per modum identitatis, & secundùm modum significandi, sicut forma in supposito, sunt in personis: ex quo fit, quòd proprietates determinant, & distinguunt personas, non autem essentiam. Vnde etiam hæc propositio, Paternitas est in essentia, dicitur identica tantùm, hęc autem, Paternitas est in Patre; identica est, & formalis. Quamuis proprietates non significent, vt supposita, sed vt suppositorum formæ; quia sunt in personis transitiuè, secundùm rationem, vt formæ in supposito; propter quod, actus, qui sunt suppositorum, de illis non pręedicantur, vt dicamus Paternitas generat. Sed vt proprietates ab essentia, & diuinis personis, secundùm rationem; differre intelligatis; sciendum est, quòd, cum ratio duobus modis accipiatur, videlicet, pro actu rationis, & pro definitione rei; hoc secundo modo accipitur ratio, quando dicitur, quòd alia est ratio Paternitatis, & alia est ratio essentiæ: licèt enim in diuinis, non possit esse definitio, nec genus, nec differẽtia; si tamen intelligitur, aliquid ibi definiri; alia erit definitio Paternitatis, & alia definitio essentiæ. Et cum commune sit omnibus intentionibus, esse in anima, & non esse in rebus; nisi secundùm quòd habent aliquid in re respondens. s. naturam; cui intellectus, huiusmodi intentiones attribuit; sicut intentio generis, non est in equo; sed natura animalis; cui per intellectum, hæc intentio attribuitur; sic ratio, quam dicimus aliam, & aliam, in diuinis; non est in deo, sed tantùm aliquid respõdens ei, in quo fundatur veritas, illius rei, cui talis intẽtio attribuitur; quia est in Deo, vndè, possunt rationes diuersæ conuenire. Et licèt Deus habeat rationes illas, non tamen potest dici, quod Deus, sit illas rationes, sicut non dicitur, quòd Deus sit nomen; licèt habeat nomen: sed benè, quòd est bonitas, quia bonitatem habet. Et ratio est, quòd in Deo, idem est habens, & quod habetur; loquẽdo de his, quę habentur per modum rerum, & non de illis, quę habentur per modum intentionũ. Quarè, ratione differũt ad inuicẽ, proprietates, personæ, & essentia. Nam, proprietates constitutiuę sunt personarum; & essentiæ, ac relationis, diuersi sunt conceptus: quoniam, essentiæ conceptus est

ad ſe,& cōceptus relationis ad aliud. Et ex hac intelligentia multæ ſoluũtur difficultates. Verùm,quia Aduerſarij, diabolicę fraudolentiæ inſtinctu, excitati, non dum quieſcunt; ſed amplius addunt,quòd Diuina eſſentia,quæ res eſt maximè abſoluta, & per ſe ſubſiſtens, ad aliud ſe haberet; ſi relatio eſſet ipſa diuina eſſentia; quia relatiui eſt, ad aliud ſe habere; vt habetur in prędicamentis cap.de aliquid. & multa opponunt alia,quæ ſimplicibus,& incautis,vera videri faciũt. Propterq; adhuc aliqua animaduertēda sũt. Et primùm,quòd omnimoda eſt exiſtētia relationis diuinæ,& eſsētiæ; ſed,quòd quid eſt,relationis, intelligitur differre,à quod quid eſt eſſentiæ; vt reſpectiuũ ab abſoluto: Nàm, cũ dupliciter ſit eſſe, alterum,quod eſt ipſa quidditas,vel natura rei;vnde definitio,dicitur oratio, ſignificans quid eſt eſſe rei;& Alterũ,quod eſt ipſe actus eſſentiæ,ſicut uiuere,quòd eſt eſſe viuentibus,eſt animæ actus;non ſecũdus,qui eſt operatio; ſed primus; Relatio,ſecundùm hoc vltimum eſſe,quod habet,vt eſt in ſubiecto, ſicut omne accidens;& dicitur eius actualis exiſtentia; omnino vnitur, & eſt idem cum eſſe diuinę eſſentiæ;quoniam in Deo,nihil eſt,vt accidens in ſubiecto; ſed omne,quod eſt in ipſo, eſt eius ſubſtantia. At ſecundùm alterum eſſe, quod habet, vt ad aliud refertur,ſicut relatio omnis, & rei definitione explicatur; non vnitur cum eſſe Dei;quia alia eſt ratio Paternitatis,& alia ratio eſſentiæ. Vndè, conſurgit intelligentia illius dicti D. Auguſtini, quod idem eſt, quo Pater eſt Deus, & quo eſt; non autem eo Pater, quo Deus. Secundò eſt animaduertendum, quod, licèt in Deo reperiatur eſſe reſpectiuum,& eſſe abſolutum; ſicut etiam in omni eo, quod dicitur relatiuè, nō ſolùm eſt inuenire reſpectum ad alterum, ſed etiam aliquid abſolutum; non tamen in Deo, ſicut in creaturis, ſunt duo eſſe diuerſi: ſed eſt vna,& eadem res,quæ non perfectè exprimitur relationis nomine; quaſi,ſub ſignificatione talis nominis comprehenſa:& ideo, relatio non prędicatur ſecuudùm modum ſubſtantiæ, ſed vt ad alterũ ſe habens; cum differat ab eſſentia ſecundùm eſſe quidditatiuum. Vndè, duo in Deo dicuntur eſſe prędicamenta: quod ſignificare voluit D. Auguſtinus, dum inquit, Non omne, quod dicitur in Deo,ſecundùm ſubſtantiam dicitur. Notandum præterea,quòd, cum nulla ratio communis, alicuius prędicamenti, maneat in diuinis,niſi relationis; Scientia,bonitas,& huiuſmodi,quæ ſunt in aliis generibus,& dicũtur de Deo, non habent rationem communis

nis generis, quod est inesse, per quod diuidantur contra substantiã; imo, loco illius rationis communis, qualitatis, vel quantitatis, venit ibi ratio substantiæ, & tamen ratio scientiæ dicitur alia à ratione substantiæ in diuinis; certè sicut ratio speciei, est alia, à ratione generis, inquantùm addit rationem differentiæ, supra rationem generis: & non quòd ratio scientiæ, sit condiuisa contra substantiæ rationem: Nam sic, in diuinis est alia ratio scientiæ, & substantię, sicut in creaturis, est alia ratio scientiæ, & qualitatis; quod non est simpliciter aliud. Vndè, sicut de creatura dicitur, quod eodem est qualis, & sciens; ita in diuinis dicitur, quod eodem est substantia, & sciens. non tamen, quòd eodem sit substãtia, & Pater; quoniam, relatio, quæ per se substantiæ condiuiditur, secundùm propriã rationem generis, & modum significandi, in diuinis saluatur. Amplius sciendum, quod cum relatio (vt diximus) habeat duo esse, vnum, quod est inesse, quod dicitur esse essentiæ; & aliud, quod est quidditas relationis, quod esse definitione exprimitur; per quod, esse ad aliud dicitur, quoniam, secundùm primùm esse tantùm, diuinæ essentię vnitur, secundùm tale esse solùm, semper reperitur, vbi est diuina essentia. Quamobrem Paternitas, est in Filio, secũdùm esse paternitatis; & non secundùm rationem paternitatis, quia, sic, non vnitur cũ diuina essentia. Ex his autem, non solùm argumentum præpositum, sed & alia fortè omnia; quæ hic solent adduci, soluta esse crediderim. Cum enim dicitur, quòd, relatiui esse, est ad aliud se habere; illud, de esse, quod est quidditas rei, secundùm quod diuinæ non vnitur essentię, intelligi debere pręnotauimus; Vnde diuina essentia, ad aliud referri non est

Opus.

Quamobrem, his adnotatis, mentientes facilè manifestabitis; & in hoc, sapientes esse, ac haberi poteritis.

DISTINCTIO XXXIIII.

- De cõparatione personarũ, & essẽtiæ ad inuicẽ
  - Quantũ ad predicationẽ. & ostendit essentiam diuinã idẽ esse realiter cũ personis
    - Adducendo aduersariorum Argumenta. A.
    - Respondendo propositis argumentis
      - Principaliter
        - Ad hoĩes nõ intelligẽtes scripturas
          - Exponendo. B.
          - Concludẽdo. C.
        - Ad rationes deficiẽtes. D.
      - Secũdariò. propter incidentẽ difficultatẽ. E.
  - Quantũ ad appropriationem
    - Directè, & monstrat
      - Nomina appropriari. F.
      - Propter quid cõmunia approprientur
        - Patri, & Filio. G.
        - Spirituisãcto. H.
    - Indirectè, & determinat
      - Vsum huius nominis homousion esse catholicum. I.
      - Rationem secũdùm quam nomina trãslatiua de Deo dicuntur. K.
  - Vltimò imponit finem tractatui de Trinitate confitendo insufficientiam propter materię difficultatem. L.

LECTIO LXXXIII.

PRAEDICTIS *autem adiiciendum, &c. A.* Diuinas personas, & essentiam, comparat hîc Magister ad inuicem (vt prę cedenti distinctione diximus) & tria facit; primo enim personas, ad essentiam comparando, considerat quantùm ad prędicationem, deindè quãtùm ad appropriationem: & vltimò tractatui, de Tri-

de Trinitate, finem imponit. co nfitendo in sufficientiam, propter materiæ difficultatem. De primo quidem.s. diuinam essentiam, idem esse realiter cum personis, hac methodo ostendit, quod præpositis aduersariorum argumentis; Respondet aduersariis, & eorum rationibus: illis, quòd sacras Scripturas non intelligunt; & rationibus, quòd sunt deficientes. Vbi etiam incidentem quæstionem dissoluit; Ratio autem Hæreticorum quorundam, realem identitatem inter diuinas personas, & essentiam negantium; talis erat, Essentia diuina, vna est, eademq; res omnino: ergo si Pater, & Filius est idem cum essentia (vt dicitis) eadem res omnino, erit Pater, & Filius; eademq; generans, & genita; quò, nihil absurdius cõcedi posse videtur; Quamobrem, ne hoc sequeretur, diuinas personas, & essentiam idem esse, negabant: & authoritate confirmabant, Hylarij, dicentis, quòd, res naturæ, & natura non sunt idem; nàm sic, minorem addebat, res naturæ diuinæ est persona, & essentia est natura diuina; ergo essentia, & persona nõ sunt idem: Verùm certè, peruersi Hæretici, pia diligentia, scripturæ circunstantiam, non intelligunt; quoniam, sine difficultate aliqua, concederent, quòd persona est idem realiter cum essentia; quamuis ipsę personę realiter distinguantur: nàm, persona est relatio subsistens in diuina natura, ideò, ad diuinam naturam comparata, re non differt; sed ratione tantùm; quę tamen ad oppositam relationem relata; realem habet distinctionem, ex vi oppositionis realis. Vnde sequitur, quod essentia diuina, eodem modo absoluto, & non melius, nec perfectius est in tribus personis; sed non eodem modo relatiuo: quia est in Patre, vt non accepta; in Filio vt accepta; per generationem; & in Spiritusancto, accepta est per processionem: quòd si essentiæ diuinæ perfectio, inquantùm fęcunda est, requirit esse à Patre in Filio; non tamen, inquantùm vna, hoc requirit. Sed peruersi Hæretici, & potissimum Porretani, hec piè non intelligẽtes; nec etiam percipere potuerunt, quomodo res potest accipi essentialiter, & personaliter: quia tunc, facilè potuissent intelligere, quòd, res essentialiter accepta, est vna tantùm; quę nec genuit, nec genita est; nec est Pater, vel Filius, si Pater, & Filius adiectiuè sumatur, & personaliter sumpta essentia diuina, non est tãtùm vna res, sed tres; quarum vna est generans, altera genita; & tertia procedens; quamuis essentia, neque generans sit, neque genita, neque procedens. Quamobrem, Hilarij verbum, in creaturis intelligendum esse, & non

non in diuinis, vbi natura, & res naturæ. sunt idem; rectè iudicassent: cum præsertim, de creaturis extra ab ipso Hilario fuerint apposita; iusta quorum mensuram, profectò (vt ipsemet subiunxit) non est idem Deus, & quod Dei est; cuius tamen oppositum catholicè asseritur; & ipse apertè docet, dum inquit, quòd Deus, non est aliud ab his, quæ sibi insunt. i. ab attributis, & personis; sed benè est aliud ab his, quæ sibi non insunt. i. à creaturis. Ex quibus, patet solutio rationis oppositæ; quoniã, ratione distinguuntur essentia, & hypostasis; & generans, & genitum in substantia conueniũt; & non in personalitate; licèt enim eadem essentia, sit in Patre, Filio, & Spiritusancto, non tamen eodem modo: & ideo; multiplicantur personæ, & non essentia: nam, relationes ipsę, non distinguuntur ad inuicem, secundùm quod sunt realiter idem cum essentia, propter quam indifferentiam suppositi ad naturam; persona, æqualis est simplicitatis cum natura; & verè conuersim prędicantur, essentia de persona, & persona de essentia; licèt, quantùm ad modum significandi, plus habeat de proprietate, propositio, in qua prædicatur essentia: quia sic, prædicatũ se habet loco formæ. At, hoc in loco, oritur (inquit Magister) difficultas. An. s. sicut tres personæ dicuntur vna essentia, & vnus Deus; sic liceat conuersam prædicare, vt vnus Deus trium personarum, & tres personæ vnius Dei. Ad quod breuiter Respondet, quod vsitata locutione nõ conceditur; cuius ratio esse potest; quia, tũc significaretur Deus in aliqua principij habitudine, respectu personarum; quasi Deus principium esset illarum: sicut quia est principium aliorum, Deus dicitur Abraam, Isaac, & Iacob; & Deus omnis creaturę; nec valet instãtia de nomine essentiæ; quæ conuertitur, dicendo, vna essentia trium personarum; quia, alius est modus significandi nomine essentiæ, & alius nomine Dei; cum essentia non significet, in ratione principij effectiui, sicut Deus: pręterquam quod, in huiusmodi locutionibus sacræ Scripturæ, vsus sẽper emulãdus proponitur, vbi numquàm legisse occurrit, vnũ Deum trium personarum; vel tres personæ vnius Dei. Rectè ergo dicitur vna essentia trium personarum; & tres personæ vnius essentiæ, tùm quòd, sacra Scriptura hoc vtitur modo loquendi, tùm quia, essentia, in diuinis significatur, vt forma trium personarum; & in his creatis, forma dicitur esse suppositi; & suppositum formæ, si tamẽ appositum sit adiectiuum, determinans formã: sicut enim non dicitur, mulier est pul-

chri-

chritudinis; sed mulier est egregię pulchritudinis, vel formæ; sic absolutè non dicitur persona est essentię; sed requiritur aliquid, ad designationem formę, & essentiæ; vt, Pater est persona diuinæ essentiæ, & tres personæ sunt vnius essentiæ. tamen, cauendum est, ne dicamus personas esse ex essentia, vel de vna essentia. Quoniam, ex, vel, de, denotant circunstantiam causæ extrinsecæ, vt efficientis, vel materiæ; quæ causæ in omnibus distinguūtur ab his, quorum sunt causæ: quia nihil est sua materia, nec aliquid est suum principium actiuum. Et hęc de prima parte distinctionis dicta, sufficiant. In secunda, quam breuiter explico, comparat Magister essentiam ad personas, quantùm ad appropriationem; & duo deinde incidenter determinat. Comparatio in hoc consistit, quòd ea, quæ de Deo secundùm substantiam dicuntur, quæ communia sunt, omnibusq; tribus personis pariter conueniunt, singulis personis determinatè appropriantur: vt potentia, sapientia, & bonitas; quę vnum, & idem penitus sunt in Deo; ac æqualiter tribus personis conueniunt; distinctè tamen, ad personas referuntur, vt Potentia Patri, Sapientia Filio, & Bonitas Spiritusancto. Cuius rei ratio, (vt dist. 31. dicebamus) potest esse, propter appropriatorum cum propriis assimilationem; sic enim facilius in cognitionem diuinarum personarum deuenimus. nam, Patri, tribuendo potentiam, rectè competere videtur, quod sit totius Diuinitatis fontale principium: Filio, tribuendo sapientiam, processionem per modum intellectus, qui sapientia perficitur, illi conuenire credimus; & sic, per bonitatem, Spirituisancto appropriatam, ipsum per modum voluntatis, cuius obiectum est bonitas, procedere, ex parte cognoscimus; cum præsertim potentia, secundùm rationem intelligendi, præcedat sapientiam, & vtrumq; bonam volūtatem, in qua maximè rerum intellectualium bonitas consistit; sicut & Pater in diuinis, secundùm rationem intelligendi, pręcedit Filium, & vterq; Spiritumsanctum. Ratio tamen attributionis huius in litera à Magistro assignata est, propter erroris exclusionem: vt, Patri ęterno omnipotentia est attributa, ne more carnalium, propter antiquitatem crederetur impotens: Filio, appropriata est sapientia, ne instar mortalium, ratione, iuuentutis, putaretur insipiēs; & Spirituisancto bonitas attribuitur, ne sicut in creaturis, nomine Spiritus, importatur rigiditas, & inflatio, & impetus; sic ipse existimaretur crudelis. Quamobrem, iurè hæc tria, tribus personis sunt

attributa, quamuis potentia, ſapientia, & bonitas, vna ſit trium; ſicut vna eſt eſſentia: Quo in loco additur à Magiſtro, quòd ſicut Filius dicitur cōſubſtantialis Patri, ſic & homouſios rectè dici poteſt; quia nomen hoc, licèt propter malum hęreticorum vſum, in Concilio Ariminenſi, fuerit damnatum, poſtea, tn̄ pręualente fide, ab omnibus catholicis eſt receptum, ſicut ab antiquis primò fuerat conceſſum; & nil aliud ſignificat quàm conſubſtantialitatem. Vltimò, quoniam loqui de Deo ſecundùm ſimilitudinem corporalium, ad diuina intelligenda non nihil prodeſt, eò quòd (vt habet Philoſophus) innata eſt nobis via, à nob. notis ad nota natura, dicente etiam Apoſtolo; Inuiſibilia Dei, à creatura mundi, per ea, quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; Animaduertit nos Magiſter, vt in his, quæ de Deo tranſlatiuè, & ſecundùm ſimilitudinem dicuntur, ſimilitudinis rationem conſideremus; & iuſta Hilarij præceptum, ex cauſis dicendi, dictorum intelligētiam accipiamus catholicam: illud prẹſertim memoria tenētes, ꝙ ſacra ſcriptura, talia Deo ſecundùm pprietatē non attribuit; ſed ſolùm per quandam ſimilitudinem; quæ in habitudine proportionis, & imitationis, quę eſt effectus ad cauſam conſiſtit; & non in participatione vniuoca eiuſdem formę. Et hîc tractatui de ſanctiſſima Trinitate finis imponitur.

DISTINCTIO XXXV.

- De ſciētia Dei vniuerſaliter, ſecundùm ſe
  - Docet
    - Diuerſas eius acceptiones. A.
    - Illam à rebus ſcitis non pendere
      - Arguendo. B.
      - Reſpondēdo. C.
  - Colligit
    - Omnia ab æterno ſciri à Deo. D.
    - Omnia ab æterno eſſe in Dei ſcientia. E.
    - Omnia ab æterno eſſe Deo præſentia. F.

LECTIO LXXXIIII.

CVNQVE *ſupra diſſeruerimus, &c.* A. Nouam tractationem hîc aggreditur Magiſter: Vbi eius eſt conſilium, quędam Dei eſſentialia tractare, quę ſecundùm extrinſecas operationes,

tiones, sibi competere videntur; quæ quidem tractatio, vsque in finem huius primi Sententiarum, continuāda est; & consistit in speculatione harum trium, scientiæ. s. potentiæ, & voluntatis Dei. Verùm Magistrum aliquis hîc oppugnare posset, atque eum inordinatum esse probare, vt potè, qui prius de scientia, quàm de potētia disputationem habeat; cum tamen è contra facere debuisset; quando Pater, cuius est potentia, prior est origine ipso Filio, cui scientia est attributa: preterquam quòd, in quolibet agēte, ipsa potentia, scientiam, & voluntatem precedere videtur. Cui quidem difficultati, arbitror ita dicendū esse, nempè, hæc à Magistro fuisse disposita, nō vt ipsas diuinas personas respiciunt, quorum sunt attributa; neque vt ad vnum concurrunt effectum; sed inquantùm plura ad extra respiciunt, & amplectuntur: ordo certè conueniēs, & ab Arist. primo naturalis audiētiæ laudatus, dum inquit ab vniuersalioribus inchoandum esse, quod quidem sic se habere, manifestè cognoscitur, illorū vnoquoque considerato; Nàm Dei scientia, bonorum est, & malorum; potentia bonorum tantùm; quia Deus sicut non pati, sic peccare non potest; & tñ, ad plura se extendit Dei potentia, quàm voluntas; quoniam ad ea hæc diffunditur, quæ sunt, vel fuerunt, vel saltem erunt aliquando: illa autem, etiā ad aliqua earum, quę nunquam erunt, quia non volita; quę, quoniam à Deo fieri non repugnat, sub eius potentia maximè continentur. Quarè, optimo consilio, in hac tractatione de scientia, potentia, & volūtate Dei, voluntati pręponitur potentia, & vtriq; tanquam communior, ipsa scientia. Habita autem huius extremę partis intentione, & si à prioribus distincta sit, illis tamen pulchrè continuari potest, in hunc ferè modum; cum enim supra de his, quæ Deo conueniunt secundùm intrinsecas perfectiones tractauerit Magister, vt de vnitate diuinę essentiæ, & trinitate personarum; hîc de attributis essentialibus determinat, quibus creaturarū causalitas ascribitur; secundùm quas cōditiones, attenditur ratio causæ in diuina natura: Vnde etiam, facilis datur transitus ad materiam secundi libri Sententiarum; Vbi de creatione rerum agitur, quarū Deus potentia, scientia, & voluntate, est principiū. Agitur ergo primùm, de sciētia Dei; idq; hac methodo, vt primùm sermo de ea habeatur vniuersalis, deinde specialis; talisq; primò absolutus, postea sit comparatiuus, sicut apertè videbitis. Particula verò distinctionis huius, vbi de sciētia Dei disputatio vniuersalis est,

& absoluta, duas in partes distribuitur. Prima nanq; diuersas sciẽtiæ Dei acceptiones; scientiamq; à rebus scitis nullo pacto pendere docet; in secunda tria distinctè colligit. vt sequenti lectione mõstrabimus. Primum his verbis ita proponit, Cumq; supra disseruerimus, ac plura dixerimus de his, quæ communiter secũdùm substantiam de Deo dicuntur, eorum tamen quædam specialem efflagitant tractatu. quibus verbis disputationem proponẽdo, nobis, Magister significauit hanc tractationem à Prioribus distinctam esse; & statim docet diuinam scientiam ratione diuersorum scitorũ diuersimodè nominari; vt præscientia, dispositio, prouidentia, prędestinatio, & communiter scientia: quę omnia, inferius distinctè tractanda, ex additione se habent ad inuicem: Nam hoc nomen scientia, vel sapiẽtia cognitionem absolutè dicit cum condictione certitudinis; Quamobrem, & temporalium est, & æternorum; sed præscientia addit condictionem durationis, quæ potest esse æternitatis ad tempus: & ideo potest esse solùm respectu temporalium, licèt, tàm bonorum, quàm malorum: Quibus, dispositio, adhuc addit ordinem causę ad causatum in essendo: propter quod est tantùm de faciẽdis. Sed Prouidentia amplius addit ordinẽ causæ conseruãtis, & ordinãtis in finẽ; vnde prouidẽtia ad gubernationẽ pertinere dicitur. At prædestinatio supra prouidentiã, finẽ determinatũ addit; & ideo solùm respectu eorũ esse dicitur; quæ ad gloriã ordinãtur; cuius causa de bonis saluandis esse dicitur. Reprobatio nẽ nõ enumerat hĩc Magister, vel quia cũ sit priuatiuo determinati finis, per oppositũ prędestinationis intelligitur, vel potius, quia cũ sit defectus, & nõ effectus sub pręscientia cõtinetur. Et sic patet, ꝙ vnica, & inuariabilis Dei scientia, propter varios rerum status, diuersis nominatur vocabulis. Ex quibus omnibus verè scientiam in Deo esse dicitur, supponitur, ac infertur: Deus. n. intelligit, atque vita sempiterna est eius intellectio; & cum in eius intellectione beatitudo consistat, si diceremus ipsum nõ intelligere, dicendum quoque esset, ipsum beatum nequaquam esse; id quod ab intellectu humano cogitari non potuit. Partem tamen oppositam verba Aristot. 3. de anima, contextus secundi monstrare videntur; quibus docuit ipsum intelligere in quodam pati consistere; atqui impassibilis est Deus: Idcirco nequaquam intelligit. Præterea, intelligentis perfectio est ipsum intelligere; verùm cum Deus omniũ entium, quę in natura sunt, perfectissimum existat, minimè perfici valet;

valet; idcirco neque fieri potest, vt intelligat. Quoniam autem veritas cū priori opposita parte adheret, ideo hæc, quæ oppugnāt, diluenda sunt: & primū opus est ipsum intelligere, bifariam animaduertere, vel vt ab eo, qui intelligit, realiter, vt in nobis spectatur, distinctum est; vel vt cum eo, qui intelligit, ipsum intelligere, idem secundùm rem, existit; quemadmodum Deo; in quo suum intelligere est substantia, atque sua substātia, sua existit intellectio, contingit: Deinde facilè est obiecta soluere. In primis, dictum Aristot. verùm esse fatemur; sed tamen de intellectione in nobis facta, quæ intelligenti qualitas quædam existit, intelligendam esse censeo, quæ à Dei substantia aliena est: atque eodem ferè modò, secundùm diluitur obiectum, quòd de ea intellectione, quæ ab eo, quod intelligit distincta est, verificatur: minimè verò fieri potest, vt id de Dei intellectione verum sit, quæ non est qualitas, sed eadem realiter cum eo, qui intelligit, existit. Vel ad eadem obiecta dicatis, & fortè clarius, (quæ ex parte, in dicta responsione, continentur) primum quod Ar. ibi loquitur de intellectu passiuo, vel passibili, qui, quoniam non est in Deo, ideo in ipso intelligere nō est pati: præterquam quòd moueri, & pati, eo in loco sumuntur æquiuocè; secundùm quod intelligere dicitur esse quoddam moueri, vel pati: non enim intelligere est motus, qui est actus imperfecti; sed actus perfecti, existens in ipso agente. Prẹterea, quod intellectus perficiatur ab intelligibili, dicendum est hoc conuenire intellectui, qui quādoq; est in potentia: nam duplex est intellectus intelligens, vnus, qui transit de potentia ad actum intelligendi; & talis perficitur intellectione: alius est, qui semper est in actu intelligēdi; & nunquam fuit in potentia, sicut ille diuinus, & talis non perficitur intellectione. Vel etiam, argumento admisso, dicatis quod intellectum est perfectio intelligentis, non quidem secundùm suā substantiam, sed secundùm suam speciem; secundùm quam est in intellectu, vt forma, & perfectio eius: lapis enim non est in anima; sed species eius: Vndè cum ea, quæ sunt alia à Deo, intelligantur ab ipso inquantùm essentia eius continet species eorum; non sequitur, quòd aliquid aliud sit diuini intellectus perfectio, quam ipsa essentia Dei. Verùm nodus hic quidam soluendus, proponit ipse Magister, quoniam si in Deo intellectionem esse admiserimus respectu eorum, quæ alia sunt à se intelligēte, sicut etiā Dei scientiā, vt est rerum creatarū causa, hîc cōsiderari diximus dubitatur. An,

ſi nulla eſſent, vel fuiſſent futura, Adhuc in Deo concedenda eſ-
ſet ſciētia,& præſertim pręſciētia, vel diſpoſitio, vel prędeſtinatio.
Cum enim omnia iſta relatiuè dicantur per reſpectum ad futura,
his non exiſtentibus,nec illa in Deo admittenda videntur: Verun-
tamen,ex altera parte, cũ pręſcientia Dei idem ſit quod eius ſcien-
tia;& ſcientia Dei idem ſit quod eſſentia ipſius, De primo ad vlti-
mum ſequitur omnia hæc eſſe in Deo; quamuis nulla fuiſſent futu
ra,quoniam nulla creatura exiſtente Deus eſſet. Ad quam difficul
tatem reſpondet ipſe Magiſter,quod ſi nulla fuiſſent futura adhuc
eſſet in Deo ſcientia; ſed non præſcientia,non diſpoſitio, non pro
uidentia,nec prędeſtinatio; nam inquit tolleretur præſcientia Dei
quantùm ad reſpectum,& anteceſſionem,quam importat ad futu
ra; ſed non quantùm ad eſſentiã,quæ tali reſpectu ſubiicitur: cum
enim ſcientia,& præſcientia,& alia dicta, nomine differentia, idē
omnino ſint in Deo;& ſolum ad ſcientiã reſpectum addant; abla-
to reſpectu,ſcientia maneret,quæ Deo ab æterno competit;& con
ſequenter ab his rebus ſcitis, nequaquam pendet; Quæ omnia ex
prima huius diſtinctionis parte à nobis ſunt collecta.

LECTIO LXXXV.

SCIENTIA *vero vel ſapientia non tantum de temporalibus: ſed etiã de æternis eſt, &c. D.* Quoniam in ſuperiori diſtinctionis
huius parte,docuit Magiſter,quod vel non exiſtētibus rebus
creatis,ſcientia Dei eſſet,nō minus,quàm ipſe Deus;In hac ſequen
ti tria hæc colligit, nempè omnia ab æterno,& ſciri à Deo, & eſſe
in Dei ſcientia,atque Deo, ab æterno, eſſe pręſentia. Nam ſi Dei
ſcientia eſt æterna, & eſt ipſe Deus; & per conſequens inuariabilis
eſt, & immutabilis; optimè ſequitur, quod Deus ab æterno ſciuit
æternum,& omne,quod futurum erat. Et hoc maximè,quia om
nia dicuntur eſſe in Deo; & vita ſunt; inquantùm in eius ſcientia
ſemper ſunt,quę vita eſt,& eſt ipſe Deus;Ex quo etiã rectè infertur,
omnia ab æterno,Deo eſſe pręſentia,quoniam actu cognoſcit om-
nia,& circa actũ ſuæ cognitionis ſemper eſt pręſentialitas. Quam-
obrem rectè dici poteſt omnia nuda, & aperta eſſe oculis eius. Et
quoniam res conditæ temporales ſunt, & conſequenter mutabiles
contingentes,& corruptibiles; à Deo, à quo ſēper imperfectio om
nis eſt remouenda,æternaliter, immutabiliter,ineſabibiliter,& in-
creatè

createè omnia intelligũtur. Vndè duplex esse habẽt; Alterũ ad extra multis imperfectionibus subiectũ; & alterũ ad intra, omnibus modis pfectũ. Deus igitur sciẽs est, & semetipsum, atq; alia intelligit; eiusq; intelligere eius est substãtia; vt hac, & pręcedẽti lectione accepimus. Auuerr. tamen 12. diuinorũ cõmentario 51. nihil aliud à se ipso Deũ intelligere putauit, qm̃ nihil (inquit) eorum, quę sunt extra intelligit Deus; melius. n. ei est nõ videre, quàm videre. Sed (vt vera dicã) si ea quę ab ipso ꝓponũtur diligẽter aduertamus, re ipsa in idẽ nobiscum coincidere palàm erit. ꝙ vt intelligatur, animaduersione dignũ est; nõ idẽ esse dicere, Deum aliud à se ipso, & aliud extra seipsũ intelligere: Deus. n. profectò (vt Aristotelis est sẽtentia, quã Auerr. insequutus fuit) extra se nihil intelligit: sed suã essentiã, & reliqua oĩa, quę in ea relucẽt, intelligit: quę vniuersa cũ in sua essentia pręstãtiori, ac digniori modo, quàm in se sint, resplẽdeant; ea quoq; perfectiori quodam modo, quàm in propria essẽtia, res ipsæ sint, intelligit: Nam in hunc ferè modum res ipsa intelligẽda est, vt essentia diuina, primo intellectum diuinũ pro eius intellectione quodãmodo moueat: deinde verò cũ Deus ipse oĩa sit, pro omniũ intellectione essentiã diuinã, diuinũ intellectũ mouere, credendum est: Quarè extra se nihil intelligit Deus, sed aliud à se ipso, vt tamen in se ipso existit; nempè alia mundi entia, quæ in ipso splendent, credẽdum est hunc in modũ Auerr. & alios intellexisse: non enim bouem, ac leonem exterius, sed in se ipso existentem cognoscit. Quamobrem non sequitur, cum vilia intelligat, vilescere; quoniam Deus (vt dictum est) aliud à se intelligendo, extra se non intelligit. Verùm in hoc ab Auerroe dissentimus, quod Deum omnia cognoscere, solùm vt communicant in esse, ac (vt dicitur) in vniuersali, inquantùm. s. cognoscit se, vt est primum essendi principium, falsò est opinatus: tunc. n. esse Dei, non esset omni modo perfectum, cũ eius esse sit intelligere; siquidem deesset illi hic modus perfectionis, quo, videlicet, attingeret ad ea, quę sunt propria singulorum. Idcirco sciendum est, quòd Deus non solùm cognoscit res esse in se ipso; sed per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura: & tantò perfectius, quantò perfectius est vnumquodque in ipso: Cum enim essentia Dei habeat in se quicquid perfectionis est in quocunque, & amplius; ad aliaq; se habeat, vt actus perfectus ad imperfectos; vt homo ad animal; sequitur quod cognoscendo se, omnia alia propria cognitione cognoscat;

cognoſcat; alioquin non cognoſceretur quocunq; eſt participabilis ſua perfectio; nec conſequenter perfectè cognoſceret ſe ipſum: Vnde nec in ſe perfectionem omnem contineret. In ſe ipſo igitur videndo lapidem, vidit lapidem ſecundùm omnes modos eſſendi, quos habet, & habere poteſt. Sed quoniam tota diſſentio in hac difficultate verſatur circa modum, quo Deus iſta cognoſcit; quomodo.ſ. poſſit eſſe, quod in vno obiecto cognito omnia cognoſcat: cum propria cognitio non habeatur de re, niſi per propriã eius rationem, & idem non poſſit eſſe propria ratio multorum, & diuerſorum. Scire debetis quod (vt habet D. Tho.) eminens perfectio diuinæ eſsẽtiæ ſufficit ad omnia in propria natura diſtinctè cognoſcenda: & ideo cum dicitur quod idem non poteſt accipi, vt ratio diuerſorum; verum eſſe, dicatis, per modum adęquationis: At diuina eſſentia eſt aliquid excedens omnes creaturas; idcirco poteſt accipi, vt propria ratio vniucuiuſque, ſecundùm quod diuerſimodè eſt participabilis, vel inuitabilis à diuerſis creaturis. Vt autem difficultates omnes, in hac materia contingentes, & percipere, & ſoluere facilè valeatis; nequaquam credendum eſt Deum ſicut nos ſcientem eſſe; quoniam ſcientia in Deo altiori modo eſt, quam in homine, vel in Angelis. Siquidem Theologorum eſt regula, memoria ſemper cuſtodienda, quod quandocunque aliqua perfectio creaturæ, tribuitur Deo, tunc ſecludendum eſt omne illud, quod pertinet ad imperfectum modum, quem habet in creaturis. Vndè ſcientia, quæ in nobis eſt qualitas, & eſt vel vniuerſalis, vel particularis, & in potentia, vel in habitu: in Deo eſt ſubſtantia, & ſolùm in actu: cum enim conditiones ſcientiæ præcipuè attendantur ſecundùm rationem medij; quoniam diuina eſſentia, nec vniuerſalis eſt, nec particularis, nec in potentia, vel in habitu; ſimiliter eius ſcientia talis erit. Nam diuina eſſentia, licèt vna, & nõ diuiſa tribus diuinis perſonis omnino ſit communicabilis, tamen vniuerſalis dici non poteſt, quia omne vniuerſale eſt potentiale, cum ſit terminabile; nec particularis; quia principiũ particularitatis eſt materia, vel aliquid loco eius: & ſimiliter à diuina eſſentia omnis potentia paſſiua, vel materialis remota eſt cum ſit actus purus: propterquod nec etiam ratio habitus ſibi competit; quia habitus non eſt vltima perfectio, ſed magis operatio, quę perficit habitũ. Atque eadem ratione ſcientia Dei non eſt dicenda diſcurſiua: licet enim vnum tantùm intelligere ſit in Deo, tamen in illo vno contingit

multa

multa intelligere; quoniam scientia sua est sicut in termino discursus; cum videat effectus suos in se ipso, sicut in causa; nam videt Deus omnia in se ipso omnium causa, sicut etiam nos simul multa cognoscimus, si in aliquo vno ea intelligimus; sicut partes in toto; vel si diuersas res videamus in speculo: quod si effectus causarũ creaturarum videt Deus in ipsis causis, certè multò melius, quàm nos, videt; & non quod cognitio effectuum causetur in ipso ex cognitione causarum creatarum, sicut in nobis. Vnde etiam colligere debetis, quod diuina scientia non est vniuoca scientiæ nostrę; quoniam Deo, & creaturis nihil est commune vniuocum; quando quidem omnia vniuocata habent esse distinctum ab essentia; Analogicè tamen, scientia dici de Deo, & creatura, negandum nõ est; secundùm quod creatura imitatur Deum, quãtum potest, nec perfectè ipsum assequitur. Et hęc de scientia Dei in vniuersali pro distinctione 35. dicta sint.

DISTINCTIO XXXVI.

De sciẽtia Dei in generali cõparãdo res scitas ad Deũ sciẽtẽ
- Docet
  - Omnia esse in Dei scientia, licèt non omnia in Dei Essentia. A.
  - Mala non esse in Deo quamuis ab ipso cognita. B.
  - Bona esse in Dei scientia, & essentia. C.
- Exponit
  - Mala non esse in Deo, quia nec per ipsum, neque in ipso sunt. D.
  - Eodem modo scita esse in Patre, Filio, & Spiritu sancto. E.
  - Omnia esse ex Deo, non autem omnia de Deo. F.
- Epilogat, quæ dicta sunt. G.

LECTIO LXXXVI.

SOLET *hic quæri cum oĩa dicantur esse in Dei cognitionẽ, &c.* A. In hac distinctione 36. non est quod dubitemus de intentione Magistri, quoniam ex primis eius verbis, clarissima apparet: Inquit enim disputandũ esse, quomodo creaturæ sint in Deo, quod quidem distinctioni præcedenti sic continuatur, quoniam cum ibi ostensum sit Deum omnia cognoscere; atque idcirco omnia

nia

nia in Deo esse, quęrendum, & sciendum consequitur, quomodo cognita sint in Deo cognoscere. Et est occasio quęrendi hoc, quoniam ex eo, quod scientia Dei, est idem quod eius essentia, sequi videtur, omnia esse in essentia; sicut in eius scientia esse concedũtur. Nam quandocunque aliqua duo sunt pœnitus idem, quicquid est in vno, necessariò est, & in altero. Quamobrem iurè inuestigandũ sibi proponit Magister, An concedendum sit, vel non, omnia esse in diuina essentia, vel in Deo per essentiam. Et tria facit, primò .n. docet, secundò exponit, tertiò epilogat. illud autem, quod primò docet, est, omnia esse in Dei scientia, quamuis nõ omnia sint in eius essentia; quod quidẽ ratione, & authoritate persuadere nititur Magister, ne fortè creaturas eiusdem essentiæ cum Deo esse arbitraremur: Authoritate (quæ est Augustini) eligendos habuit Deus, apud semetipsum, non in natura sua; sed in præsentia sua, & in scientia: licèt enim idem sit Dei scientia, vel præsentia cum essentia eius (vt D. Thom. 1. p. q. 14. 4. optimè probat) ratione tamen vel modo significãdi distinguuntur, quia sciẽtia dicit respectum, & essentia absolutum; ideo potest aliquid negari de vno, quod affirmetur de alio. Quod etiam vt clarius percipiatur, prænotanda sunt aliqua; & primùm non esse dubitandum omnia esse in Deo, quoniam non solùm Theologi, sed & Plato, qui docet Deum esse causam effectricem, & creatricẽ totius mũdi; In Deo omnia esse, vt in sua causa cõcederent. deinde notandum quod aliud est esse in scientia Dei, aliud in Deo, & aliud in Dei essentia; nam (vt docet hìc D. Th.) esse in scientia, non est aliud, quàm cognosci per scientiam; Vnde quia omnia à Deo cognoscuntur, tàm bona, quàm mala in Dei scientia esse conceduntur. At esse in diuina essentia est subsistere in natura diuina, vel esse idem naturæ diuinæ, quia essentia significat per modum formæ, vel naturæ; & ideò solum personæ diuinæ. proprietates, & attributa in Dei essentia esse dicuntur: Esse verò in Deo, quia nomen Deus significat rem subsistentem, cuius est esse, & operari; potest intelligi dupliciter, vno modo pro eo, quod est in Dei esse; & sic creaturæ nõ sunt in Deo. alio modo pro eo, quod est in eius opere, quod. s. operi eius subiacet; & sic creaturæ oẽs in Deo esse dicuntur, sicut opera, quorum Domini sumus, in nobis esse dicimus. Ex quo colligitur mala in Deo esse nõ posse; quia à Deo non sunt, nec operantur. Amplius quia propositio, in, vel dicit inhærentiam; vt color in subiecto esse dicitur; vel

causa-

causalitatem significat; vt effectum in causa dicimus; profectò res in Deo, affirmantur, non secundùm inhęrentiam, sed secundùm causalitatem; vel sit efficientis, vel formalis, vel finalis: non enim sunt res in Deo secundùm actualem existentiam, hoc est, secũdùm esse, quod habent à sua causa, & extra illam; sed (vt docet D. Bonauentura hoc in loco. q. 1.) in Deo sunt, secundùm præsentiam obiecti. i. secundùm esse ideale; & secundùm creatiuam potentiam. i. vt in sua causa. At instat aduersarius, quòd Deus esset compositus, si creata hęc essent in ipso; quia omne illud est compositum in quo est aliquid ab eo diuersum. Nec quiescit cum dicitur quod creaturæ in Deo identificantur illi, quia non sunt ibi, vt in propria natura, sed secundùm similitudinem: immo addit, si sunt in Deo, necessariò in eo esse, vt in propria natura; quia in ipso proprias habẽt operationes; vt viuere, & sentire: dicentibus D. Paulo, in Deo viuimus, mouemur, & sumus; & D. Ioanne; quod factum in ipso vita erat. Aduersario tamen Respondet D. Tho. 1. p. q. 18. 4. ad. 1. quòd cum creaturæ sint in Deo, vt in causa, & vt in cognoscente; in Deo viuimus, mouemur, & sumus, quia nostrum esse, nostrum moueri, & nostrum viuere, causatur à Deo: atque in ipso vita sumus, quia essentia diuina est vita; & quæ in Deo sunt, vt in cognoscente, non sunt aliud ab essentia diuina: Siquidem cum in Deo idem sit intellectus, quod intelligitur, & ipsum intelligere eius; sequitur, quod quicquid est in Deo, vt intellectum, est ipsum viuere, vel vita eius; intelligendo semper de his, quæ intelliguntur à Deo per se. vt excludãtur mala, quæ sũt intellecta per aliud. s. per bona. Verum hîc dubitant Scholastici, An creaturæ, quarum duplex supponitur esse, verius sint in propria natura, quàm in Deo. Siquidem ad vtranq; partem adsunt rationes non infirmæ: Quod enim verius esse habeant in Deo, sic probatur à D. Th. verius est esse Creatoris, quàm creaturæ; sed creatura in Deo habet esse Creatoris, & in propria natura habet esse creaturæ, ergo verius esse habẽt in Deo, quàm in propria natura. Præterea (& erit quasi probatio maioris præmissi argumenti, quãuis ab ipso Magistro superius sit accepta) Omne quod est in aliquo, in eo est, per modum eius, in quo est; & non per modum sui, ergo res, quæ sunt in Deo, ibi sunt secundùm esse Dei, quod est esse increatum, & nobilius omni esse creato: ergo res creatæ verius esse habẽt in Deo, quàm in propria natura. cuius tamẽ oppositum sic comprobatur. Res vbi est simpliciter ibi est

S verius,

verius, quàm vbi est secundùm quid; quod est esse diminutum; sed res, simpliciter sunt in propria natura, & secundùm quid in Deo; quia secundùm esse cognitum. ergo verius sunt in propria natura, quàm in Deo. Præterea, res in Deo sunt secũdùm similitudinem, & in propria natura secundùm esse ẽtiam; quis ergo dicere præsumpserit res verius esse in Deo, cum hoc sit dicere, quod similitudo rei sit verior ipsa re? Amplius, verius dicitur esse id, quod est in actu, quàm quod est in potentia; sed res in propria natura, sunt in actu; in Deo sunt in potẽtia; puta sicut artificiatum in artifice: ergo dicẽdũ, quòd res verius esse habeant in propria natura, quàm in Deo. Quibus tamen nõ obstantibus cõcorditer asserunt Theologi, res in Deo veriorem esse obtinere. Difficultas autem nõ leuis est in modo intelligendi; quia hoc diuersimodè à diuersis exponitur. Nàm habet D. Thom. quod res secundùm rei veritatem, verius sunt in Deo; & secundùm veritatem prædicationis, verius sũt in se ipsis; quia homo verius prædicatur de re, quæ est in propria natura, quàm de veritate, quæ est in Deo; Quod tamen dictum obscurum videtur, quando veritas prædicationis veritatem sequitur rei; nam, ex Aristotele, prędicationes verę sunt, quoniam res ita se habent. Quod si dicamus res in Deo nobilius esse habere, & verius in se ipsis; difficultati pęnitus non satisfacimus. Fortè tamen dici poterit res, esse simpliciter, verius habere in Deo; sed esse tale, verius in propria natura, & in hoc sensu poterit exponi, & defendi D. Th. sententia. vel saltem cum D. Bonauentura dicamus, quod res, verius esse habent in propria natura, quam in Deo, si comparetur res ad se ipsam secundùm diuersum modum existendi; vt quærendo, An res verius esse habeat in Deo, quàm in mundo. Sed si comparatio fiat rei ad suam similitudinem, vt An lapis verius esse habeat in se, quàm eius similitudo, quæ est in Deo; tunc verius esse habet in Deo; quàm in propria natura; quia similitudo in Deo est Deus; in creatura, quid productum. Et per hoc patet ad rationes, pro vtraq; parte. Nam res, in Deo esse dicuntur, secundùm quid, secundùm similitudinẽ, & in potentia, respectũ nostri, & secũdùm quod ad res, quæ sunt in mundo referuntur; cuius oppositum verificatur, si in se considerentur, & secũdùm quòd sunt in Deo; quia sic sunt ipse Deus. sicut etiam (quod ad huius rei confirmationem facit) habet August. in lib. 15. de Trinitate. c. 12. quod similitudines rerum in intellectu creato, verius, & nobilius habent esse,

quam

quàm res in vniuerso: non ratione eius quod sunt, sed ratione eius in quo: quia sunt nobiliori, & spirituali ori modo similitudines in intellectu cognoscente, quàm sint ipsę res in mundo contentæ.

LECTIO LXXXVII.

POST *prædicta quæritur, &c. B.* Dum de scientia Dei in generali, res scitas, ad Deum scientem cōparando, tractaret Magister, omnia in Deo esse per cognitionem; quamuis nō per naturæ essentiam (vt audiuistis) apertè docuit. Nunquid igitur eodem modo sunt in Deo mala, sicut & bona? Bona enim, & mala cognoscit, quia Deum nihil omnino præterit. Hoc est, quod nunc sub dubio proponitur à Magistro, vt doceat bona quidem esse in Deo, sed mala nequaquam. Verùm, cum hîc vlterius dubitēt Scholastici, An Deus mala cognoscere possit, quādo omnis scientia, vel est causa sciti, vel causatur à scito; & omne, quod cognoscitur, vel per suam similitudinem, vel per suum oppositum cognosci solet; Nos altius exordiendo, mali naturam, & essentiam, quæcunque sit, primùm breuiter adnotabimus. Malum igitur, quod malum est formaliter, non falsò, nihil esse dicemus; quoniam natura omnis, omneq; ens, bonum esse verè affirmatur, iuxta illud. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona; sic tamen nihil esse putamus, quod & ab ente, & non ente, simpliciter, distare credimus, sicut priuatio; & nō sicut habitus, vel pura negatio; nam malum propriè dicitur priuatio, vel absentia debitæ præsentiæ boni; quæ certè, in auersione à Deo consistit: vndè peccatum, auersio dicitur à Deo; quæ, per D. August. voluntas est consequendi, seu retinendi, quod iustitia vetat; vel sit hoc formaliter, vt, quando voluntas non vult finem aliquem, vel virtualiter; vt quando nō vult medium, ad finem consequendum necessarium. Et hoc malum, est in rebus, & consequenter in bono, vt in subiecto; non vt ens, sed sicut corruptio in actu exercito. i. vt rei remotio formalis: & est in alio bono, ab illo, cui opponitur, quia subiectum cecitatis, non est visus, sed animal; alioquin, Dialecticorum regula, quæ, contradictoria simul esse non posse, determinat; falsa reperiretur: Quocirca, ad rem accedentes, Deum cognoscere mala consequitur, per cognitionem boni; quia malum est priuatio boni (vt diximus) & re-

ctum (vt nostis) index est sui, ac obliqui: & cõfirmatur sic, Deus perfectè cognoscit omnia bona; ergo scit omnia, quæ possunt illis accidere, ergo scit mala. sunt enim quędam bona, quibus accidere potest, vt per mala corrumpantur, Deo hoc non impediente. sicut igitur tenebræ cognoscũtur per lumen, sic Deus malum cognoscit per bonum, cuius est causa, cuiq; malum est oppositum. Et tunc, ad principale propositum; quia Deus omnino cognoscit bona, qualiter mala non cognoscit, Respondet ipse Magister bona quidem esse in Deo, mala verò nequaquam; idq; probat hunc in modum, Illa tantùm sunt in Deo, quorum Deus est principium, & finis; sed Deus, malorum non est principium nec finis, ergo mala non sunt in Deo. Quod si inferatis, ergo creaturæ non essent in Deo ab æterno; quia earum, Deus non est principium, ab æterno; cum ab ęterno non existant. Respondetur, quòd creaturę sunt ex Deo ab ęterno secundùm aptitudinem, quamuis non secundùm actum; sed quia mala, nec etiam secundùm aptitudinem, sunt ex Deo, in Deo nullo modo esse conceduntur: Et si fiat instantia, Cognitum est in cognoscente, mala à Deo sunt cognita, ergo mala sũt in Deo. Dicatis, quòd maior propositio, de his, quę per se cognoscuntur, debet intelligi, & tunc, falsa est minor; quia mala (vt dictum est) per aliud, hoc est, per bona cognoscuntur. Vndè, dicit Magister, quod Deus mala cognoscit de longe; bona autẽ propè, dicente Propheta: Alta à longè cognoscit. i. superbiam. Imo ipse Propheta, peccata Deo abscondita esse dicit, videlicet. De abscon ditis tuis adimpletus est venter eorum; quoniam mala, notitia sim plici à Deo sunt cognita; bona uerò, notitia etiam approbationis; mala enim per negationẽ, & bona per beneplacitum, & approbationem cognoscit. Hęc autẽ ut copiosius intelligantur, in secũda huius distinctionis particula, facilè à Magistro exponũtur, Nàm primùm D. Ambrosij testimonio inquit, idem significari idemq; esse, quod habet D. Paulus ad Rom. c. 2. ex ipso, per ipsum, & in ipso sũt omnia. Quamobrem, ad illud, quod immediatè dixerat, confirmandum, sic arguitur. Mala non sũt ex Deo, neque per Deũ, ergo, neque in Deo; & valet cõsequentia; quia hæc tria, ex ipso, per ipsum, & cum ipso. vnum sunt; Et statim, vlterius exponens hoc dictum Pauli, illud inquit, per intellectum, appropriari posse singulis tribus personis; vt omnia sint ex Patre, idest à Patre, in initio; in progressu per Filium; & in termino secundùm Spiritum san-

sanctum; Attamen addit; hæc tria, omnibus diuinis personis con uenire, sicut appropriata, omnibus tribus personis conueniunt. Verùm, dicet Aduersarius, si hæc tria ex ipso, per ipsum, & in ipso eandem vim habent, certè verborum erit inculcatio, omniaq; erũt in Patre, omnia in Filio; & omnia in Spiritu sancto; atq, omnia per ipsos; ac ex ipsis. Cui respondet Ricardus de media Villa, quod quantùm ad id, quod significant, eandẽ vim habent; nec tamen verborum est conculcatio, quia idem diuersimodè important, secundùm rationẽ intelligendi; nam, ex ipso, dicit principium primum, per ipsum, principium sufficientissimũ, & in ipso, principium dicit maximè infinitum: Vndè significatur, quòd Deus est principiũ primum, & sufficientissimum, & infinitissimum. At quantùm ad ordinem, quẽ connotant propositiones huiusmodi, secundùm diuersas habitudines; diuinis (inquit) appropriantur personis. Ex ipso enim rationẽ habet principij primi, & ideo Patri, qui est prima in Trinitate persona, appropriatur; per ipsum, rationem habet medij; & ideo Filio, qui est media persona, appropriatur; & quia in ipso dicit rationẽ vltimi, Spiritui sãcto est appropriatum. Quoniã verò, sicut trium personarũ vna est essentia, sic earum vnus est intellectus, vnaq; mẽs; idcirco, omnia eodẽ modo in Patre sũt, in Filio, ac in Sp. sancto, v3. secũdùm cognitionẽ, & causalitatẽ; loquẽdo de bonis: sunt. n. res in Deo, vt in causa; & ob id in essẽtia, sm̃ quod cõprehẽdit appropriata. Amplius, omnia sic ex Deo, esse, intelligendum exponit Magister, quòd illa de Deo esse nõ intelligamus: siquidem, cum dicitur aliquid esse ex aliquo, efficiẽtia sola notatur, cũ vero dicitur, aliquid de aliquo; nõ efficientia solùm, sed & cõsubstãtialitas significatur; propter quod creaturæ ex Deo esse, & nõ de Deo rectè dicuntur. Quarè epilogat Magister, bona, & mala à Deo cognoscuntur; sed bona tantùm in Deo esse dicuntur, quia etiã ex ipso sunt; quamuis non de ipso; quia aliud ab ipso sunt.

LECTIO LXXXVIII.

DE Ideis, habenda est hodie à nobis disputatio, quæ & quid sint, & quotum explicetur; vt quomodo res creatæ à Deo cognoscantur, ac in ipso sint, (quod superioribus lectionibus est determinatum) facilius, ac firmius teneatur. Nàm (quòd iurè præmittitur) in mente Diuina, Ideas ponere neces-

necesse est, non solùm propter Sanctorum Patrum authoritatem; sed etiam propter rationem; vt.s.idem, exemplar sit eius, cuius dicitur forma; & sit principium cognitionis ipsius, eo modo, quo formæ cognoscibilium, obiectiuè in cognoscente existentes, principia cognitionis ipsorum cognoscibilium dicũtur; & non, quòd ipsa sit ratio cognoscendi, vt species intelligibilis. & formatur sic; Omne agens per intellectum, habet pœnès se rationem rei fiendæ, quam cognoscit; & iuxta quàm, exemplariter rem producit; (vnde etiam 7. Met. dixit Arist. quòd ab arte fiunt, quorum species est in anima; vt sanitas in materia, fit à sanitate in anima, & arca similiter) sed Deus, agens est per intellectum, & artem; quia mundum casu non fecit, ergo similitudinem formæ, quòd in se præhabeat, oportet; licèt, autem, aliquando in agente creato eius idea sit extra ipsum, & ab ea accipiat artifex formam, qua agit; Vnde rationem finis habet quodãmodo: Non tamen conueniens est, ponere Deũ agere propter finem alium à se; aliundeq; accipere, vndè ad agendum sit sufficiens. Quocircà, ideas in mẽte diuina tantùm, & nõ extra Deũ, ponere licet. Quid igitur est Idea? Prænotandum (ne accidat error) quòd hæc nomina, Idea, ratio, sapientia, ars, exemplar, similitudo, & causa primordialis, vnũ, & idem sunt, ac significant; & ratione differunt; res enim eadem, vt alicuius formam explicat, idea dicitur: vt finem ad quem est condita respicit, dicitur, ratio: vt certam, & infallibilem representatę rei cognitionem dicit, sapientia vocatur: vt verò agentis operationem concernit, ars nominatur: exemplar, vt in primo est agente; similitudo, vt representatiua; & causa primordialis, vt omniũ productiua. Quorum. hæc tria. exemplar, sapientia, & ars; quoniam Dei mẽtem, quæ vna omnino est, in se respiciunt; non multiplicantur; sicut voces, aliæ rectę pluraliter proferũtur, quia res ad extra magis distinctè, ac propius significant: præterquam quod illa tria significantur, vt quo Deus intelligit; & idea significat, vt quod, ideo hæc multiplicatur. Tunc dicimus quod ἰδέα, græcè, latinè forma dicitur, & est forma intellectualis; nõ quidem illa, à qua formatur res; sicut à forma agẽtis, procedit effectus formatio; nec illa secũdùm quam aliquid formatur, sicut anima est forma hominis; sed illa est, ad quam aliquid formatur, vel ad cuius similitudinẽ, aliquid constituitur: quæ præter rem ipsam existit; & duas requirit cõditiones. Altera est, quod non casu, sed ex intensione agẽtis imitetur: altera verò, quod illud

agens

agens operetur propter finem, à se sibi propositum, ac determinatum; & non ab alio superiori agente. Vndè, eius, hæc potest esse ratio, Idea est forma, quam aliquid imitatur, ex intentione agẽtis, determinantis sibi finem. Hæc autem Idea, de qua nunc loquimur, nil aliud est, quàm essentia diuina; nõ quidem, vt essentia, sed vt similitudo, vel ratio rei intellecta: essentia enim Dei, rationem Ideæ non habet (respectu Dei) sed aliorum respectu; quia aliorum est principium operatiuum, & non sui: Quamobrem, secundùm rem, in Deo est Diuina veritas; & secundùm rationem intelligendi, est similitudo cogniti: quæ quidem, ratio est expressiua cognoscendi, non tãtùm vniuersale, sed etiam singulare: licèt, ipsa vniuersalis non sit, nec singularis; sicut nec Deus: Vndè, Idea tripliciter potest considerari, vno modo, vt est in mente diuina, & sic vna est Idea: Alio modo, respectu specierum, & generum ipsarum rerum: & sic sunt plures Ideæ, numero tamen determinato: & tertio modo, pænes rationem indiuiduantem; & sic quot sunt, vel fuerunt, vel erunt indiuidua, tot sunt Ideæ, quæ licèt videantur infinita, finita tamen sunt apud Theologos. Propter que, non est incommodum dicere vnam, & plures esse Ideas; vnam respectu Dei, plures respectu rerum, sicut etiam (vt inquit Vldarigus) omnes numerorum species, imo singuli quiq; numeri, in ipso fonte, qui est vnitas; à qua proficiscuntur, vnum sunt, & in circunferentia, plures; sicut in Deo, qui maximè est vnus, vna est Idea, & in circunferẽtia, hoc est, respectu creaturarum; sunt plures: quemadmodum etiam plures numero homines, genere, vel specie, unus sũt homo; & omnes animæ potentiæ, in animæ essentia, unum sunt. Omnes igitur Ideæ secundùm rem, in Deo sunt unum; & plures secundùm rationem intelligendi, siue definiendi; & ideo, licet, Idea sit quid absolutum in Deo, tamen secundùm modum intelligendi, dicit respectũ medium, inter cognoscens, & cognitum: nec respectus huiusmodi ullam habet falsitatem, seù uanitatem; quia licèt non subsit pluralitas ex parte Dei, subest tamen ex parte connotatorum; quia in hoc nomine, Idea pluralitas est eius ad quod est, & nõ eius, quod ẽ. Quoniam uerò ipsa diuina essẽtia, est propria ratio cuiuslibet creaturæ; quia in ipsa sunt perfectiones omnium rerum unitissimè; & quæ pertinent ad naturam specificam, & quæ ad indiuidua. Vnde ab intellectu accipi potest, ut propria ratio multorum, apprehendendo aliqua eorum absq; aliis; sciendum est quod istæ plures rationes,

tiones, in Deo, distinguuntur per respectus rationis; quia diuina essentia, intellecta præcisè secundùm quod est imitabilis à lapide, est propria ratio lapidis, & intellecta pręcisè, ut imitabilis ab homine, est propria ratio hominis: & imitabilitas in Deo respectu creaturæ, respectus est rationis. Quamobrem respectus, quibus multiplicantur Ideæ, nõ causantur à rebus, sed ab intellectu diuino, comparante essentiam suam ad res: & quia huiusmodi respectus distinguentes, ideas, sũt etiam constitutiui earum; non consequuntur actum intellectus diuini, intelligẽtis ideas: sed fiunt per actum intellectus diuini intelligentis essentiam comparatiuè, & ideo ipsa intellectio essentiæ, vt imitabilis, est constitutio respectus Idealis; qui quidem non ponũtur necessarij ad hoc, vt Deus distinctè intelligat creaturas; quia perfectio intellectionis diuinæ, non mendicat à respectibus rationis: sed ponuntur necessarij, vt necessariò constituti ex perfectione intellectionis diuinæ. Ex quibus colligere vos velim, quod diuina essentia, non habet quod sit Idea, per perfectiones, quibus opponitur creaturis; vt immensitas, & æternitas; sed per rationes communicabiles creaturis, vt est sapientia, & bonitas; & per rationes proprias creaturis. vt humanitas, & huiusmodi. Nec oportet Ideam esse eiusdem naturæ cum Ideato formaliter; sed sufficit, quod Idea sit talis in repræsentando, qualis est res Ideata in propria natura; nec oportet Ideatum contineri in Idea formaliter; nec sufficit contineri tantùm obiectiuè; sufficit autem quod contineatur virtualiter, & eminenter; quomodo continetur humanitas in Deo, non tamen esse peccabile. Quare falsum est, quod Idea creaturæ nihil sit; nisi ipsa creatura obiectiuè relucẽs in Deo; & quod Idea hominis sit ipse homo, vt cognitus est; Non enim Ideatum est vniuocum Ideę; quoniam illa propositio, Omne quod fit, ab vniuoco fit; vera est de agente proximo: & non de prima causa; quia ante agens vniuocum, oportet esse æquiuocum; & ante æquiuocum, Analogum; & essentia diuina est causa remota, & prima. Hec de primo proposito dicta sint. in sequenti, quorũ sint Ideæ mõstrabimus. Sed hoc interim habetote quod Ideæ aliter sunt in nobis, & aliter in Deo; in nobis enim ratio cognoscendí est similitudo, & cognitum est veritas; quia in nobis est similitudo accepta, & impressa ab extrinseco; quia intellectus noster respectu cogniti est passibilis, non actus purus; Vnde fit in actu per aliquid cogniti, quod est similitudo eius. In Deo autem res è contra

se habet

se habet; quia ratio cognoscendi est ipsa veritas; & cognitum, scilicet, creatura, similitudo est veritatis.

LECTIO LXXXIX.

DE Ideis quęstionem difficillimam, superiori lectione, narrauimus; exponentes, Ideam in Deo necessariò dari; eamq; esse formam imitabilem, ex intentione agentis, finem sibi determinantis. Quibus adiecimus, quod necessarium est ponere plures Ideas in Deo: ex eo, quod in ipso, sunt propriæ perfectiones, & rationes omnium rerum etiam particularium: quæ sunt in eo, quoniam ab ipso ordo vniuersi est propriè intentus, & perfe factus. Præterea dicebamus quod ista pluralitas, non repugnat diuinæ simplicitati; quoniam est in ipso, vt quod intelligitur; & non vt quo, videlicet, sicut species, qua intelligitur; quę est forma faciēs intellectum in actu: non enim est contra simplicitatem diuini intellectus, quod multa intelligat; sed benè, quod per plurales species eius intellectus formetur. Ex quibus etiam patet modus, quo dicta pluralitas obiectiua, est in intellectu diuino; quia. s. cognoscendo Deus essentiam suā perfectè, eam cognoscit, non solùm secundùm se; sed secundùm quod est participabilis à creatura; & sic vt imitabilis à tali creatura; atque vt propria ratio illius creaturæ. Vnde plures rerum rationes, quas vocamus Ideas cognoscit, quia par est iudicium de hac creatura, & aliis; quarum cognitio distincta est; si distinctio ponatur in cognitione, per comparationem ad cognita; non autem per comparationem ad cognoscentem: cum enim Idea, similitudo sit exprimens, & non impressa, nec expressa; non est huiusmodi, vt per eam cognoscēs assimiletur aliis: sed cui multa assimilantur: multa namq; possunt assimilari vni; sicut si à forma sigilli eadem fiat expressio in cera; quoniam ab vna, & eadem forma, multæ possunt esse, & varię impressiones; secundùm quòd sigillum magis, & minus imprimitur. Nunc restat, vt illud efficiamus, quod pro secūda parte huius quæsiti polliciti fuimus; nempè vt quorum in Deo sunt Ideæ, apertè dicamus. quia tamen à confusis, à distincta rectè procedimus: Primùm de proposito, vniuersaliter loquendo, dicimus quòd Idea, vt exemplar; quoniā principium est factionis rerum, & ad practicam cognitionem pertinet;

tinet; omniū est, quæ à Deo secundùm quodq; tempus fiunt: Idea verò, vt ratio; quoniam est principium cognoscitiuum, & potest etiam ad scientiam speculatiuam pertinere; omnium est factibiliū, & cognoscibilium, secundùm proprias rationes tam speculatiuè, quàm practicè. Idea enim vt ratio pro ratione obiectiua sumitur, & ideo omnium est, quę cognoscuntur per propriam rationem; vt excludatur malum; quod, quoniam cognoscitur solùm per rationem boni; non habet in Deo Ideam; neque secundùm quod Idea est exemplar, neque secundùm quod est ratio: sed alia, quæ cognoscuntur à Deo, licèt, non fuerint, nec sint etiam futura; Ideam habent, secūdùm quòd Idea rationē significat, non aūt vt exēplar est. Quarè, magis distinctè ad particularia descendentes, colligimus, quòd malum non potest habere Ideam in Deo: non quidem quæ propriè dicitur Idea; quæ. s. formam importat; quæ principium est formationis alicuius rei; quia nihil, quod est in Deo, potest esse mali principium: sed nec etiam Ideam, pro ratione, vel similitudine, communiter acceptam, habet: quoniam (secundùm D. Augustinum) malum dicitur ex hoc ipso, quod non habet formam; & quod à participatione diuina recedit; similitudo enim attenditur secundùm formam, aliquo modo participatam. Et licèt ens, & priuatio entis quodammodo communicent in ente; nō tamen bonum communicat cùm malo respectu similitudinis in Deo; quoniam illa cōmunitas, qua aliquid prędicatur communiter de ente, & non ente, est rationis tantùm: quia negationes, & priuationes, non sunt entia, nisi rationis; quę communitas non sufficit, ad similitudinem, de qua modò loquimur; cognoscere autem quoddam malum esse malum, est cognoscere quoddam verum; quòd per se cognoscitur; & si Idea est de non ente; quod. s. non est in rerū natura; non tamen est de non ente. i. de illo, in cuius definitione cadit non ens; sicut cęcitas dicitur nō ens, & vniuersaliter omne malum culpæ: quia malum pęnæ exit à Deo, sub ratione ordinis iustitiæ: & sic bonum est, & Ideam in Deo habet. Pręterea, de materia prima dicimus, quod Ideam habet in Deo, cum à Deo sit; sed non distinctam habet ab Idea forma, vel compositi: quoniam Idea respicit rem, secundùm quod est producibilis in esse; in quod materia non potest exire sine forma, vel composito: & ideo Idea propriè non respondet materiæ tantùm, nec formæ tantùm; sed toto composito respondet vna Idea; quæ est factiua totius, & quantùm

ad

ad formam, & quantùm ad materiam. igitur quia materia ſecundùm ſe, neque eſſe habet, neque cognoſcibilis eſt; eius Idea vt ratio, eſt Idea corporis: quod eſt genus in prędicamento ſubſtantię: quoniam ſecundùm illius formam definiretur, ſi diffinitionẽ haberet: Idea autem eius, vt exemplar, non eſt alio modo quętenda, quàm Ideę generum; quæ aliam Ideam à ſpecie non habent, ſecundùm quod Idea ſignificat exemplar: quia nunquam genus fit, niſi in aliqua ſpecie. Amplius, colligimus quòd Idea, poteſt eſſe eius, quod nec eſt, nec fuit, nec erit: quoniam Idea propriè dicta, cognitionem practicam reſpicit, non ſolùm in actu, ſed in habitu: quæ cognitio, virtualiter Practica, habetur à Deo de his, quę facere poteſt: quamuis nunquam ſint facta, neque futura. Quorum tamen non eſt Idea eo modo, quo eſt eorum, quę ſunt, vel erunt, vel fuerunt: quia ad hæc producenda, ex diuinæ voluntatis propoſito, determinatur; non ſic autem ad illa: quę ſecundùm ſe indeterminata, in Dei cognitione determinatum eſſe habent: quia res omnes diſtinctè cognoſcit, licèt in eo omnia ſint vnum. Et licèt Deus, nunquam voluerit producedere huiuſmodi res in eſſe, quarum Ideas habet: vult tamen eas ſe poſſe producere, & ſe habere ſciẽtiam eas producendi: Vnde, Dionyſius non dixit, quòd ad rationem exemplaritatis exigeretur voluntas prædefiniens, & efficiens: ſed definitiua, & effectiua: Ideæ enim non ſunt ordinatæ, à diuina cognitione, ad hoc, vt ſecundùm eas aliquid fiat: ſed ad hoc quod ſecundùm eas aliquid fieri poſſit. Vlterius etiam patet, quòd accidentium ſunt Ideæ in Deo: quoniam Deus non ſolùm ſubſtãtiarum, ſed & accidentium eſt cauſa. notandum tamen eſt, quòd diuerſorum accidentium, diuerſæ ſunt Ideæ. Nam propria accidentia, ex ſubiectis principii cauſata, quę ſecundùm eſſe, à ſuis ſubiectis nunquam ſeparantur, & vna operatione cum ſuo ſubiecto in eſſe producũtur: Ideam à ſubiecto diſtinctam, non habent: ſed accidẽtia: quę non ſequuntur inſeparabiliter ſuũ ſubiectum, nec ex eius principiis dependent, & alia operatione, ab ea, qua producitur ſubſtantia, in eſſe producuntur: Ideam diſtinctam habent ab Idea ſubiecti. Si tamen Idea communiter pro ratione, & ſimilitudine accipiatur; vtraq; accidentia, Ideam in Deo habere diſtinctam, dicimus: quia perſe diſtinctè conſiderari poſſunt. Vltimò, pateat, quod etiam ſingularium ſunt Ideæ in Deo: propterea quòd, ſingularium Deus eſt cauſa, quantùm ad formam, & quantùm ad ma

teriam. & cum Ideæ non plurificentur, niſi ſecundùm diuerſos reſpectus ad res; non eſt inconueniens, quod in Deo infinitæ ſint Ideæ; quia relationes rationis, in infinitum multiplicari, non eſt inconueniens. Quamobrem, ſi accipiatur Idæa communiter, pro ſimilitudine vel ratione; quia diuerſa eſt conſideratio Socratis, vt Socrates eſt, & vt homo eſt, & vt eſt animal; plurales Ideæ, vel ſimilitudines reſpondebunt ei; quamuis vnius ſingularis, & eius ſpeciei, ac generis, vna ſit Idea, propriè accepta, eò quod Socr. homo, & animal, ſecundùm eſſe, non diſtinguuntur. Quod ſi aliquid ſit à caſu, illud quidem, caſu eſt reſpectu proximi agentis, & non reſpectu agentis, qui omnia cognoſcit.

DISTINCTIO XXXVII.

- De exiſtentia Dei in rebus
  - Veritatē docet
    - Narrando
      - Modum eſſendi communem. A.
      - Modum eſſendi ſpecialem. B.
    - Declarādo
      - Deum ab æterno apud ſe manere. C.
      - Totam Trinitatem habitare in Sanctis.
        - Adultis. D.
        - Paruulis regeneratis. E.
    - Admonendo
      - Omnes inſufficientię. F.
      - Aliquos
        - Præſumptionis. G.
        - Leuitatis. H.
  - Falſitatem excludit.
    - Monſtrando
      - Simpliciter. I.
      - Secūdū quid
        - Expoſitione. K.
        - Dubitatione. L.
        - ſolutione
          - Cōmuni. M.
          - Propria. N.
    - Concludendo
      - Propoſitum. O.
      - Incidentem difficultatem. P.
      - Epilogum. Q.

LECTIO

Lectio XC.

ET *Quoniam demonstratum est ex tempore, &c. A.* Quod nam sit Magistri consilium, in longiori hac dist: quę explicanda succedit ex eius verbis apertissimè constat: modos.n.proponit, quibus Deus optimus maximus, in rebus aliis à se, esse dicitur, velle indagare: quod quidem, superiorem distinctionem, vbi, quo modo alia à Deo, in Deo sint, demostrabatur, optimè cõsequitur; quamuis vtrumq; non necessariò, sed occasione quadam, & quasi per accidens, (vt Magister ipse fatetur) hîc sit introductum, & disputatum; quando de scientia, seu sapientia Dei, proposita, & assumpta est disputatio. Vt autem consiliũ suum dilucidè exequatur Magister, veritatem primo loco docet; & secundariò falsitatẽ excludit: Veritas quidem, quæ primò proponitur, hæc est, quod D.O.M. in se ipso, semper incommutabiliter existens, tribus his modis, per pręsentiam, potentiam, & per essentiam; omnibus in rebus reperitur; sed in Angelis, & Animabus Sanctis vlterius per gratiam habitat; & in homine Christo excellentissimè. per vnionem.s.naturæ humanæ cum Diuina. Vnde, Dei in creaturis, triplex colligitur existentia; generalis, specialis, & singularis: per quarum primam, omnes creaturas producit, & conseruat: per secundam animas sãctas inhabitat: & per tertiã naturam humanã in vnitate suppositi assumptã, nunquã dimittit. Quę quidẽ à Magistro in prima distinct. parte habẽtur, & cõprobãtur: à nob. verò Scholasticorũ diligentia adhibita hac lectione percipiẽtur facillimè. Primũ igitur, ab illis accipiendũ est, ꝙ Deus omnibus in rebus est; non vt accidẽs, nec vt pars rerũ: sed sicut agẽs immediatũ, immediatione suppositi: ac in malis, & ĩ dęmonibus est, inquãtùm sũt res quędã; non vt dicunt naturã deformatã: & tamen per excellentiã suæ naturæ, est super oĩa. non.n. est in loco formaliter, vt corpus: sed effectiuè sm̃ quod replet locũ, indigentiamq; loci. Et est in qualibet parte totus; sicut aĩa est tota in qualibet parte corporis. totus nãq; est, sm̃ perfectã rationẽ essentię; & indiuisibilis, vt extra totũ genus continui; & nõ vt continui terminus. Pręterea sciendũ, quod esse vbiq; propriũ est Deo: eò quod primò, & per se illi cõuenit, inquãtùm in omnibus locis, quotcunque ponãtur, nõ secũdùm partẽ reperitur.

Vniuer-

Vniuersale enim per aliud, & aliud suppositum est vbiq; : & numerus, secundùm aliam, & aliam partem : & spiritus creatus non est in pluribus partibus corporis, nisi vt vnitis: & corpus Christi, solùm sub Sacramento. quòd si homo, per communicationũ idiomatum, est vbique: sicut Deus est, eadem ratione; creaturæ tamen simpliciter esse vbique, communicari nõ potest: quia dicit immensitatem actu, quod illi repugnat. Necessitas namq; existendi Deũ in omnibus rebus, non solùm à parte indigentiæ rerum, sed etiam à parte perfectionis ipsius sumitur : quæ in summa simplicitate cõsistit: Et si nobilitatis est, in agente creato, quod possit agere vbi nõ est, effectumq; per se stãtem facere possit; hoc euenit ex defectu perfectionis, quia. s. limitatum est, & differt à sua virtute; & ideo Deus conditiones habet oppositas; quia est infinitus, & idem est in eo virtus, & substantia. Quocirca, cum dicitur quod agens quantò virtuosius est, tantò potest indistans; de distãtia naturæ intelligere debetis; & non de distantia suppositali, situali, vel virtuali: nõ enim forma solis est causa immediata formarum materialium; eò quod agit mediante luce, tamquam instrumento: nec sequitur quod lux sit nobilior forma substantiali, quæ producitur, licèt sit eius causa æquiuoca : quoniam effectum digniorem esse sua causa æquiuoca instrumentali, non est inconueniens: quãuis rectè dici possit, quod forma substantialis non producitur à luce, sed à corpore, in quo recipitur lux; putà ab aëre: Adeoq; sol sit agens principale, corpusq; illuminatum, agens secundarium. Quarè ad maximam Dei virtutem pertinet, quod immediatè in omnibus agit : quia nihil est distans ab eo, quasi illud Deum in se nõ habeat; est enim in rebus, & non inclusus, sicut & extra est, sed non exclusus. Amplius, ad notãdum est maximè, quod propter diuersos modos, quibus Deus est in rebus, diuersi consurgunt effectus; & propter diuersos tales effectus D. Augustinus ad Dardanum scribens, dixit, Deum in omnibus creaturis esse per naturam; in sanctis verò, & pueris renatis esse per gratiam; & in Christo per vnionẽ in vno supposito: Nàm, secundùm quod creaturæ à Deo exeunt, & conseruantur, Deum in seipsis habent primo modo : secundùm quod in ipsum Deum redeunt, in illis est Deus per gratiam: & secundùm quod creatura ad Deum peruenit, Deum habet tertio modo : qui modus duos alios continet, & comprehendit. Verum, tamen est, quòd primus modus secundùm triplicem conditionem essendi, hoc ordine distingui-

stinguitur, vt omnia, quæ sunt, Deum in se habeant; secundùm præsentialitatis indistantiam; velut ea, quæ se contingunt; secundùm virtutis influentiam, vt motor immobili; & secundùm intimitatis existentiam, vt anima in corpore: sic enim Deus præsentialiter, potentialiter, & essentialiter est omnibus in rebus, quæ ab ipso sunt: Nàm Deus verè in rebus est per præsentiam, inquátùm omnia nuda & aperta sunt oculis eius; Vnde, & ipse in se ipso, & in essentia sua dicitur; nisi ad esse in aliquo, secundùm pręsentialitatem, in altero extremorum realis relatio sit necessaria; in omnibus autem per potentiam esse affirmatur, inquantùm omnia eius potestati subduntur: sicut etiam, proportione quadam, Rex in suo est Regno: rex enim per ministros, mediaq; executorum apprehensione in toto suo Regno esse dicitur: & diuina potentia omnia immediatè, & intimè agit; quia virtus diuina secundùm rem participatur ab omnibus. Et demum, omnibus inest per essentiam; quia diuina potentia eius est essentia. Et tres isti modi existendi Deũ in creaturis, generales sunt, & proprij; ad quos alij, si qui sint, reducuntur. Vltimò, non est prætermittendum, quòd Deus ex se æquè, & vniformiter se habet ad omnia: quamuis difformiter, & inęqualiter participetur à multis, totus enim est in singulis; sed eius non omnes æqualiter sunt capaces: Vnde ex illis, quidam esse tantùm participant; quidam esse, & viuere; & quidam, amplius ipsum cognoscere: sed formaliter dicere possumus, quod Deus, effectum non connotando, æqualiter est in omnibus; sed inæqualiter, consignificando effectum: sicut etiã, effectum non connotando, omnia vniformiter sunt in Deo; & oppositum, è contra: sicut in prædestinatione, & reprobatione constat. Quare Deus, qui extra vniuersum est, inquantùm in se ipso manet; Vbique esse verè, proprięq; asseritur: non circunscriptiuè, nec definitiuè, sed repletiuè potius: Et modis aliis iam dictis. Qui quidẽ ni pęnitus percipiantur, meminisse oportet, quod huius cõsiderationis sublimitas, atque immensitas humanæ mentis sensum excedit omnino. Propterquòd omnes admonet Magister insufficientiæ; sed aliquos præsumptionis, & alios leuitatis: insufficientiæ quidem, authoritate Chrisostomi, dicẽtis, quod sicut multa de Deo intelligimus, quæ loqui pęnitus non valemus: sicut in his, quæ per inuentionẽ sciuntur; sic multa loquimur, quę intelligere non sumus idonei: vt in his quę per disciplinam sciuntur: quando addiscentis intellectus,

lectus, ad locutionis virtutem non pertigit. Præsumptionis verò illos admonet, qui Deum vbiq; sic per essentiam esse tradiderunt, quod non in omni loco, & in omni creatura, propriè sit Dei essentia: sed solùm, quia omnis natura, & omne naturale ens, per eum habet esse: in illis enim verbis, quibus dicitur, Deum vbique esse per essentiam; plus contineri credendum est, quàm quod homo in terris viuens capere possit. Et denique leuitatis eos arguit, qui dubitant, ac timẽt ne sordibus corporalibus inquinetur Deus, dum in rebus corporeis esse conceditur: siquidem nõ omne tangens immutatur ab eo, quod tangitur: nisi in his, quę agunt, & patiuntur ad inuicem: vt quæ in materia cõueniunt, quod apertè habet Aristoteles primo de generatione t.54. Vnde spiritus humanus, per vnionem ipsius ad corpus leprosum, minimè inquinatur: nec sol, quamuis suis radiis fęda attingat, aliquo pacto fędatur. Diuina igitur essentia, quæ cõtinet totum, vbique est tota, & penetrat totum, atque, pro sui simplicitate, diuidi; vel pro sui puritate, maculari; aut pro immensitate, vllo modo comprehendi nequaquam potest. Et cum sit vbique; illi, non locis, sed sanctis actionibus propinquari studeamus: potissimumq; hoc aduentus tempore, quando Apostolo excitante, hora est, nos iam de somno surgere.

LECTIO XCI.

CVMQVE *diuina natura, &c. I.* Localitatem, & motum, quæ creaturam in loco existentẽ, consequuntur; hîc à Deo remouet Magister. Et hæc est falsitas, quam in secunda huius distinctionis perte Magistrum excludere dicebamus: falsum est enim Deum loco, vel mutari, vel circunscribi: vt pręsenti lectione monstrabitur: quamuis veraciter, & essentialiter ipse in loco sit: quod hęri accepimus. Nam (vt ad rem statim veniamus) aliud est esse in loco, & aliud esse locatum; esse enim in loco, non exigit, nec ponit, nisi pręsentialitatem, & indistãtiam rei existentis in loco: sed esse locatum ponit ambitum, & continentiam; sicut esse locale ponit idoneitatem ad proprietates loci, & indigentiam aliquam: locale namq; (D. Bonauentura Magistro) illud est quod leges loci sequitur: vt contineri, mensurari, conseruari, terminariq;: sicut temporale dicitur, quod legibus temporis subiicitur. Vnde Deum

in loco

in loco esse conceditur, quia est vbique pręsens: sed ipsum esse localem, seu locatum, de virtute sermonis negatur: Quia Deus loco non circunscribitur, non terminatur, non continetur, non conseruatur. Vbique enim est, locaq; omnia superexcedit: & secundùm hoc, quod eius imměsitas, nullo arctatur loco, nec tempore; ante omne tempus, & extra omně locum rectè dicitur esse. Quamobrem conclusiones duæ excipiuntur; (de quibus erit omnis hæc nostra pręsens disputatio) videlicet, Deus non mouetur localiter, nec secundùm tempus: sed creatura omnis mutationem loci, ac temporis, aliquo pacto suscipit. Quarum prima, quę à Magistro pręponitur, & à nobis iam est exposita; ex summa eius immensitate proficiscitur. Non enim perse, nec per accidens, mutari potest; quia ob eius immensitatem omnibus adest, nulliq; abest. Quod si incipit aliquando esse, vbi non erat, & desinit esse, vbi antea fuerat; dicendum semper est, hoc fieri secundùm mutationem, non quidě Dei; sed rei, & creaturæ. vt aëre illuminato, si quis Domus fenestras aperiat, solis radius in ea incipit esse, quibus clausis, nulla mutatione in radio facta, radius esse desinit. Cautè tñ hæc in re, vt procedatis oportet ob sanctorũ authoritates, quę passim afferuntur. Nam D. Augustinus ad Orosium scribens, inquit, Deus mouet se ipsum: & sanctus Isidorus dicit, quòd Deus localiter ambulat in Sanctis. quibus, sic obiicientibus, respondemus, primò quòd D. Augustini authoritas integrè nõ adducitur, sic.n.habet. Deus mouet se sine tempore, & loco; quod est dicere Deum verè, & propriè non moueri; secundùm quod motus est actus imperfectus. mouetur enim semper, inquantùm semper est in actu; sed tamen sine tempore, & loco mouetur, inquantùm sine imperfectione, quæ variatio est, mouetur. Præterea dictum Isidori intelligitur metaphoricè, & causaliter; quia.s.sanctos ambulare facit de virtute in virtutem. At, dicet quis vestrum, cum Aristotelis vulgata sit propositio, quòd motis nobis mouentur omnia, quæ sunt in nobis; sequitur quòd, saltem per accidens, moueatur Deus, dum res mouětur, in quibus esse, iam comprobatum fuit. Ad quem respondere debetis, dictum Aristotelis, de his rebus intelligědum esse, quæ cum in alio sint, ab eo pendent, ac definiuntur: Vnde radius, qui est in aëre, quia non dependet ab aëre, cum aëre non mouetur: & similiter anima, quæ est in manu, quia non definitur manu, non mouetur mota manu. Deus igitur quoniam à rebus non depědet, nec

definitur, ad motum rerum, in quibus est, non mouetur. Quarè ab ipso Deo in rebus, & in loco existẽte, omnis localitas, omnisq; motus, iurè optimo remouetur. quod prima conclusione fuit propositum. Erat autem conclusio altera, quòd omnis creatura mutationibus temporis, & loci, aliquo pacto subiicitur: quæ quidem (cum de creaturis corporalibus admodum sit manifesta, quia dimensiones habent, & mensurantur tempore; præterquam quòd corporum consideratio ad naturalem, & non ad Theologum spectare videtur) de spiritualibus creaturis nunc cõprobanda remanet. Vt verò firmior sit, authoritatisq; maioris probatio talis, sciscitandum est primo, An spiritus Angelici sint in loco; communis enim animi conceptio est, apud sapientes, Incorporalia in loco nõ esse; eò quod locus nomen est mensuræ; & nulli rei corporeæ conuenit mensurari. Et ex altera parte, Angelus localis dicitur, quatenus ad hũc locũ potius quàm ad alium terminatur. Quamobrem & esse, & non esse in loco, affirmandum videtur. Quod asserere (vt statim respondeam) non solùm non impossibile, sed & necessãrium pęnitus iudico: Non enim Angelus est in loco simpliciter, & propriè; sed in loco est communiter, & secundùm quid: inquãtùm. s. habet aliquid simile rei locali; quod propositione vna clarius sic explicatur, Angelus est in loco æquiuocè, respectu corporis: Nam corpus est in loco per contactum quantitatiuum: & Angelus per contactum virtualem; per applicationem suæ virtutis ad locum; & non per commensurationem, vel situationem, vel continentiam: eius enim ratio essendi in loco est quantitas virtualis, tangens locum; & tactus iste nihil est aliud, quàm pręsentia secũdùm operationem, & præsentia ordinis; quæ quoniã distinguitur, sicut habitus, & actus secundus; Angelum in loco esse duobus modis contingit, videlicet, incompletè, per solam præsentiam ordinis; & completè per præsentiam ordinis, & operationis: aduertendo etiã quod Angelus in loco est secundùm operationẽ, non solùm quando actualiter exteriori operatione attingit corpus; sed etiam quando actualiter attendit, & vacat, vt cępta benè succedant; quamuis non continuè exteriori operatione aliquid ibi agat. Vnde in loco est Angelus, sicut operans in operato (propter quod proprius dicitur, quod operatur in loco, quàm quòd sit in loco) & eius operatio est, sicut accidẽs in subiecto. Sed formaliter dicitur, quod sublunaria sunt in loco circunscriptiuè; ipsa diuinitas immensè; cor-

pus Christi sacramentaliter; & Angeli definitiuè; quia.s.ita sunt in vno loco, vt non sint in alio. Cum enim limitatæ sint naturæ, & virtutis, in pluribus locis simul, & semel esse nequeunt; verum tamen est quòd locus ille vnus, in quo sunt, potest esse diuisibilis, vel indiuisibilis; magnus vel paruus, secūdùm quòd operatio eius immediatè ad magnum, vel paruum, terminatur (credimus enim Angelum posse esse in loco quantuncunque paruo, quamuis non in loco quantuncunque magno) vt si immediatè operatur circa totam Domū, tota Domus respondet sibi, sicut vnus locus; ita quòd in qualibet parte est, sicut anima in qualibet corporis parte: quemadmodum enim anima, dum viuificat totum corpus, nō viuificat diuersa corpora, sed vnum; sic Angelus totus est in qualibet parte loci, & non in pluribus locis. Et quemadmodum etiam vnius corporis non sunt duæ animæ, sic etiam duo Angeli in vno, & eodem loco esse nequeunt; cuius ratio esse potest repugnantia vniuersi: sicut enim vniuersi ordo non patitur, quod Angelus infinitè distet ab Angelo, quando omnes intra vnam circunferentia cæli vltimi clauduntur, sic non patitur quod Angelus in eodem loco primo sit cum Angelo. Pręterquam quòd, quilibet Angelus, tātùm dignitatis inter causas iurè obtinet, vt imperfectionis huius, quæ est, esse causam partialem, rationabiliter sit expers. Ex his autem facilè colligitur propositum, nempè Angelum moueri localiter, sed æquiuocè respectu corporis: sicut enim æquiuocè spirituales substantiæ sunt in loco; sic æquiuocè localiter moueri dicuntur; Vnde moueri eas, non est esse subiectum motus; sicut nec locari, est, eas esse subiectum vbi; sed solùm virtualiter tangere, in genere causæ efficientis, diuersa loca: motusq; talis potest esse continuus; secundùm quod Angelus operans etiā operatione vna ex parte sui: multiplici verò, ex parte passi, vel simpliciter, vel secundùm quid; in quocunque instanti vnum respicit locum; in singulis tamen partibus temporis, & in quibuscunque duobus instātibus, diuersa attingit loca. Vbi duo adhuc animaduertere vos velim, Alterum quidem est, quod quamuis corpus non possit transire de extremo ad extremum, nisi per omnia media; Angelus tamen quando motu non continuo mouetur, de extremo ad extremum peruenire potest, nullo medio pertransito: cuius rei ratio est, quia corpus continetur, & mēsuratur loco; Angelus verò locum continet, illoq; est superior: nec verum est, quod Angelis, à superiori agente, sit ordo

præfixus, transeundi per media; quoniam virtus immaterialis à legibus distantiæ situalis est absoluta. Alterum verò, & vltimū animaduertendū est, quod etsi Angelus in instanti locū acquirat; eius tamen motus necessariò est in tempore: quoniam in motu Angeli sunt duo nunc; & vbicunque sunt plura nūc, ibi necessariò est tempus: quod tamen tempus, motum Angeli mensurans, aliud est à tempore mensurante motum cæli; quia motus Angeli non dependet ab eo. & sic patet vtraq; cōclusio; & quòd à Magistro præsenti distinctione est habitum.

DISTINCTIO XXXVIII.

De certitudine scientiæ Dei.
- Quantùm ad rem
  - Docet. Dei scientiā causam esse rerū. A.
  - Opponit
    - Ratione. B.
    - Authoritate. C.
  - Soluit exponendo, & distinguendo. D.
- Quantùm ad modum. ostendit quomodo cum scientię Dei infallibilitate, rerum contingentia maneat, & libertas. E.

LECTIO XCII.

NVNC *ergo ad propositum reuertentes, &c. A.* Postquam duabus præcedentibus distinctionibus docuit Magister omnia esse in Deo, & Deus in omnibus; ad illud, cuius occasione hæc interposuerat, hoc in loco reuertitur. talia enim quasi per parentesim sunt allata. & cum hactenus dist. 36. vbi propositum fuit aggressus, de scientia Dei egerit vniuersaliter, & absolutè: hîc eandem ad res scitas comparando; certissimam esse, & immutabilem, seù inuariabilem omnino, hac, & sequenti distinctione, declarare intendit. Et primùm (quod in rebus sacræ Scripturæ difficillimis, locum fortasse principalem, tenet) de ipsius sciētiæ Dei certitudine disputationē proponit: cuius quidē altera pars, quę præsentis erit lectionis, sciētiam Dei causam esse rerum, ostendit; & altera, rerū contingentiam, & libertatē, cum eius certitudi-

tudine manere monstrabit. Vt igitur diuinæ scientiæ certitudinē ostendat Magister, difficultatem hanc ad disputandum proponit. An. s. Dei scientia, siue præscientia, rerū sit causa, vel potius è contra. cuius dicti intelligentiam, aperiens Durandus inquit, hîc non dubitari simpliciter, An Dei cognitio sit causa rerum: quoniam eadem est cum Dei essentia, quæ, rerum omnium causam esse ab omnibus conceditur; sed dubium videri. An Deus per cognitionem suam exeat ad operandum; ita quod sensus sit. An Dei cognitio sit causa formalis rerum cognitarum. Et tunc arguit Magister ad vtranq; partem, ac deinde dubitationem soluit, quæsitumq; determinat. Primùm autem ad partem affirmatiuam arguit, & Dei scientiam rerum esse causam sic declarat; Nisi Deus præsciuisset, res non haberent esse: & postquam Deus eas pręsciuit, nó possunt non esse, ergo præscientia, earum est causa. quod etiam sic potest probari, Artificis scientia est causa eorum, quæ ab Artifice ordinatè, & scientificè producuntur: Sed Deus est Artifex omnium. iusta illud; Omnium est enim Artifex, omnium habens virtutem, omnia prospiciens: & omnia ab ipso ordinatè producuntur: ergo scientia Dei, causa est rerum omnium, & confirmatur hoc, præsertim D. Augustini Authorit. 15. de Trinitate, vbi inter alia verba, hæc habet. Vniuersas autem creaturas, & spirituales, & corporales, non quia sunt ideo, nouit, sed ideo sunt, quia nouit: ergo rerum causa, est Dei cognitio. At ex altera parte, sequitur hoc incommodum, quod Deus sit author omnium malorum, quoniam pręscit omnia mala, & eius pręscientia est causa rerum: nec ad cōclusionis oppositum confugere, licèt, tùm quòd repugnat D. Augustino in 6. de Trinitate; tùm quia æternū non potest habere causam à se diuersam, vt sunt ipsa creata. Et tamen hoc asserere videtur Origenes, dum super Epistolā ad Rom: inquit, Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, Ideo scitur à Deo, antequam fiat. Quamobrem ne res irresoluta maneat, determinat Magister res futuras, nullatenus causam esse posse, præscientiæ, vel scientiæ Dei; Dictumq; Origenis ad bonum sensum traducit, ipsum interpretando, non de causa propria, sed de causa sine qua non; sic enim concedit Magister res creatas, causas esse scientiæ Dei. Quod vt percipiatur, tria animaduertēda sunt: primùm est quod ex his, quæ fiunt, quædam à solo Deo producuntur, vt creata omnia; quædam totalem causam habent ab homine;

vt peccata omnia, & demerita: & quædam à Deo sunt, & ab homine; vt naturales effectus, & operationes, aut actus meritorios, qui ab homine fiunt concurrente Deo. Alterum aduertendum est, quod habet Magister in litera; & est quod scientia Dei, potest accipi dupliciter, vz. pro sola, & simplici Dei notitia; vel pro notitia simul & beneplacito: Vnde scientia primo modo, hoc est, inquantùm scientia, non dicit aliquã causalitatem; alioquin omnis scientia esset causa; quoniam dictio illa, inquantùm, infert de omni: sed scientia, secũdo modo, quæ scientia dicitur Artificis, causa est rerum: nam in Artifice scientia finem ostendit, voluntas actum imperat, & potentia exequitur. Vnde sententia est Vgonis libro 2. de Sacramento, parte 2. c. 6. quod ad omnem effectum necessariò concurrunt hæc tria, potentia, sapientia, & voluntas; Nam sapientia disponit, voluntas imperando dirigit, & potentia exequitur. Tertium sciendum, est, quod causa tripliciter sumitur. s. in essendo, in inferendo; & in dicendo, aut denominãdo; vel dicatis, (quod idem valet) quod causatum, alia est consequentis, & alia consequentię. Quibus sic positis arbitror difficultates, vel omnes, aut saltem grauiores, tolli, & auferri posse. Nàm cum primùm negat Origenes aliquid esse futurum, eò quòd illud pręsciuerit Deus; vel intelligi debet, de sola Dei scientia, sine voluntatis beneplacito; quæ sciẽtia simplicis notitiæ dicitur, & rerum scitarum non est causa: vel intelligendus est, vt voluit Vldarigus, de peccatis, quorum homo se solo dicitur esse causa, quantùm ad eorum deformitatem, licèt, non quantùm ad eorum actum positiuum; Nam Deus peccatorum formaliter, hoc est, quantùm ad eorum deformitatem, simplicem habet notitiam, cui ratio causalitatis, nõ competit: Et cum à Magistro cõcedatur, quod res sunt causa, sine qua non, ipsius scientię Dei; hoc intelligatis de eius simplici notitia, quæ etiam è contra non est causa simpliciter eorum, quæ fiunt, nisi tali, sine qua non fierent: atque res sic scientiæ Dei causam intelligatis, quod nõ in essendo sint causæ, sed in inferendo, & in denominando: res enim & Dei scientia mutuò se inferunt, sed quantùm ad denominationem, res sunt causa pręscientiæ Dei, & non è contra; quoniam pręscientia, de vi vocabuli, scientia dicitur ante rem, importando ordinem ad posterius; adeòquod nisi res futuræ essent, scientia Dei, præscientia non diceretur. Et sic futura, causa sunt dicendi ipsius præcognitionis diuinæ; & per consequens causa consequentiæ, &

non

non consequentis; aut essendi. Quarè, scientia Dei cum beneplacito, verissima causa est rerum cognitarum effectiua. sed loquendo de causa illationis, res cognitæ, & cognitio Dei, sunt sibi inuicem causa; & secundùm appellationem, vel denominationem, res futuræ possunt dici causa pręscientię Dei; eius enim præscientia nō est respectu futurorum, per comparationem ad pręsens æternitatis; sed per comparationem ad pręsens nostrum. Verùm adhuc nō est dissolutum quęsitum, secundùm intelligentiam Durandi: Ideo ex ipso, & Ricardo de media Villa accipiendum est, quod Deus non est causa rerum ratione scientiæ tantùm, sed ratione scientiæ dirigentis; & voluntatis imperantis; & potentiæ exequentis simul. Vndè cum dicitur quod scientia Dei, vel præscientia est causa rerum, de præscientia, vt scientia approbatiua intelligitur, quæ diuinum beneplacitum includit. & hæc est Magistri determinatiō, in prima parte distinctionis.

LECTIO XCIII.

A *D hoc autem quod supra dictum est, &c.* E. Quod infallibilis Dei pręscientia cum rerum creatarum contingentia, & libertate, maneat, hoc in loco (vt supra dicebamus) ostendit Magister: Atque primū obiicit deinde distinguit, tertiò soluit. Quamobrem nos ab instituto nō discedentes; primò difficultatis nodum aperiemus, secundò pauca quædam adnotabimus, tertiò satisfaciemus proposito. Difficultatis nodus eò nos ducere videtur, vt dicamus, vel omnia necessariò euenire, vel Dei scientiā incertam esse, & fallibilem: quorum vtrunq; affirmare, impium est, & à veritate longè distans: Nam si certa, & infallibilis sit diuina cognitio, quam præscientiam dicimus (quòd etiam ethnici fatētur) profectò videtur, quòd esse non possit, nisi respectu rei necessariæ, aut illius, quàm impossibile sit aliter se habere, & cū supponatur præscientiam Dei esse respectu omnium, ita vt nefas sit suspicari Deum aliquam rem latêre, aut eius cognitionē effugere, & id quidem ab initio, & ante secula; palàm esse videtur, nihil in vniuerso reperiri posse, quod sit fortuitum, casuale, aut quouismodo contingens: Igitur difficultas, maximè in hoc ipso consistit, vt coniūgamus præscientiam Dei, & contingentiam rerum huius mūdi, ac

liber-

libertatem humanam; ne frustra nitamur ad bonum, & vanæ sint leges, consilia, ieiuniaq; nostra. & his similia. Nam propter hæc, dixerunt aliqui, omnia necessariò euenire; & alij è contra; rerum particularium cognitionem, pręscientiamq;, ab ipso Deo abstulerunt. Quocirca, notandum est, primùm quòd Dei cognitio impediri nō potest, nec ratione contingentiæ, nec ratione temporis, nec ratione distantiæ loci, nec etiam ratione materiei, vel particularitatis: licèt enim his omnibus, vel variari, vel omninò impediri possit cognitio nostra; illa tamen Dei, quia æterna, & infinita; infinita indiuidua (si essent) perciperet: & quia, illi omnia sunt præsentia in nunc æternitatis, & vnico intuitu, omnia in semetipso cognoscit; nullo pacto ne cognoscat impediri potest. Secundò notādum quod duplex est necessitas, vz, absoluta, & respectiua; necessitas absoluta est, quę opponitur contingentię, & dicitur necessitas consequentis, siue essendi; necessitas autem respectiua, dicitur necessitas consequētię, siue illationis; quę nō opponitur contingēti: Nam aliquod contingens, potest esse necessarium ex suppositione; vt aliquem moueri, quod est cōtingens, supposito quòd ambulet, sit necessarium ex suppositione: & hoc, est quod habet Magister in litera de sensu composito, & diuiso. Aliquem enim moueri, est necessarium in sensu cōposito, suppositione. s. facta, quod ambulet. At in sensu diuiso, hoc est, secundùm se, & nulla habita ratione ad suppositionem aliquam, est contingens; quod facilè applicatur ad propositum de necessitate euentus rerum, cum diuina pręscientia. tertiò sciendum quod à causa necessaria, non semper sequitur effectus necessarius; & hoc præsertim, quando non immediatè à causa necessaria procedit effectus; qui rationem sequitur causæ proximę; non enim repugnat effectum esse contingentem, & causam remotam esse simpliciter necessariam; vt potissimum patet in syllogismis, vbi conclusio sequitur contingens, ex maiori necessaria, & minori contingente: & ratione quoque conuincitur, quia pluralitas ab vnitate, motus ab immobili; & difforme ab vniformi, procedit; vnde, & contingens à simpliciter necessariò ortum habere poterit. Sed si immediatè à causa necessaria procedit effectus, adhuc illum esse necessarium non est necesse, tùm quòd prima causa non semper operatur secūdùm eius totalem virtutem; tùm quia virtus primæ causę, alteri communicatur; non secundùm omnem amplitudinem, Sed tantùm secundùm illius capacitatē; vt effectus floris

in arboribus, qui est à sole, causa inuariabili, nō semper est in actu; quamuis sol inuariabiliter moueatur; virtutē solis recipiunt, non omnem, sed secundùm eius capacitatem. Vnde similiter non sequitur, pręscita esse necessaria, quamuis infallibilis sit præscientia. Præterquamquòd prima causa, quæ Deus est, propriè loquendo non est causa necessaria simpliciter, neque contingens, sed superior vtraq;: Vnde non causat necessariò, nec contingeter; sed altiori quodam modo; in quo per eminentiam, ac superexcedentiam virtualiter habetur vterq; causandi modus; secundùm perfectionem tamen, & non secundùm imperfectionem, quę in eorum quolibet reperiri potest. Præterea, notādum quod duplex est Dei præscientia, Altera, quæ à Scoto dicitur abstractiua, & à D. Th: simplicis intelligentiæ: Reliqua, intuitiua dicitur à Scoto, & visionis à D. Tho. Quæ duę præscientiæ in hoc potissimum differunt, quod simplex intelligētia, cognitio est merè naturalis; vt potè pręueniens omne opus voluntatis; & cadit supra totam latitudinem entium creabilium. seù quouismodo producibilium, qualecunq; illę sint, simpliciter. Sed notitia visionis, cognitio est quodammodo libera; vt quæ non solùm opus supponit voluntatis; sed diuinā electionem, & (vt omnes Theologi dicunt) simplici intelligentia est suaptè natura posterior; & cadit solummodo super latitudinē entitatum, quæ aliquādo sunt de facto futuræ, siue sint futuræ simpliciter, siue secundùm quid. atque repræsentandarum rerum compręsentialitatem requirit; vt illas repræsentare possit; non quod illi prębeant rationem, aut repræsentandi vim; sed quia sunt necessaria, conditio sine qua repræsentari non possent. nec sequitur quod diuina cognitio pendeat quouismodo à rebus creatis, sed benè sequitur, quod talis cognitio, quæ diuina est visio, exerceri nō possit, nisi coexistentibus, ac compræsentibus rebus creatis; quæ videndæ sunt: quod non esse inconueniens vnusquisque potest agnoscere, qui prospexerit id esse de propria, & essentiali ratione visionis. Quibus omnibus animaduersis, liberè, ac apertè dicimus, quòd præscientia visionis; de qua videtur esse difficultas, & necessariorū, & contingentium futurorum est; nec ex natura sua necessitatē ponit, aut excludit contingentiam: sed benè ex natura sua, in rebus visis, statum supponit necessitatis; eo quod præsentiam eorum, supponit actualem: cognoscit. n. Deus futura, non vt futura, sed vt sibi præsentia; & ideo infallibilis est eius cognitio; quamuis con-

tingentia contingenter eueniant; sicut noster visus non fallitur vnquam, videns contingentia, vt sunt præsentia; nec tamen remouetur, quin illa contingenter eueniant: constat. n. ex calce primi perhyer. quod res quantumcumq; in se sit contingens, ex præsentialitate tamen sua, modum cuiusdam adipiscitur necessitatis; propter quod verum est, scientiam visionis infallibilem esse; & præuisa à Deo ineuitabiliter euenire: non quia præcognita, aut præuisa à Deo, sed quia (vt diximus) in esse in rerum natura sunt posita; per quod necessitatem, & infallibilitatem, seu ineuitabilitatẽ sunt sortita. Ex quibus etiã manifestè patet quod diuina præuisio, hominis non destruit libertatem; sed Deus ab ęterno videt, quæ homo operaturus est ex libertate, & propterea videt, quæ futura sunt; & quia videt illa in facto esse, palàm quod frustrari, & falli nõ põt. Nec obstat si quis obiiciat, quod si peccauit quis, Deus sic voluisse videtur, quippe qui non impediuit; & tamen impedire potuit: quoniam etsi impedire potuit, non tamen debuit; aliàs non disponeret omnia suauiter; nec moueret; sicut amatum mouet amantẽ; nec hominẽ in manu dimisisset sui consilij; neque maneret immobilis ordo pręfixus, in vniuerso. Satis autẽ est proculdubio, quod Deus prouocet nos frequẽter ad bonum, satis quod signauit super nos lumen diuini vultus; & satis quod legem dedit, à qua nefas est declinare.

DISTINCTIO XXXIX.

De perfectione diuinæ scientiæ
- Probatur q̃ ei non potest fieri additio
  - Quia eius scientia idem est, quod sua essentia. A.
  - Quia nihil scit, vel præscit ex tempore. B.
  - Quia omnis mutatio est in rebus ad extra. C.
- Ostenditur, quod ipsa est respectu omnium
  - Expositione. D.
  - Epilogo. E.

LECTIO

LECTIO XCIIII.

PRAETEREA *quæri solet. Vtrum scientia Dei possit augeri vel minui, &c. A.* Quamuis ex determinatione eorum, quę superius distinctione 38. & 35. sunt habita, scientiam Dei perfectissimam esse optimè constet; eiusdem tamen scientiæ perfectionem monstrãdam hoc in loco sibi proponit Magister; propter aliquorum rationes, quæ adhuc difficultatem facere videbantur. Et primò diuinæ scientiæ, additionem nullam fieri posse ostendit; deinde, quasi consequenter, eam esse respectu omnium; omniaq; comprehendere manifestat: circa quæ nos etiã duo exactè tractare curabimus. Quorum Alterum scientiæ Dei inuariabilitatem commonstrabit; Alterum verò diuina Prouidentia omnia gubernari efficaciter explicabit. Vt igitur ostendat Magister, quod diuinæ scientiæ nulla fieri potest additio; eò quòd perfecto nihil addi potest, ad partem oppositam, sic primum argumentatur. Hodie potest Deus aliquid scire, quod nunquam antea sciuit, vt aliquem legere, vel mori; qui prius nũquam legit, vel nũquam est mortuus: ergo augeri potest eius scientia, nihil enim potest fieri, quod possit à Deo non sciri. similiter hodie Deus scit aliquid, quod nunquam postea sciet; vt aliquem legere, qui posthac nõ amplius leget; sicut sciuit Christum nasciturum, & nunc nescit Christum nasciturũ; quia nasciturus non est: ergo Dei scientia potest minui, & per consequens mutari. Præterea adhoc deducit incommodum, quòd Deus aliquid de nouo, & ex tempore scire posset; in hunc ferè modum. Ille de nouo, ac ex tempore scit aliquid, qui nunc scit, quod antea nesciebat; sed Deus ita quandoq; se habet; quia nunc non scit Antichristum natum; & tamen sciet aliquando esse natum, ergo temporanea, & imperfecta erit huiusmodi scientia. Amplius quicquid potest Deus facere, potest scire; sed Deus plura potest facere, quàm facit. ergo, & plura scire potest quàm sciat. ergo poterit eius scientia augeri. ergo, & alterari. ergo sciet de nouo. ergo scientia eius imperfecta. Hæc, vt veritas magis elucescat, apponit Magister, quæ etiã vt sit illustrior, eius solutionibus nonnulla animaduertenda præmitto. Et primùm quod triplices sunt diuini actus, nam alij actus sunt, operationesq; diuinę, quæ nõ transeunt

in externam materiam; & dicuntur notionales; vt gignere, & spirare; circa quos actus Deus necessariò se habet, vt non possit ad opposita; eo quòd oppositum contradictionẽ implicat respectu Dei: Alij sunt actus, qui effectiuè quidẽ manant à Deo, sed respectũ habẽt ad res creatas, & subiectiuè sũt in illis; Vnde leges sequuntur temporis, cum quandoq; sint futuri, quandoq; prę sentes, & quandoque prętеriti; circa quos Deus liberè se habet, quoniam potest facere, creare, gubernare; & potest oppositum. Tertio loco, quidã sunt alij actus, qui intrinsecè quidẽ radicem in Deo habere videntur, sed tamen respectũ habent ad res ad extra, & connotant creaturas ipsas; vt si loquamur de Dei cognitione; & velle; clarum est, quod actus huiusmodi, radicem in Deo habent; quia tamẽ cognitio, eorum est etiam, quæ sunt à Deo diuersa; & similiter voluntas; euenit, quod ad res creatas habitudinem habent. Tunc ad propositum quęsitum verè affirmatur quòd diuina Dei cognitio, quantùm ad primos actus, augeri, vel minui nullo pacto potest; quoniã nec ipsi aliquo modo mutantur: At de aliis actibus in secundo, & tertio ordine positis loquentes, Dei cognitionem, vel augeri, vel minui, respectu rerum ad extra, nõ est inconueniens dicere. Quamuis enim Dei cognitio, & volitio respectu primi obiecti, quod est primum verum, & primum bonum, quod est ipse Deus, nullatenus mutari possit; verumtamen, quantùm ad secundaria obiecta, augeri, & minui dicitur diuina cognitio, & volitio. Sed dicunt Alexander de Ales, & D. Bonauẽtura, quòd cum cognitio Dei, alia sit (vt superius dicebamus) simplicis notitiæ, quæ omnia comprehendit; alia approbationis, quæ solùm bonorum est; & alia visionis, quæ eorum est, quæ vel aliquando erunt: cognitio certè simplicis intelligentiæ, mutari non potest; quia ipsa est entium, & nõ entium; & nil aliud potest esse pręter ens, & nõ ens: quia nihil est medium inter affirmationem, & negationem: sed cognitio visionis, & approbationis potest augeri, & minui, secundùm quod plura, vel pauciora potest approbare, & ad esse deducere; quòd tamen intelligere vos debetis, ab æterno, & nulla facta suppositione; quoniam licèt Deus liberè agat, & æqualiter possit in vtrunq; oppositorum exire; nunc tamen aliquid velle non potest, quod prius noluerit: Ex quibus omnibus breuiorem hanc distinctionem elicere possumus, qua facilè quæsito credimus satisfieri, Dei cognitio omnis, vel consideratur in se, vel ratione obiecti: primo modo

omni-

omnino est inuariabilis; quia Deus pœnitus est immutabilis, & apud ipsum non est trasmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: At secundo modo certè respectu primi obiecti, qui est Deus, similiter est inuariabilis, & sic etiam respectu obiecti secundarij, in Deo representati; sed respectu obiecti rerum ad extra, in propria natura existentium, quia variantur; & Dei scientia variari conceditur fateor tamen quod hic modus loquendi valde est improprius; Nam Deus semper actu omnia vnico intuitu in suamet essentia cognoscit. Et hæc est Magistri Catholica determinatio. Quarè ad rationes oppositas Respondet, & primo ad primam inquit, quod cum scientia Dei idem sit quòd sua essentia, quando hæc nullo pacto alterari potest, nec scientia augeri, vel minui poterit: sed tamen, potest aliquid variabile, subiectum esse scientiæ, sine aliqua mutatione facta in Deo; & sic potest Deus scire, quæ non scit. Ad secundum dicit Magister, quòd hæc propositio, Deum posse scire, quod nescit. duplicem habet sensum, videlicet, coniunctim, & diuisim: & tunc inquit: quod primo modo est falsa: quia designat Deum posse aliquid scire, quod nunc, vel antea non sciuit. At secundo modo est vera: quia significat Deum libertatem, & potentiam habere, omnia sciendi, vel non sciendi, sicut habuit ab æterno; loquendo tamen de notitia approbationis; nulla facta suppositione. Et denique ad tertium Respondet, quod verum est de scientia visionis; mutatione facta solum in rebus ad extra: ex quo non sequitur sciētiam Dei variabilē esse, sed benè quod rerum variabilitatē cognoscit: quod tamen sine suppositione semper est intelligendū: quia licet sciētia visionis ad plura, vel pauciora ab æterno determinari potuisset; semel tamē determinata, omninò inuariabilis est ex parte Dei. Quod si dicatis sciētia est assimilatio scientis ad rem scitā, ergo cum scita à Deo sint variabilia, eius quoque scientia variabilis erit. Respondetur quod assimilatio scientis ad scitum, non est secundùm conformitatem naturæ, sed secundùm representationem; & ideo non oportet quod rerum variabilium, scientia sit variabilis. Quod si etiam scientia Dei ad scita relatiuè dicitur, & ablato vno relatiuorum aufertur aliud; non tamen sequitur quod sit variabilis eius scientia; quia scita à Deo, secundùm quod sciuntur, inuariabilia sunt (vt superiori lectione dicebatur) ergo perfecta est omniquaque diuina Dei scientia.

LECTIO XCV.

SI Verò quod prædictum, &c. D. Quoniam Deus cognitione sua, quàm de omnibus habet, singulis prospicit, ac singula pro cuiusq; vtilitate administrat, atque dispensat: hinc Magister consultò in secunda huius distinctionis parte, Deum omnia cognoscere affirmando, ipsum de cunctis, quæ condidit prouidentiam, & curam habere concludit; atque eò magis quòd prouidentiæ tractatio locum hunc iurè optimo sibi vendicat; quoniam ab vniuersalioribus, & notoribus exordiendo, diuina Prouidentia sanctissimæ Prędestinationi rectè præponitur. Nam Dei Prouidentia latius funditur, quàm prædestinatio; cum illa sit omnium, hæc autem solummodò Angelorum, & hominum; & licèt de Prouidentia disputatio sit difficillima; Prędestinationis tamen speculatio longè est difficilior; quæ fortè ratio esse potest, cur hæc pluribus, illa verò paucissimis verbis, sit complexus. de qua tamen nos (vt polliciti sumus) copiosius disputantes, quid ipsa sit, qualis sit, & propter quid. hac vna lectione, inuestigabimus. Non.n. An sit diuina Dei Prouidentia, dubitandum puto, quoniam dato opposito, papè quo in statu res nostras forè credimus? quid mortalium genere miserius? quid vnis nobis infelicius, atque calamitosius? Licet igitur nulla ferè fuerit (vt nostis) Philosophorum Schola, quæ vel non omnino Dei Prouidentiam negauerit, vel saltem labefactauerit quoquo modo; nos tamen absque ratione aliqua, cum Magistro, & Theologis omnibus, illã libenter amplectamur, cum pręsertim ex perfectissimo vniuersi ordine, & ex his, quę 8. Phisicorum, & 12. Met. habet Aristoteles satis superq; in vniuersum demõstrari possit. Cum ergo quęritur quid sit Prouidentia, Primum in vniuersali, cum D. Tho: dicimus, quod est recta ratio ordinis rerum in finem; quia.n.est, à Deo, forma dicitur recta, siue rectum exemplar, quo, media dirigimus in finem naturalem; qui postea auxilio gratiæ, in finem vltimum nos dirigit. Et hæc, Prouidentiæ optima est definitio; præsertim, quoniam per eam à pręscientia, à gubernatione, & dispositione, atque prędestinatione distinguitur. Nam prædestinare, est ordinare aliquem in finem vltimum, & supernaturalem. Prouidere verò est ordinare media in

finem

finem naturalem; sed Præscire, est simpliciter videre futurum antequam sit; & æqualiter est de bonis, & malis; de mediis ad finem, ac de fine, estq; contingentium, & necessariorum. Prouidentia verò est ratio, bonaq; respicit tanquam obiecta, & mala ex cõsecutione quadam, vt. s. ex illis colligat bona; eaq; est solummodo cõtingentium, & de mediis ad finem: per quod etiam à dispositione distinguitur, quæ ratio est rerum inter se, & non respectu finis. A gubernatione autem in eo differt, quod ipsa mediorum ordinem præcedit, & est æterna; gubernatio verò, quia cognitioni, actum gubernandi addit, cum sit executio; ordinem mediorum sequitur, & est tẽporanea; de mundo. n. in Dei mente æternaliter existente, Prouidentiam habuit Deus ab æterno, & non gubernationem. Præterea gubernatio, effectus est Prouidẽtiæ; eaq; ad omnes homines in vniuersum spectat. quando Prouidentia primo, & per se ad Principes pertinere deprehenditur. Verum ex definitione eadem adhuc illud vnum est accipiendum, quod Prouidentia Pars est Prudentiæ; non quidem monasticæ, eo quòd in Deo non potest esse Prouidentia respectu sui ipsius; cum quicquid est in eo, sit finis, & non ad finem; sed politicę, vel potius Monarchiæ; quoniam Prouidentia, qua mundum gubernat, assimilatur Prouidentię iconomicę, qua quis gubernat familiam; vel politicę, qua quis gubernat ciuitatẽ siue Regnum. Ordinat enim res sibi ipsi subiectas in fines suos: & tres cõtinet particulas. s. pręteritorum memoriam, pręsentium cognitionem, & futurorum prouidentiam: ex quo etiam colligitur, quod Prouidentia, virtus est intellectualis, & tantùm ad intellectum pertinet: nam licèt communiter accepta. s. pro antecedente, & subsequẽte illam, vt pro dispositione, & gubernatione, etiam ad voluntatem spectet; formaliter tamen sumpta, inquantùm. s. à dispositione, & gubernatione distinguitur, solius est intellectus; subiecto tamen, & generatione, non obiecto. subiecto namq; intellectualis dicitur, quia in intellectu reponitur; & generatione, quia per opus fit intellectus; sed obiecto intellectualis nõ dicitur, quia potius circa agibilia quàm circa intellectualia versatur: Manet. n. Prouidentia essentialiter in cognitione, non quidem speculatiua, sed practica. Ex his autem, ad rem propius accedentes, quid, & qualis sit diuina Prouidentia, facilè percipitur; adeoquod sine dubitatione aliqua, dicendum appareat, quod diuina Prouidentia est notitia, quæ videt, quibus mediis, singula quęq; creata,
suum

ſuum conſequi poſſunt finem, cum propoſito conferendi illa: ſic enim conſtat, quod ad intellectum pertinet, & eſt pars Prudentiæ; & quod à ſcientia, quæ per diſcurſum aquiritur, ac ab Arte, diſpoſitione, aliisq; his cognatis, diſtinguitur. At quorum eſt diuina Prouidentia? hoc enim expoſito, facilius patebit propoſitum. Aliorum ſententiis prætermiſſis, illa eſt optima, quam habet Magiſter in pręſenti litera, quæ ſic habet, Prouidentiam, & curam vniuerſaliter habet Deus, de cunctis, quæ condidit, vt habeat vnum quodque, quod ſibi debetur, & conuenit: quia tamen non eodem modo omnibus prouidet; Ideo ab Apoſtolo dictum fuit, quod Deo non eſt cura de bobus. Specialem.n.prouidentiam atque curam habet, de rationalibus; quibus præcepta tradidit, eisq; rectè viuendi legem præſcripſit, ac pręmia promiſit, Angelosq; ad cuſtodiam delegauit; quo quidem modo ſine dubio irrationalibus non prouidet: & tamen (vt inquit Magiſter) quanta ſit multitudo culicum, & muſcarum, & piſciũ, & quot naſcantur, quotúe moriantur, ſimul, & ſemel nouit Deus, omnibusq; prouidet. Quamobrẽ mixta videtur diuina Prouidentia: nam formaliter conſiderata, ſecundùm.ſ.quod eſt ratio recta ordinis rerũ in finem; æterna eſt, eademq; cum diuina cognitione, & eſſentia: ſed materialiter accepta, hoc eſt, reſpectu eorum, quæ diuinæ Prouidentiæ ſubduntur; eſt temporalis: ſic etiam ſubiectiuè, videlicet, penès ſubiectum, in quo recipitur, eſt intellectualis, & æterna; quia intellectus diuinus æternus: obiectiuè verò, quoniã circa creata verſatur, eſt temporalis. Vltimò, cum quęritur propter quod ponamus nos Catholici, Deum omnium habere Prouidentiam; vt nec etiam minimi motus horum inferiorum, illam ſubterfugiãt; pluribus modis Reſponderi poteſt: Primò propter conſeruandã vniuerſi pulchritudinem, ordinem, & conſiſtentiam: Secundò propter vniuſcuiuſque rei conſeruationem, & pręſeruationem: Tertiò, vt poſſint redire in factorem ſuum, & in Deum ipſum, à quo proceſſerunt. Quartò, vt noſtram infirmitatem adiuuet, nobiſcumq; cooperetur: vt poſſimus operibus noſtris, mereri ſalutem: & tandẽ propter ſemet ipſum rerum omniũ Prouidentiam habet; vt.ſ.gloriã ſuam oſtendat hominibus. Suppoſito igitur diuinam Prouidentiam eſſe, & expoſito quid ipſa ſit, qualis, ac propter quid; patent omnia, quę de Prouidentia quęri poſſunt. Circa quę tñ duplex oritur difficultas. Prima, quia concedendum non videtur, quod Deus rerum creatarum

rum habeat prouidentiam, tùm quòd rebus præuisis necessitatem imponat, tùm quia Deum sollicitum reddit: Quod.n. Prouidentia maximo sit cum labore, studio, ac anxietate; fidem vobis ipse facio, qui ob huius cōuentus curam, dies, noctesq; laboro. Altera verò est, quod si datur diuina Prouidentia: Vnde tanta inordinatio? tanta confusio? tantaq; rerum perturbatio, dum presertim bonos cruciari, & malos prosperari etiam oculis clausis nimis apertè cognoscimus? Hæc enim instantia maximam facit difficultatem; quando dixit vel ipse Propheta Dauid. mei penè moti sunt pedes, pacem peccatorum videns. Quibus tamen breuiter, ac facilè respondemus. Primò quòd diuina Prouidentia necessitatem imponit quibusdam rebus, & non omnibus: Quia.s. quibusdam rebus preparauit causas necessarias, vt necessariò euenirent; quibusdam verò causas contingentes, vt euenirent contingenter, secundùm conditionem proximarum causarum; cuncta.n. proueniunt eò modo, quo prouisa sunt, siue necessariò, siue cōtingenter. Secundò, ad secundum puer satisfaceret: supponit.n. quod Deus rebus creatis sic prouideat, sicut nos ipsi facimus magno labore; & vigiliis; & tamen distat Prouidentia Dei à nostra; sicut eius cognitio à cognitione nostra, de qua ipse dixit, Non enim viæ meæ, vię vestræ: nec cogitationes meæ, cogitationes vestræ. Et per hoc respōdetur ad tertium, quoniam quæ stulta sunt apud homines, sapientia sunt apud Deum; & quod nobis imprudenter factum videtur, summa ab eo fit cum sapientia; Vnde licèt videatur nobis, quòd omnia æqualiter bonis, & malis, accidant; non tamen inordinatè, & irrationabiliter eueniunt; sed nos ignoramus, qua de causa diuina Prouidentia singula dispenset; & ideò stultè loquuntur dicentes, quòd Deus hæc non curat. Ipse namq; malum permittit, quia res, quas cōdidit, sic administrat, vt proprios motus agere permittat; aliàs vniuersi ordinem perturbaret, hominemq; destrueret, dùm eius libero arbitrio vim afferret. Quarè diligenter attendite, nè propter huius mundi aduersa, diuinam incusetis Prouidentiā.

Accedit enim, quod (vt habet Alexander de Ales) ipsam accusare, maius est peccatum, quàm eandem omnino negare. quod fortè esse potest, quia inter species peccatorum in Spiritumsanctum vna dicitur, cognitam veritatem impugnare.

DISTINCTIO XXXX.

De speciali Dei scientia, quæ dr̃ Prædestinatio
- Quantùm ad eius, quid est. A.
- Quantùm ad eius effectum
  - Intentum
    - Determinando. B.
    - Respondendo. C.
  - Non intentum. D.

Lectio XCVI.

PRAEDESTINATIO *verò de bonis salutaribus, &c. A.* Distinctionem hanc 40. absolutè exorditur Magister, eo quòd pendet ex distinctione 35. vbi proposuerat agẽdum esse, de Dei scientia, & cognitione; sub qua Prescientiam, Prouidentiam, Dispositionem, Prædestinationemq; cõtineri dixit. cũ enim hactenus considerata sint reliqua, de sanctissima Prędestinatione agendum sequitur; quod in hac, & sequenti distinctione, sic prestat Magister, vt primo eius effectus, siue actiuam causam consideret; dein de passiuam, quęrendo, An ipsa causam habeat aliquam. Verùm quoniam tractatus huiusmodi, grauis, ac difficilis est admodum; eius difficultatem, amplitudinem, maiestatemq; primùm vobis ob oculos pono; vt hinc ingenij vestri neruos, in huius prędestinationis studio, intendere debere prenoscatis. Difficilis quidem est hæc speculatio. cum in ea, ne dum Heretici, sed etiam pij, Catholici, maximiq; viri, vel in eo errauerint, quod eos, qui de proposito tractant, acerrimè reprehendunt. Nonne.n. Christiano, & fideli ea docere conuenit, quæ docuit Præceptor noster Christus? Modò ipse de diuina Prædestinatione pluries est locutus, licèt Prædestinationis voce non vsus fuerit. Nàm apud Luc.c.12.inquit, Complacuit enim Patri vestro dare vobis regnum; & apud Mattheum.c.x. dixit, Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo: & cap.19. Venite benedicti, & possidete paratum vobis Regnum à constitutione Mundi. Quę omnia ad prędestinationem pertinent; sicut etiam ab omnibus exponitur illud Ioa: Ego sum

Pastor bonus,& cognosco oues meas,&c. Præterea accedit,quod Apostoli,& multi ex Sanctis Patribus (vt constat) eam prædicarunt,ac literis mandarunt, ergo de diuina Prædestinatione tractatio,accusanda non erit; cum presertim,nec sit inutilis, quãdo Dei misericordiam,& iustitiam commendat, nosque ad Dei Amorem & charitatem incendit mirificè. Vt autẽ contra hos zelum habentes non secundùm scientiam, hoc tueri possitis; scitote quod,quia res est difficilis,rectè factum est, vt solùm inter sapientes de ea loquẽdum sit,ne accidat error; hi enim optimè norunt,quòd huiusmodi diuina,auxilio sensuum,& lumine naturali percipi non possunt; quia humanus intellectus in se consideratus (hoc est) propriis suis viribus diuina secreta attingere non valet: sed à diuina gratia eleuatus,auxilio talis luminis supernaturalis,&fidei;(quod lumen perficit,& non destruit lumen naturæ) diuina misteria perscrutari potest. Cum igitur de sanctissima Prædestinatione piè,& Catholicè disserere, secundùm quod in diuinis literis est reuelata, maximè nobis liceat; adhuc (vt eius studio,magis,ac magis incendamini) nosse vos oportet quod Prædestinationis Amplitudo, & Maiestas; ex causa,ex tempore,& ex loco gratissimè consurgit: ex causa primum, quoniam (D. Paulo teste) Prædestinationis Deus est Author; ipse enim prior;dilexit nos,& ab æterno elegit:In tempore autem vocauit,vt illi assentiri possemus; deinde docuit nunc per legem naturæ, nunc per Angelos, nunc per Prophetas, nunc per proprium filium,& demum per Spiritumsanctum,qui loquitur in bonis: vbi nostrum auditum,assensum, preceptorumq; obseruantiam requiri conspicimus: Vltimò magnificat, in via quidem,cruce,& gratia; in Patria verò gaudio,& gloria. Atque hæc omnia in nos facit Deus, secundùm propositum voluntatis suæ; per sanguinem filij sui; vt simus sancti, & immaculati in conspectu eius; ac in adoptionem filiorum eius, recipiamur. Denique Predestinationis patet maiestas, ex tempore quidem,eò quòd ante mundi constitutionem est facta: ex loco verò (metaphoricè dicto) quoniam in cõspectu Dei,& in cælestibus est habita. Quare cum hæc ita se habeant, omni studio, ac deuotione; non sine sãcto Dei timore; ad eternum in nos beneplacitum intelligendum,ac explicandum; iam (vt proposuimus) accedamus. iterum à principio exordientes. Magister in hac distinctione, quid in nobis faciat diuina Predestinatio demonstrare intendens, definitionem eius præ-

ponit, & inquit. Prędestinatio est de bonis salutaribus, & de hominibus saluãdis. idest; Prædestinatio, qua quis à malo liberatur, & præparatur ad bonũ, tria in se cõtinet, videlicet homines, & bona salutaria, quę sunt gratia, & gloria: in Prędestinatione.n.homo per gratiam, præordinatur ad gloriam. Vnde à D. August. accipit, quod Prædestinatio, est gratiæ præparatio, & statim, differentiam eius à Præscientia apponendo, inquit, quod Pręscientia sine Prędestinatione esse potest, non autem Prædestinatio sine Præsciẽtia, quia scilicet ipsa communior est Predestinatione. Circa hæc autẽ, quoniam Magister nimis est ieiunus, iurè addimus aliqua: & primo quantùm ad quid nominis, cum Alexandro dicimus, quod in Prædestinatione duo sunt consideranda, videlicet, antecessio, & destinatio, antecessio significatur in illa propositione, prę, & est sẽsus, quod Deus ante mundi constitutionem, & nostri creationem, ad certum finem nos ordinauit: Nam destinare est mittere, seù ordinare. Vnde rectè dicitur, prædestinationem in se (hoc est) vt Dei ordinem, & beneplacitum dicit, æternam esse; quamuis ratione effectus in nobis sit temporanea. Secundò quantùm ad quid rei, (vbi tota ferè consistit difficultas) sciendum est, quòd multæ à sanctis Patribus, & doctis viris afferuntur diffinitiones, secundùm quod multa in Prædestinatione considerantur, (vt paulò antè tetigimus) quæ omnia sic (ni fallor) breuibus comprehendantur. Prędestinatio est æterna Dei ordinatio, qua intellectualis creatura ad finem supernaturalem, per debita media, liberè ab ipsa recipienda, dirigitur. Ex qua quidem diffinitione duo eliciatis velim, quę totum hoc negocium mirum in modum illustrabunt: Primum quod inter Prędestinationem, Prouidentiam, & Pręscientiam, hæc est differentia: quòd Præscientia (vt superius dictum fuit) est vniuersalissima ratio eorum omnium, quę vel facta sunt, vel fieri possunt, etiam à creatura. Prouidentia autem est ordinatio, & ipsa generalis, omnium, quæ, vel facta sunt, vel aliquando fient, in fines suos naturales. Et Prædestinatio (vt diximus) est solum intellectualis naturę, illiusq;, quantùm ad finem, quàm naturæ viribus, attingere non potest; ac etiam quantùm ad media, quibus finem illum commodè consequi potest. Vndè consequitur quòd est quędam pars subiectiua, speciesq; Prouidentiæ; & pertinet ad intellectum, quamuis requiratur & ipsa voluntas; quoniam operationes illius naturæ, quę capax est liberi arbitrij, non possunt referri ad

intel-

intellectum, sine voluntate; nec è conuerso: Alterum verò animaduertendum est, quod prędestinatio est hominum omnium, & Angelorum, atque ipsius Christi, quantùm ad naturam humanam, quamuis non eodem modo. Sunt enim homo, & Angelus intellectualis naturæ; ordinatiq; sunt ad supernaturalem finem; quem consequuti sunt, & cōsequentur omnes, qui per debita media, Deo semper dirigente, incesserint: Sed Christus quantùm ad naturam humanam prædestinatus fuit, vt assumeretur à verbo, in vnitate sui suppositi; vt esset filius Dei naturalis; & caput Ecclesiæ, nos autem membra. Tertium denique notandum, est, quod Reprobatio Prędestinationem consequitur; inquantùm est eorum, qui cum prędestinati essent, quod illis mandatum erat, diuinæ gratiæ resistentes, seruare noluerunt: propter quod supernaturali fine priuantur; & pœna inferni cruciantur perpetuò, vt posthac ex ipso Magistro intelligemus clarius.

LECTIO XCVII.

PRAEDESTINATORVM *nullus uidetur posse damnari, &c. B.* Hæc est huius distinctionis pars secunda, in qua Magister de Prædestinationis effectu disputans, primū de salute, quę eius effectus est volitus, quęrit certitudinem. Secundariò de damnatione, quam Prædestinationis effectum, non intentum dico, veritatem docet. Et quātùm ad primum, vt habeat Magister, An Prædestinatio certum importet salutis effectum, inuestigādum proponit, An Prædestinatus possit damnari; & è contra. Cuius occasione, formaliter quęrunt Scholastici. An electorum numerus augeri possit vel minui; & An certus sit Prędestinatorum numerus. Quę omnia, etsi eadem ferè doctrina determinantur, ab vltimo tamen proposito, exordiemur commodius: De illo igitur dicimus, primò distinguendum esse, & de certitudine, & de numero: An.s. quęstio sit de certitudine apud intellectum diuinum, An apud Angelicum, vel humanum; Et an sermo sit de numero, quo numeramus, vt sunt vnitates; an de numero numerato, vt res ipsę. quęstio enim de vtroque numero potest intelligi: Nam formaliter accepto numero sensus est, An, puta, mille debeant saluari, & non plures; materialiter verò sumpto numero, sensus est, An Dionisius, Hieronymus,

nymus, & fortes infallibiliter debeant saluari; Et tunc Responde tur, quod si propositum referamus ad intellectum nostrum, Prędestinatorum numerus non est certus vllo modo; quoniam (vt hisce diebus in disputationibus nostris dicebamus) nullus scit, An Dei Amore, vel odio dignus sit; nisi per reuelationem id acceperit, ergo nos, vel alios Prędestinatos esse, vix coniectura cõsequi poterimus. Sed si quæstionem ad intellectũ diuinum referemus, certè certus erit Prædestinatorum numerus, de quocũque numero intelligatis; hoc est, formaliter, & materialiter. cuius veritatis, testimoniũ optimum, est Ecclesia, in sacrificio altaris, dum inquit, Deus, cui soli cognitus est numerus, in suprema fœlicitate locandus: per quod patet, apud intellectum Angelicum Prædestinatorum numerum nõ esse certum; dictum est enim, quod soli Deo cognitus est; quod tamen intelligo ex propria illorum virtute; quoniam si Deus vellet, hæc & alia multa, non minus abstrusa, Angelis ipsum intuentibus, manifestare posset: ergo diuino intellectui certus est Prædestinatorum numerus. ex quo sequitur talem numerum apud ipsum augeri, vel minui nequaquam posse. Vnde Principale à Magistro propositum quærendũ remanet, An.s. Prædestinatus possit damnari, & reprobatus è contra saluari. quod cum in se difficile sit intellectu, duobus animaduersis redditur facillimum: Alterum quidẽ est, quod diuina Prædestinatio duobus modis potest accipi, videlicet, simpliciter, & secundùm quid; declaro, simpliciter, hoc est, absolutè, in se, & ab aliis actibus intellectus, ac volũtatis distincta. Secundùm quid autem, quatenus diuinam Præsciẽtiam includit, & continet. Alterum verò animaduertendum, est, quod homines duplicem habent vitam, duplicemq; dicuntur habere iustitiam, præsentem.s.& futuram; secundùm quod, duplex est Ecclesia, militans, vz. & triumphans. Et tunc dicimus, quod cum diuina Prædestinatio sit omnino contingens, vt potè nostrum liberum arbitrium continens, & cõseruans, eaq; sit totius naturæ intellectualis singulariter (vt superiori lectione statuimus) Profectò, simpliciter accepta, nullam habet certitudinem, quoniam bona illa salutaria de quibus est Prædestinatio, negligi, paruipendi, & consequenter non recipi possunt; non enim illa sic ordinantur à Deo, vt proposita, recipere cogamur; Quamobrem, sic in proposito non accipitur Prædestinatio; sed alio modo inquãtùm.s. cum Pręscientia, quam supponit, accipitur. Siquidem ex eo quod Præscientia

Dei

Dei falli non potest,& liberum nostrum arbitrium cogi nō debet, Oritur difficultas, An cōcedendum sit,quod taliter Prædestinatus damnari possit: & similiter de reprobo dubitatur, An saluari possit; quoniam oppositorum eadem est scientia; Quamuis Deus reproborum solùm habeat Pręscientiā: ex quo fortè factum est,quod pręscitum esse, reprobatū nobis significet. Vnde cum ad vtramq; partem arguitur, vt habet Magister in litera; recordemini eorum, quæ dicta sunt in tractatione de diuina Præsciētia; sicut enim ibi expositum est, quod cum contingentibus manet necessitas, quoniam (vt habet Porphirius in Logicis) res contingens, quando est, necesse est esse; sic in proposito, nō est mirum, quòd cum hoc homine, quem dico esse prędestinatū, maneat libertas, & contigētia. Nam cum dico Petrum prędestinatum, duo dico, Prędestinationē .s.& Petrum: ratione Prędestinationis, dico diuinum propositum, quod cum Pręscientia acceptum falli non potest; ratione Petri, intelligo causam operantem ex libero arbitrio, & defectibilem: quo fit, vt respectu Dei ītelligatur necessitas,& respectu Petri libertas. Quare cum dico hoc totum, Petrum prædestinatum, libertatem cum necessitate coniungo: & tunc ad quæstionē, distinctione vtor Magistri, vʒ. de sensu cōposito,& diuiso: Propositiones enim istæ, Prędestinatus potest damnari, & reprobatus pōt saluari, in sensu cō posito sunt falsæ; & in sēsu diuiso veræ; Prædestinatus.n.quatenus Prædestinatus (in sensu composito) necessariò saluatur; quamuis liberè, & cōtingenter; quia res, quando est, necessariò est esse. Nam (vt habet Scotus) dictarum propositionum sensus in duabus Cathegoriis consistit, vt prædestinatus potest damnari; sic exponitur, hic est prædestinatus,& hic potest damnari, ambę istę sunt verę; sed quomodo verę? disiunctim, siue distinctę, & non simul, quia opposita simul esse non possunt; nec vnum potest succedere alteri, quia in æternitate nō est successio: sed tamen inquantùm voluntas diuina, diuinusq; intellectus cōsideratur, vt prior naturaliter suo actu, suo intelligere, quo cognouit hūc, & illum consequuturos finem, ad quem eos ab ęterno voluit ordinare; in illo priori nō repugnat Prędestinatum damnari; quia potuit Deus, quem dicimus Prædestinatum, non prędestinare; quod etiam (non facta suppositione) potest hoc tempore; quia actus Diuinus non transit in pręteritum. Demum propter diuersa sacrę scripturę dicta, quę habitæ determinationi videntur opponi, dicatis sēper quod prędestinati secūdùm

pręsen-

pręſentem iuſtitiam, pręſentemq; vitam, quæ in militante Eccleſia agitur à Prędeſtinatione cadere poſſunt; ſed nullo modo finaliter. Et per hoc, ea patent, quæ de Reprobatione à Magiſtro habentur in vltimo capite huius diſtinctionis. Sicut enim Prędeſtinatio Pręſcientiam nominat, atque præparationem beneficiorum Dei, ſic reprobatio dicit Præſcientiam iniquitatis, præparationemq; Pęnæ; Sed tamen (vt inquit Magiſter) hæc differentia intercedit, quod Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, ideſt diuina electio, qua elegit, quos voluit; quamuis omnes eligere voluerit; quia vult omnes homines ſaluos fieri. Reprobatio autem eſt pręparatio damnationis aliquorum, non quidem eorum, quos voluit, (quia non vult mortem peccatoris) ſed eorum, quos pręſciuit, non obſeruaturos mandata. Quod ſi aliquando dicitur à Magiſtro, aliquos ab æterno non fuiſſe electos; de ſpeciali electione intelligatis velim; qua ſcilicet aliquos ſpeciali dilexit Amore; vt ſpeciali ſanctitate fulgerent: non autem quòd aliquos tantùm prædeſtinauerit, & nõ omnibus ad ſalutem conſequendam neceſſaria dederit; vt fortè clarius, in ſequenti explicabitur.

DISTINCTIO XXXXI.

- De diuina Prædeſtinatione
  - Simpliciter, quantùm ad eiꝰ cauſam
    - Docet veritatem. A.
    - Excludit errorem
      - Fidelium
        - Illum determinãdo. B.
        - Arg. reſpondendo. C.
      - Hæreticorum
        - Redarguendo. D.
        - Docendo. E.
  - Secundùm quid, quantùm ad Dei cognitionẽ
    - Vt præſcientia dicitur. F.
    - Vt ſcientia eſt. G.

LECTIO

LECTIO XCVIII.

SI autem quærimus meritum obdurationis, & misericordiæ, &c. A. In hoc tractatu difficillimo de Prędestinatione, diximus Magistrum duas cōstituere distinctiones, quibus totum hoc negocium explicabat; & iam ex altera quid Prædestinatio sit, ac eius effectus accepimus. Modo in hac duplex est Magistri consilium, quorum alterum spectat ad disputationem, de qua egimus: reliquum verò, ad cognitionem diuinam, ad quam Prædestinatio pertinet, redire videtur. Nàm in prima parte quęritur, Vtrum Prædestinatio ex parte prædestinati causā habeat; in secunda verò quæritur, An cognitio Dei possit minui. Quæ, quoniam disputatiuè tractantur à Magistro, aliorum sententias referendo, & refellendo, à nobis etiam, secundùm quod oportunius visum fuerit, in disputationem assumentur. Igitur, quo ad primam partem distinctionis huius, de causa passiua Prædestinationis disputandum proponitur, v3. An detur aliqua causa meritoria, siue detur aliquod meritum Prædestinationis, & reprobationis: quod vt facilè percipiatur, quæstionis intelligentia præmissa, aliorū adducentur sententiæ, ex quibus illam, quæ tutior, & firmior visa fuerit, ne gratis ei adhæreatis plurimùm commendabo. Cum ergo quæritur, An Prædestinationis sit aliqua causa; ne quis intelligat de Prædestinatione in se, & absolutè sumpta, quantùm ad eius actum, disputari, sciendum est, quod Prædestinatio sic accepta, identificatur realiter cum intellectu diuino, diuinaq; voluntate; vnde creata omnia, omnibus modis sunt, & pēdent; absque aliqua alia ratione; quamuis rectè dictum sit, quod Prædestinationis sic acceptæ, Deus causa sit efficiens; restauratio eorum, quæ in cælis, & quæ in terris sunt, nostraq; exaltatio ad sui gloriam, causa finalis; diuina misericordia, & gratia, causa formalis; & rationalis creatura, causa materialis: quoniam circa illam voluitur immensus, & sempiternus Prędestinationis actus. Istæ tamen non est intellectus, secundùm quem de prædestinatione quæritur hîc à Magistro, Ideo dicimus quod alio modo accipitur Prædestinatio, ratione Prædestinati. s. quantùm ad beneficia illi exhibita tempore suo; & tunc quæritur, An in Prædestinato sit aliquod opus, vel ratio motiua obtinendi à Deo Præ-

destinationis beneficia; & quoniam hic sermo est de merito præuiso, & non de actuali, hoc propriè in controuersiam vertitur, An Deus totũ effectum Prędestinationis fieri voluerit, propter aliquã temporalem causam meritoriam, vel dispositiuam ab eo æternaliter præuisam, fore in Prædestinato à libero eius arbitrio, quod de de reprobatione similiter à vobis est intelligendum. Hæc auté difficultas plurimos perturbauit etiam antè Magistri tempora. Vnde Homerus, illum saluari, hunc verò damnari dixit, eo quòd huius anima, antequàm in corpus descẽderet, ad Portas Paradisi peruenta, de fonte sinistro biberit; illa verò de destro. quæ sententia, quamuis de dextra, & sinistra Christi in extremo iudicio, propter opera Charitatis exponi possit; In eo tamen damnatur, quod omniũ animas simul esse creatas ponit: In quo etiam Origenes errauit; qui propter opera bona, vel mala ab animabus facta, antequam eius corpora essent creata, illas infallibiliter prædestinari, vel reprobari existimauit: ex quo illud maximum sequitur absurdum, quòd frustra essent omnia, quę à Christo, & à nobis propter nostram salutem fiunt. Verùm, & Pelagius, licèt monachus fuerit, à veritate recessit; dùm inquit opera hęc nostra, à Deo ęternaliter pręuisa, in causa esse Prædestinationis, vel Reprobationis æternæ: non enim (vt inquit D. Paulus) ex operibus, iustificamur; tùm quòd opera nostra quæcunque sint, nihil sunt ad futuram gloriam comparandam; tùm quia, si gratia esset ex merito, iam non esset gratia: Cui tamen errori (vt etiã refert Magister) D. Augustinus dum iuuenis erat, subscripsit, asserendo bonũ fidei vsum, à Deo præuisum, causam esse nostræ Prædestinationis, & malum è contra reprobationis nostræ. Sed postea episcopus, & doctior factus, in primo libro retractationum cap. 22. se declarauit. Catharinus aliam protulit sententiam, dicendo, quod, sicut duplex dicitur Dei voluntas, vt, absoluta, quæ super omnem ordinem operatur; & conditionata, quæ pacta, statutasq; leges, obseruat; sic duplex est Dei Prædestinatio, absoluta; qua aliquos, puta, Petrũ, & Paulum absque vlla operationum Præscientia, suæ potestatis plenitudine, ita prędestinat, vt damnari nullatenus possint: conditionata verò, qua eos prædestinat quos benemeritos præscit. Verùm hæc opinio Deum personarum acceptatorem facere videtur. Quarè ad Magistrum in litera libenter accedo; eius enim sententia Dei in nos perpetuam charitatem commendat, opera nostra bona tanquam necessaria ex

postulat

postulat, animas nostras, antè corporum generationem, esse creatas, non requirit; salutis, ac damnationis necessitatem non ponit; & demum ex ea nullum sequitur absurdum. Hæc autem est, quòd Prædestinationis causa est diuina misericordia, Reprobationis verò peccata nostra. At, si dicat quis vestrum, responsionem hanc proposito non satisfacere; quoniam Prædestinationis causa ex parte nostri querebatur, Respondeo Dei misericordiam Prædestinationis causam esse, etiam ex parte nostra; quatenus in nos ipsos operatur; siquidem ipsum vocantem audire, diuina eius misericordia factum est: quod si hoc non admittitis, sciatis, Prædestinationis causam, nullam in nos esse reliquam. Nec ob id inferatis opera ad salutem non esse necessaria; quoniam sub Prædestinatione (vt ex allata definitione conspicitur) & finis continetur, & media ad finem; quamuis enim Prædestinatio non cadat sub merito, preordinauit tamen Deus se nobis gloriam non daturum, nisi ex meritis; Ideoq; nobis dat gratiam, vt mereamur gloriam; quandoquidem opera nostra, sine gratia, ad vitam æternam consequendam (vt nostis) nihil valent. Hæc autem pia Catholicaq; determinatio D. Thomę doctrina 1.p.q.23.5. mirificè illustratur. Cũ enim Prædestinatio (vt ipse docet) dupliciter sumi possit, vno modo in particulari, hoc est, pro aliqua parte totius effectus Prædestinationis, in aliquo vno, vel pluribus prædestinatis; & alio modo in cõmuni, s. pro toto effectu Prædestinationis, vel in omnibus, vel ĩ aliquo vno prędestinato: Profectò effectus particulares Prædestinationis nihil prohibet habere causam; sic quod alter, alterius sit causa; at totus effectus Prædestinationis, nullam potest habere causam, ex parte nostra: quia sic, pro causa, solam habet diuinam bonitatem; quæ vltimus est illius finis, eiusdemq; prima ratio, tamquam primum mouens voluntatem diuinam, ad prædestinandum: Quod etiam clarius sic reddo, Ex prædestinationis effectibus, qui sunt vocati, iustificari, credere, diligere, rectè viuere, & vita æterna; aliqui sunt in nobis, sine nobis, vt vocari, & iustificari: & aliqui in nobis, nobis cooperantibus, vt reliqui omnes. Vnde D. Augustinus dicebat quod multa sunt iustorum merita, nulla tamen vt fierẽt iusti. Nam opus bonum, informatum gratia, causa est meritoria gloriæ, seu vitæ æternæ; sed gratia, gratis nobis impenditur; licèt bonum opus, præcedens gratiam, eius possit esse dispositio quædam: Ex quo cõcluditur Diuinã Prædestinationem causam nõ habere; nisi ex parte

alicuius effectus, secundùm quam, rationalis, & iusta dicitur. Nec sequitur, ergo bonus vsus gratiæ, causa est Prædestinationis ad gloriam; sed benè sequitur, ergo Prędestinauit nos Deus, vt per bonū vsum gratiæ promoueret nos ad gloriam. Quod non sic euenit in Reprobatione; quoniam in ea est aliquid, extra totum reprobationis effectum. s. culpa. Quocirca quod hunc Deus puniat, non ex sola Dei voluntate pendet; sed ex illius demerito; vt in calce huius primę partis apertè habet Magister, dum inquit, non enim Reprobatio, ita est causa mali, sicut Prędestinatio est causa boni. ergo ne reprobemini diligenter attendite.

LECTIO XCIX.

PRAETEREA *considerari oportet, &c. F.* In hac secūda huius distinctionis particula; quoniā omnis Prędestinationis certitudo (vt iam accepimus) ex ipsa Dei scientia pendet, & nascitur: An illa minui possit, quęrit Magister. Nam si modo nesciat Deus aliqua, quę aliquando sciuerit, Certè diuina Prædestinatio certa non erit. Ad quod breuiter respondet Magister, dicēdo, quòd Deus omnia scit, quę prius sciuit; sed tamen nō omnia præscit, quę pręsciuit. Pręsciuit. n. me nasciturum, & mundū esse creandum, quę modo non præscit; quia non amplius sūt futura, respectu quorum pręsciētia nominatur. Omnia tamen scit Deus, quę aliquādo sciuit, & vna est, eademq; eius sciētia, quam de pręteritis, de pręsentibus, & de futuris habet; quę tamē (vt potissimū distinctione 35. dicebat Magister) diuersis nominibus appellatur. Verùm cū hæc facillima sint; ad principale propositum, quod de Prędestinatione erat, reuertor. Nam ad vberiorē doctrinā illius difficultatis, quā superiori lectioni tractauimus. Quęrunt Scholastici, vt Alexāder de Ales 1.p.q.28.mēb.3.ar.2.& post eū D.Th.1.p.q.23.8.& Egidius 1.d.41.q.2 ar.2. quęrūt inquam, An diuina Prædestinatio Sāctorū Precibus iuuari possit: cum.n. nostrarū operationum Pręsciētiā, æternæ Prædestinationis causam, ex parte nostri, esse non posse, constanter diximus; dubitandū remanet, An fortè ex alienis meritis assignanda sit illi causa: Nisi enim hoc admittatur, nos ad illam merè passiuè haberi, videmur; ita vt pro salute consequenda, nihil sit omnino laborandum; cuius oppositum Ecclesia sancta docet: dum


dum eos ad frequenter; siuè intermissione, & sẽper orãdum, hortatur. quod ad Prędestinationẽ aliquid facere, D. Augustinus declarat, cùm inquit, Si non es Prædestinatus, stude vt prædestineris. Et tamẽ accepimus ex alia parte, quod diuina Prædestinatio rationæ suæ certitudinis, nec falli, nec impediri aliquo modo potest; ꝙ etiam ex eo confirmari videtur, quod temporale, (vt est hominum vel sanctorum oratio) Prædestinationem æternam pręcedere, vel adiuuare non valet. Vt igitur in hoc quid benè, quiduè malè dicatur, innotescat; Primùm quomodo res se habeat explicabitur; deinde contrariis rationibus fiet satis. D. Thom. tres inquit esse hominum sententias; Quoniam alij diuinæ ordinationis immobilitatem considerantes, sanctorum orationes in diuina Prædestinatione nihil proficerè, apertè dixerunt: Alij autem è cõtra, quos AEgyptios, Stoicosq; fuisse commemorat, orationibus etiam diuinam voluntatem flecti, & mutari posse affirmarunt: Vndè, & in sacra Scriptura dicitur, quòd quando quis mutat vitam, Deus mutat sententiam. Verùm tota mutatio est in nobis, & ex parte nostra; nec tamen inanes sunt sanctorum preces, aut nostra bona opera frustra; Ideò falsæ sunt hæ duæ sententiæ, tanquam extremæ; inter quas ponitur media verissima, v3. quod Prædestinatio diuina numquam mutatur, & tamen orationes, aliaq; bona opera valent, ad consequendum Prędestinationis effectum. Nam propter illa, quæ in diuina Prædestinatione requiri, & cõtineri diximus, diuinã Prędestinationẽ, duobus modis cõsiderare possumus; vno modo in se, vt est Prędestinatio, quatenus. s. actus est diuinę volũtatis, & intellectus; & sic pęnitus est immutabilis, sicut intellectus, & voluntas. alio verò modo cõsideratur ratione sui effectus, qui nõ est tãtùm finis, sed media quoq; ad finẽ; & sic mutari pót. Quare dicitur quod Prędestinatio primo modo, hoc est; vt diuinã dicit prędestinationẽ, sanctorũ precibus nõ iuuatur; qm̃ illis non efficitur quod aliquis prædestinetur à Deo, cum pręsertim Prædestinatio sit æterna; cuius non potest esse causa temporalis; sed alio modo iuuatur precibus Sanctorum, aliisq; bonis operibus; sicut aliquis iuuatur instrumento, quo suum opus perficit: cum enim Prædestinationis effectus sit salus humana; quæ à Deo procedit, sicut à causa prima, eius possunt esse multæ aliæ causæ proximæ, quasi instrumentales, quæ Diuina Prædestinatione ad illam sunt ordinatæ; sicut instrumenta ab Artifice, ad effectum artis explendum, applicantur.

Et hoc

Et hoc est illud,quod supra dicebamus,totum Prædestinationis effectum,non habere causam,sed benè particulares effectus ex meritis pendere: Qua quidem distinctione,simul cum illa de pręsenti, & futura iustitia,omnes ferè soluuntur difficultates. Hæc tamen particulari indigent solutione. Si prędestinatio nostris præcibus aliquo modo iuuatur (vt conceditur) ergo Deus prædestinans, auxilio nostri indiget. Respondetur quod aliquis adiuuari dicitur duobus modis, propriè, sicut qui virtutem ab alio accipit, quod infirmis est; Ideo sic Deus adiuuari non potest; Alio modo communiter ille adiuuari dicitur, qui per alium, opus aliquod exequitur; sicut Dominus per ministrum: & sic Deus, per nos adiuuatur,dum suas exequimur ordinationes. quod propter defectū virtutis diuinæ non est vllo modo; sed vt ordinis pulchritudo seruetur in rebus,in eo quod creaturis,dignitatem causalitatis,communicat. Sed illa longè maior est difficultas,qua dicitur, Deum corda hominum indurare,& cui vult misereri. Nam si (vt inquit D. Paulus ad Rom.)non est volentis, neque currentis; sed miserentis Dei; in Sanctorum precibus,in aliisq; nostris bonis operibus,nulla spes reponenda videtur. Attamen est aliquid quod tantæ difficultati respondeamus; cū pręsertim, Non delectetur Deus in perditione peccantium; imo velit omnes homines saluos fieri. Nam primo docet D. August. quod non indurat Deus, malitiam imittendo, sed substrahendo gratiam; quod fieri, certè intelligere debetis; non eius absoluta voluntate,qua vult omnium salutem; sed propter nostri defectum,& peccatorum obstaculum;quia ipse sem per ad cordis nostri ostium stat, suaq; diuina gratia pulsat. Præterea scire oportet,quod solemne est in sacris literis,permissionem Dei,illius actionem vocare: Idcirco cum in proposito Deus dicitur facere,vel indurare permissiuè intelligatis,quod.s.aliquem indurare malumq; fieri permittit: cuncta enim quæ creat sunt valdè bona iusta naturam suam; sed postquam Deus fecit vasa.i.homines, quantùm ad eorum substantiam; illi, propria eorum voluntate,Deo permittente,lapsi sunt in ignominiam. Quem etiam locum simul cum multis aliis facilius intelligetis,animaduertendo, quod Deus,qui neminem deserit, omnibus quidem ad saluté consequendam,auxilium dat sufficiens; sed tamen aliquos (absque vlla alterius iniuria) magis auxiliatur, abundantius illis prouidet, maioremq; dat gratiam; sicut habemus in parabola de talentis, quod

quod alicui dedit vnum tantùm, alteri plura; ratione cuius facti dicitur aliquando in sacra scriptura, Deum illos amasse, quibus plura contulit beneficia; illos verò odisse, quibus tantùm necessaria dedit; sicut intelligi credimus, illud de Iacob, ac Esaù. Et his breuiter animaduersis, huius altissimi misterij intelligentiam, difficultatesq; patêre posse arbitror; secundùm quòd illorum noster intellectus est capax. sunt enim diuina aliqua, quorum nulla potest assignari ratio, de quibus per doctam ignorantiam dicere debetis, quod sic fecit, quia sic illi placuit. Hæc igitur de prædestinatione disputata nobis sufficiant; sciētes quod qui vult ad vitam ingredi, seruare debet mandata.

DISTINCTIO XXXXII.



LECTIO C.

NVNC *de Omnipotentia Dei agendum, &c. A.* Tractatum, quem hîc habet Magister, de ipsius Dei Omnipotentia, à primo fidei nostræ articulo rectè exordiar. Quoniam cum dicimus, Credo in Deum Patrem Omnipotentem. veritatē quodammodo determinamus, vt An Deus sit omnipotens, nō sit amplius timendum; & ordinem, continuationemq;, huius totius disputationis non incongruè consignificamus: Nam ex tali fidei articulo, diuinæ essētiæ vnitatem primò accipimus; de qua in prin

cipio

cipio libri tractatum fuit. Secundò diuinarum personarum distinctionem habemus; de qua ferè hucusque actū est à nobis: & tertiò Deum ipsum Omnipotentem esse concludimus; circa quod non parum, nec inutiliter, hoc tempore est laborandum: si tamen continuationem proximiorem requiritis, prẹter eā, quæ in distinctione 35. habita est à Magistro (vbi, quæ hîc tractantur enumerauit; quamuis alio ordine, quia tunc ea considerauit, vt ad effectū vnum concurrunt, & hîc in sua generalitate) hanc vobis assigno; quod cum dictum sit à Magistro, Deum cognitione sua causam esse omnium efficientem; & cum cognitione, simul intelligenda sit potentia, & voluntas; sine quibus nihil operatur diuina cognitio; optimè factum est, vt post tractationem diuinẹ sapientiæ, qua omnia cognoscit, sermo sit de Dei Omnipotentia, qua cuncta in esse produxit. ad quam sequitur speculatio de diuina voluntate. nàm prẹponitur scientia, quia tàm possibilia, quàm impossibilia respicit: deinde tanquam minus vniuersalis sequetur Potentia; quæ de possibilibus est solummodo, quibus accedit voluntas; quẹ futura tantùm, & fienda respicit; vt in extrema parte libri huius (Deo fauente) videbimus. Tractatum autem hunc vniuersum de Dei Omnipotentia triplici distinctione absoluit Magister, In quarum prima de eius vniuersalitate agit; in secunda de eius immensitate, in altera verò de perfectione, & inuariabilitate eiusdem. Prima duas habet partes, secundùm quòd disputatione proposita, veritatem aperit; & deinde oppositas rationes adducendo, difficultates remouet: Et quidem quantùm ad primum nihil aliud quẹrit Magister, quàm quid sit illud, vnde sumatur Omnipotentia, hoc est, Quare dicatur Omnipotēs, An, vz. quia omnia simpliciter possit, an verò quia tātùm possit ea, quẹ vult. quod est quærere, An mēsura diuinẹ Omnipotentiẹ sit diuina voluntas; an potius ipsa potentia latius diffundatur, quàm voluntas. Cuius quẹstionis ea est veritas, quod Deus dicitur Omnipotēs, quia omnia simpliciter potest; quẹ. s. sub actiua potentia continentur. Aliquem enim ea, quẹ vult, posse facere, ad rationem Omnipotentiẹ non sufficit; quoniam tunc omnis beatus diceretur Omnipotens; eò quòd quilibet est sua sorte contentus, & consequenter quicquid vult facere potest. Sed vt veritas huiusmodi magis innotescat, contra ipsam obiicit Magister, probando Deum non esse sic Omnipotentem, ex eò quòd nos aliqua facimus; quẹ ipse facere nullo modo potest: vt

ambulare

ambulare, peccare, & corrumpi; prçterquam quòd plures affert Sanctorum Authoritates, Deũ ideo esse Omnipotentem affirmantes, quia omnia, quç vult potest. Quibus tamen statim, distinctè Respondet Magister, & monstrat hçc non euacuare, nec tollere, positam, ac determinatam de diuina Omnipotentia veritatem; quoniam licèt Deus ambulare non possit, nec loqui; quando ad hçc organa, & instrumenta non habet; ea tamen in nobis, & per nos operatur. Peccare verò, & mori, potentiam non arguunt, sed infirmitatem. Et denique authoritates, inquit, nihil aliud probant, nisi quod Dei voluntas impediri non potest: non autẽ quod Deus etiam, quæ non vult, facere non possit: Sancti enim sic locuti fuére propter aliquos stultos, Deum multa quæ vult facere non posse, temerè asserentes. Quarè, concludit Magister, Deum Omnipotentem esse; quia omnino potest, quæ posse, iurè potẽtiæ ascribitur: quod quidem aliis vel Sanctis minimè cõuenit; quia licèt possint, quicquid volunt se posse, & se facere; non tamen omnia, quæ fieri vellent, facere valent; vt omnes homines, vel aliquos beare: sed Deus simpliciter potest, quicquid est factibile, ad esse deducere; vel per se, vel per creaturam: à qua etiam in eo differt, quod potentia, quam habet creatura ab alio pœnitus pendet, & proficiscitur. Potẽtiam autem, qua Deus dicitur potens, per suam naturam habet, sicut filius, & Spiritussanctus per se, & sui naturam, omnipotentiã habent; quamuis eam à Patre habeant, simul cum natura: propter quod eam à se habere non dicuntur. Hæc autem à Magistro probè stabilita, & fixa, vt firmiora, & faciliora reddantur, Duo nunc velim vos animaduertere. Quorum illud est vnum, quod diuina Dei Omnipotentia, pluribus modis sese nobis manifestat; & potissimum in hoc, quod non potest pati, nec dissolui; quãdo ipse solus est æternus, nec vllum habet oppositum vincens. Prçterea creatione rerum manifestatur; quia quæcunque voluit fecit in cælo, & in terra. Amplius in cõseruatione, & gubernatione cognoscitur; siquidem omnia conseruat, quamdiù sibi placet, in tantaq; rerum diuersitate, non aliundè pendet gubernatio, quàm ab eius omnipotentia. Quç etiam quàm maximè apparet, dum bonos præmio; & improbos, vel in alio mũdo, velint, nolint, debita pçna afficit. propter quæ Omnipotens dicitur etiã formaliter, quia ipse est suamet virtus. Alterum verò animaduertendum, ex Alexandro de Ales accipitur, & est, quod nullum materiale, vt actus currẽdi; nullum

 passiuum,

passiuum, vt mori, & vinci; nullum inordinatum, vt mentiri; nullumq; priuatiuum, vt obliuisci, & falli; (quia hæc potentiæ defectum dicunt) Potentiæ diuinæ per se debet attribui: sed tantùm formalia, actiua, habitudinalia, & ordinata. Illa enim (vt iam determinauit Magister) solùm diuinæ Potētię subiiciuntur: vel quia in aliis efficiat, vt passiua, & materialia: vel quia per eius potentiā ordinantur, vt priuatiua, & inordinata: Quarè cum omnis imperfectio à ratione potentiæ remoueri debeat, vt ipsa potentia Deo cōuenire valeat; Profectò (vt diximus) nulla in Deo ponitur potentia passiua, nec consequenter habitus, qui in tali potētia fundatur; sed Potentia, quæ Deo maximè conuenit, est actiua, quæ non diuiditur contra actum, licèt non semper sit coniuncta effectui; cum creaturæ nō sint ab æterno, eò quod effectus sequuntur imperium voluntatis, & ordinem sapientiæ, nec ponitur in Deo, vt aliquid differens à scientia, & voluntate secundùm rem; sed solùm secundùm rationem, inquantùm.f. Potentia, importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit; Nàm ipsa scientia vel diuina voluntas, rationem habet potentiæ, secundùm quod est principium effectiuū; Vnde patet, quòd nō dicitur principium, quia sit ipsa relatio; quam significat ratio principij; sed quia est id quod est principium. Quæ quidem ratio principij, & potentiæ, simplicitati diuinæ minimè derogat; quia non ponitur quasi aliquid additum essentiæ; imò est ipsa essentia diuina, quæ ex hoc ipso, quod ponitur Deum per eam agere, ponitur esse potentia; quæ quia essentię modum significandi addit, speciale nomen requirit; cui quidem aliquid respondet in re saltem mediatè, vt ipse Deus; qui propter eius incomprehensibilitatem diuersis formis commodè repræsentatur. Omnibus igitur imperfectionibus animaduersis, & remotis, omnium aduersantium argumenta facillimè tolluntur. Deus enim non agit per modum rerum naturalium; nec per medium à se ipso realiter differens.

LECTIO CI.

QVONIAM Deum Optimum Maximum, superiori lectione, Omnipotentem esse, articulo fidei principaliter, determinauimus; atque duce Magistro, Omnipotentem dici

ex eò

ex eò quòd omnia possibilia absolutè potest; declarauimus; duo, hoc tempore, perquirenda sequuntur, Antequam vlterius progrediamur in litera; vt.s. intelligamus, quid nam sit illud, quod absolutè possibile dicitur: Et An ratione naturali, Deum esse Omnipotentem comprobare liceat: fidei enim articuli tanquam notissimi creduntur, & tamen superius Omnipotentiam de Deo quodammodo demõstrare tentauimus. Quę tamen vt facilius deducãtur. Primùm ex iam dictis colligamus, quod Deus, licet sit Omnipotẽs, quędam non potest. Ex eo enim, quod ostensum est, in Deo non esse passiuam potentiam, sequitur ipsum non posse, quæ sunt potentię passiuæ; vt est posse, quod ad esse pertinet; quoniam non potest esse corpus, nec aliquod huiusmodi: nec etiam potest mutari, vel deficere, aut corrumpi; non defatigari, aut obliuisci; non vinci, aut violentiam pati; nec pęnitere, aut irasci, vel tristari; Atque, ex eo, quod ostensum est, in ipso esse potentiam actiuam, cuius obiectum est ens factum, sequitur eum non posse quod est contra rationem entis; inquantùm est ens, aut contra rationem facti, inquantùm est factum; quia nulla potẽtia põt, vbi deficit sui obiecti ratio. Quamobrem propter defectum entis, nõ potest Deus facere, vt idẽ simul sit, & non sit; quod opposita simul sint in eodem secundùm idem; quod rei desit aliquid suorum principiorum essentialium: vt quod homo non habeat animam; quod genus non sit pędicabile de specie; quod lineę ductę à centro ad circumferentiam non sint ęquales; quod pręteritum non sit pręteritum; & similia, quę ratione entis repugnant. Ratione verò defectus entis facti, non potest Deus facere, aut aliquid sibi ęquale, aut quod aliquid sine ipso conseruetur: Atque ex eo quod per voluntatem agit, sequitur quod non potest facere, quę non potest velle; & sic non potest facere se non esse, aut non esse bonum, vel beatum, sicut nec peccare: & similiter ex eo, quod voluntas eius non est mutabilis, sequitur, quod non potest facere id, quod est à se volitum, nõ impleri: sicut ex eo quòd agit per scientiam, non potest facere, quę se facturũ non præsciuit; aut dimittere quæ præsciuit se facturum: quæ tamẽ intelligenda sunt, de Potentia sub conditione, vel suppositione; & non absolutè sicut supradicta: illa enim nec velle, nec facere simpliciter potest: huiusmodi autem, & velle, & facere potest absolutè; sed non supposita voluntate de opposito. Tunc enim nõ sunt in numero possibilium absolutè; Quoniam aliquid possibile abso

 lutè,

lutè, vel impoſſibile dicitur ex habitudine terminorum; vt poſſibile quando prædicatum nõ repugnat ſubiecto; puta ſortem ſedere; & impoſſibile è contra, quando pr{e}dicatum repugnat ſubiecto; quod non continetur ſub Omnipotentia Dei; quia non habet poſſibilium rationem; vnde conuenientius dicitur quod tale non poteſt fieri, quàm quod Deus illud facere non poſſit: Vt quod Adam non fuerit. quia licèt Adam non fuiſſe contradictionem non implicet, per ſe; per accidens, tamen ſit impoſſibile; quoniã ſubiecto accidit oppoſitum prædicati, vt pr{e}teritio, cui repugnat hoc prædicatum, non fuit. Sed an ſit iudicandum aliquid poſſibile, vel impoſſibile ſecundùm cauſas inferiores, vel ſuperiores? cum enim poſſibile ſecundùm ſe conſiderari poſſit; ac etiam in comparatione ad potentiam aliquam; iam diximus poſſibile ſecundùm ſe, & ex parte ſua illud eſſe, quod contradictionem nõ includit; quod.ſ. natum eſt eſſe ſubiectum alicuius Potentiæ, niſi ex parte Potentiæ ſit defectus. eo enim ipſo, quod extrema, repugnantiã contradictionis non includunt, quantùm eſt ex parte ſua; nata ſunt illa coniũgi per aliquam potentiam; niſi ex parte potentiæ ſit defectus: Vnde quia diuina Potentia nullum p{e}nitus habet defectum; ſubiectũ eius Potentiæ dicitur omne illud, quod contradictionem non includit; ſed loquendo de Poſſibili in comparatione ad aliquam potentiam; certè illud eſt impoſſibile ſecundum cauſam inferiorem, ſuper quod poteſt cauſa inferior: & illud poſſibile ſecundum cauſam ſuperiorem, ſuper quod poteſt cauſa ſuperior; ſiue ſuper illud poſſit cauſa inferior ſiue non. Theologi tamen communiter loquuntur de poſſibili, & impoſſibili ſecundùm cauſas ſuperiores: Vnde apud illos, omnia ea, quæ non ſunt in ſe impoſſibilia poſſibilia dicuntur: ſecundùm illud, non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum; Nam id, quod cõtradictionẽ implicat, verbum eſſe non poteſt: quia nullus intellectus poteſt illud concipere. Sed Philoſophi poſſibile, & impoſſibile iudicant ſecundùm cauſas inferiores: in quo non accuſantur (licet in eo inſipientes, & ſtulti facti ſint, quod impoſſibile cauſis inferioribus, etiam Deo impoſſibile iudicant) imo communiter effectus, poſſibiles, vel impoſſibiles ſecundùm cauſas proximas debere iudicari dicimus; quoniam ab illis recipiũt poſſiſibilitatem, vel cõtingentiam, vel etiam neceſſitatem; actio namq; cauſarum remotarum ſecundùm cauſas proximas determinatur; quas pr{e}cipuè effectus imitantur. Propriè tamen,

men,& in comparatione loquendo de possibili,& impossibili;totum iudicium sumi non debet à causis inferioribus, nec etiam à prima causa, licèt eius Potentia sit mensura omnium potentiarũ; quia comparatio possibilis ad Potentiam, non est sicut mensurati ad mẽsuram; sed sicut obiecti ad Potentiã. Ideo potius sub disiunctione dicendum est, hoc causis inferioribus, & superioribus esse possibile;& illud, (puta mortuos suscitare) Deo tantùm possibile; quia ipse solus omnia possibilia simpliciter potest. Ex quo primaria dubitatio consurgit,quam Scotus hoc in loco, & in quolibet is habet, v3. An,Deum esse Omnipotentem ratione naturali declarari possit; cui ipse breuiter satisfaciens affirmatiuè respondeo, sicut in calce pręcedentis lectionis tetigimus: & probo, Mundus effectiuè est à Deo ex nihilo; etiam secundùm Aristotelem (vt in expositione octaui Physicorum sufficienter vobis monstraui) siue id sit per emanationem,siue per creationem:ergo Deus habet vim infinitam: ergo est Omnipotens. non enim est minoris virtutis dare esse ab æterno; quàm dare esse in tempore. Quamobrem sicut hoc inferret infinitam virtutem,secundùm peripateticos,etiam & illud. & confirmatur,quia si agens,quod producit ex passo minus disposito,maiorem habet vim; certè quod ex nullo modo disposito infinitam habebit. Item intelligentiæ emanarunt à Deo secundùm Aristotelem,ergo emanarunt ex nihilo; quia non ex materia. Pręterea anima rationalis,si est immortalis,& multiplicatur (vt re uera est) nonne creatur & fit ex nihilo, quoniam ex Potentia materiæ non educitur? Sed nonne etiam Arist.in t.78. octaui Physicorũ expresse ponit primum mouens esse virtutis infinitæ, dum hãc assumit illationem, si aliquid mouet tempore infinito, est virtutis infinitæ? est enim illatio ab infinitate durationis,& successiua motus,ad infinitatem intensiuam motoris: ex extensiua inferendo intensiuam; virtute illius proportionis si aliqua res habet ex se virtutem mouendi, puta per vnum tantùm diem esset alicuius virtutis; si per duos dies esset in duplo maioris virtutis,& sic consequẽter. Vnde si habet virtutem ex se mouendi infinito tempore erit virtutis infinitæ; atque (vt dicitur) vigoris infiniti. propter quod non possum illos non admodum admirari,qui Aristotelẽ, dicto in loco, de sola infinitate durationis exponunt, faciunt enim, quod Arist. (Logicę inuentor) principiũ petat in argumento. Quoniam certum est id,quod est,vel mouet infinito tempore; mouere, & esse

in

in finito tempore. Vnde manifesta esset nugatio, si solùm intellexisset de virtute infinita in duratione; & esset ridiculum argumentum. ergo naturali ratione probatur, Deum esse Omnipotentem. Nunquid igitur articuli fidei demõstrari possunt; & consequẽter omne meritum fidei euacuari? Ad hoc respondent aliqui, quod alia est Potentia Theologorum; & alia Philosophorum; & quod hæc, quę sine causis secundis esse non potest, duce natura demonstratur: nõ autem illa Theologorum, qua fatentur Deum ex se, circumscripta quacumq; causa secunda in omne possibile posse. Rectius tamen dicunt asserẽtes, quod articuli fidei declarari possunt ratione catholica, (vt in principio huius primi dicebat Magister se loqui velle de articulo Trinitatis) non autem ratione naturali, nisi ad hominem, hoc est contra Hęreticos. Siquidem cum Dei opera non sint contra naturam, nullũ puto inconueniens aliquos fidei articulos naturaliter declarari posse, dicente etiam Ricardo de Sancto Victore libro primo de Trinitate cap. 4. quod ad omnia, quæ fide tenemus, adsunt rationes necessariæ. Verum tamen est, (vt in principio huius expositionis, lectione octaua dicebamus) quod articulis propter naturales rationes, fides adhiberi non debet; neq; vt credamus, illas expetere debemus ne fidei meritum destruatur in nobis.

DISTINCTIO XXXXIII.

De Dei omnipotentia, quãtùm ad quãtitatem
- Dissoluit rationes cõtrarias
  - probabiles
    - Illas præmittẽdo
      - Primam. A.
      - Secundam. B.
    - Solutionem apponendo. C.
  - Validiores. D.
- Exponit authoritates oppositas, propositumq; determinat. E.

LECTIO

LECTIO CII.

QVIDAM *tamen de suo sensu gloriantes, &c.* A. Iuxta diuisionem superius positam, agendũ est hoc in loco, de Dei Omnipotentia; respectu immensitatis, siuè quantitatis eius; cum iam actum sit de Omnipotentia, secundùm eius vniuersalitatem, siuè quantùm ad quidditatem possibilium. Quam quidem partem iudicauit Magister necessariam, propter quorundam audaciam; qui Dei Omnipotentiam, ad quandam mensuram deducere, sunt conati, dicentes, Deum nec plura, nec pauciora posse facere his, quæ facit. Hic enim illos reprimit, Primùm eorum rationes dissoluendo; deinde oppositas authoritates exponendo; propositumq; determinando; circa quæ, plura erunt animaduersione digna. Inquit igitur, quosdam ausos fuisse dicere, Deum nõ potuisse plura facere, nec pauciora, quàm fecerit: Atque etiam (subiectam materiam sequentis distinctionis proponẽs) addit eosdem dixisse, Deum, ea, quę fecit, meliori modo facere, non potuisse, quam opinionem errorem vocat Magister, eamq; ideò carpit, quia liberum Dei arbitrium de medio tollere videtur. Siquidem (vt vera dicam) Potentia Dei absolutè sumpta, ad multa alia potest se extendere, quàm quę fecit; similiter & eius voluntas, absque præiudicio bonitatis, iustitiæ, & sapientiæ: cuius dicti ratio est, quoniam ordo creaturarum, non est commensuratum diuinæ bonitati, vt absque eo esse non possit, licèt enim diuina voluntas, suã bonitatem, non velle, non possit; quia est eius naturalis finis (sicut homo naturaliter, ac de necessitate vult beatitudinem, & ea, quæ necessaria sunt ad beatitudinem consequendam) tamen huic fini non commensurantur creaturæ; ita quod sine his diuina bonitas manifestari non possit, quod Deus intẽdit ex creaturis; sicut enim per has res, quę nunc sunt, manifestatur diuina bonitas, & per hũc rerum ordinem; ita per alias creaturas, & per alium ordinem manifestari poterat. supposito tamen quod ipse non velit alia facere, vel supposito quod pręsciuerit se non alia facturum; profectò alia non faciet: Nam (per suppositionem) posito alicuius actionis opposito, actio fieri non potest: non enim possum ambulare dum sedeo. Illi tamen, qui de suo sensu gloriantur, absolutè loquentes, dicebant

dicebant Deum non posse plura facere, nec pauciora, his, quę fecit. Quod rationibus, vel potius fallaciis probare; & authoritatibus falsò intellectis, munire, tentarunt. Et primò quidẽ sic arguendo. Non potest Deus facere, nisi quod bonum, & iustum est fieri: Sed nihil est bonum, siue iustum à Deo fieri, nisi id quod facit; ergo nõ potest facere nisi id quo facit. & confirmant hanc eandem difficultatem, sic arguendo. Non põt Deus facere nisi quod Iustitia eius exigit: Sed iustitia eius non exigit quod faciat, nisi id quod facit. ergo non potest facere plura, vel pauciora his, quæ facit. Et hic est eorum cauillus, qui concludere videtur; quoniam sicut à Deo, nõ potest esse nisi optimum, quia ipse perfectissimus est; sic ab eodem non potest esse nisi iustum; quia ipse fons est Iustitiæ. hunc tamen simul cũ primo facilè soluit Magister, propositiones distinguẽdo. Nam cum dicitur, Deus non potest facere, nisi quod iustum est fieri; duplex potest esse intelligentia, vz. vt iustitia, & iustum referantur ad tempus pręsens; vel ad indifferens, & indeterminatum: & tunc inquit, iuxta primam intelligentiam, propositionem illam maiorem falsam esse: quia sensus est, Deum non posse facere, nisi quod iustum est fieri, hoc tempore: veram autem alio modo; quia tunc significatur quod Deus nõ faceret, quod iustum non esset; & si faceret, iustum esset: nam ipse est sibi met regula infallibilitatis; & omnis iustitiæ, & tunc sequitur negãda minor; quia falsum est, quod ea tantùm sint bona, quæ actu existunt; quasi ab actu, & non à productione Dei, habeant bonitatem. Vlterius tamẽ sic instant, Deus non potest facere, nisi ea, quę debet; sed non debet nisi ea, quę facit, ergo facere non potest, nisi quæ facit. maior patet, quia dato opposito, sequitur, Deum aliqua facere, quæ non debet; & minor similiter est manifesta, quia nisi faceret Deus omnia, quæ debet, terminos iustitiæ, aut bonitatis egrederetur. Nihilominus Magister has, & consimiles propositiones, negandas esse docet: quia in diuinis illud verbum, debet, locum non habet; & ideo ait; quòd latet anguis in herba. i. venenum in hac voce, debet; quia licèt Deus, ex conuentione, possit esse nobis debitor: non tamen natura; nec absolutè dicendus est nobis debitor. Idcirco sanè acceptum, debet, idem est, quod conuenit; & tunc, cum dicitur quod Deus non potest facere, nisi quod debet; nil aliud significatur, nisi quod Deus non potest facere, nisi quod ei est cõueniens, & iustum. quod etiam cũ possit intelligi dupliciter (vt pręmissi argumẽti propositiones)

dicendum

dicendum certè non est, quod Deus nō possit facere, nisi quod modo conueniens est, & iustum. Sed benè quod Deus non potest facere, nisi id quod si faceret, esset cōueniens, & iustum: Nam licèt iste cursus rerum determinatus sit istis rebus, quæ nunc sunt, non tamen ad hunc cursum limitatur diuina sapientia, & potestas. Vnde licèt istis rebus, quæ nunc fiunt, nullus alius cursus esset bonus, & conueniens; tamen Deus posset alias res facere, & alium eis imponere ordinem: quia etsi Deus facit quicquid iustum est, in actu; nō tamen quicquid est iustum in potentia. siquidē potest aliquid facere, quod nunc non est iustum, quia non est; iustum tamen esset si faceret: sicut licèt Deus non velit alia facere, quàm quæ facit, potest tamen alia velle: quia eius voluntas nō est determinata ad vnū. & Ideo, absolutè loquendo, potest alia facere. Nam (vt diximus) optima ratio, qua Deus omnia facit, est sua bonitas, & sua sapientia; quæ maneret etiam si alio, & alio modo faceret. Vnde quicquid facit est optimum, & optimum etiam quicquid aliud est ordinabile ad eius bonitatem, secundùm suæ sapientiæ ordinem. Verùm adhuc dupliciter arguunt, & primo sic, Deus nihil facit, nihilúe dimittit, nisi ex rationabili causa, & intelligentia; sed hæc causa; ea tantùm quæ fecit, constituit: ergo ea tantùm quæ facit, facere potest. Quæ ratio, sicut superiores soluitur, exponendo maiorem propositionem in tempore confuso, & non determinato. Nam causa illa rationalis, qua Deus operatur nihil est aliud, nisi Dei voluntas, qua potest facere, vel dimittere, vt lubet. Vltima verò eorum ratio sic formatur. Non potest Deus facere, nisi ea, quę se facturum pręsciuit: sed non præsciuit se facturum nisi ea, quæ facit, alioquin imperfecta, aut falsa esset eius præscientia: sequitur ergo, vt prius, quod non possit facere, nisi ea quæ facit. cui rationi non Respondet Magister, sed remittit nos ad ea, quæ dicta sunt de Præscientia; quibus & vos longè validiora argumenta soluere potestis, dico tamen hîc cum D. Thoma, quod duplex est hæc locutio, Deus non potest facere, nisi quod præsciuit se facturum. quoniam exceptio, referri potest ad Potētiam, quæ importatur per verbum potest; vel ad actum, qui importatur per verbum, facere; & quidem primo modo, in quo sensu adducitur ratio, falsa est; quia plura potest facere, quàm præsciat se facturum: at secundo modo est vera, quia sensus est, non posse esse quod aliquid fiat à Deo, & non sit à Deo præscitum; quod verè affirmatur: quia ipsum facere

ſubiacet Præſcientiæ, & præordinationi; non autem ipſum poſſe, quod eſt naturale: Nam Deus aliquid facit, quia vult: non tamẽ ideo poteſt, quia vult; ſed quia talis eſt, in ſui natura: Quare poteſt Deus multa facere, quę non vult facere, quia illimitata eſt eius Potentia; pluraq; ſubiacent eius poteſtati, quàm voluntati. quod in ſequenti magis, ac magis clarum fiet.

LECTIO CIII.

HIS *autem illi ſcrutatores, &c. E.* In hac ſecunda parte diſtinctionis 43. iuxta illud Prophetæ pręceptum, quod nobis sẽper ante oculos eſſe debet. ſ. declina à malo, & fac bonum; ipſe Magiſter errorem confutat, & veritatem docet. circa quę pulcherrima, ac ſcitu digniſſima, de infinitate, & libertate Dei, deq; noſtra imbecillitate; hodie nobis diſputanda veniunt. Error autem erat dicere, Deum non poſſe facere, quæ non facit; nec poſſe prætermittere, quæ facit; nam ſequitur diuinam Potentiam finitam, ac terminatã eſſe; Deumq; agere neceſſitate naturæ: quæ duo veritati aduerſari cõſtat; pauloq; inferius manifeſtè mõſtrabitur. Idcirco ad illum errorem confutandum, præter ſolutiones rationum oppoſitarum, quas pręcedenti lectione accepimus; nũc duas D. Auguſtini authoritates exponit; quæ ab aduerſariis, contra veritatem, adducebantur. Nam altera dicitur, Deum non poſſe; quę non vult: & altera, Dei potentiam, & voluntatem omnino ęquales eſſe, apertè affirmatur. ex quibus ſequi videtur ea, quę poteſt Deus, æqualia eſſe, his, quæ vult; & conſequenter non poſſe facere niſi ea, quæ facit. Sed inquit Magiſter priorem authoritatem, ſic intelligi debere. Deus non poteſt, quæ non vult. i. non poteſt, quæ non vult ſe poſſe. modo dicimus, quod Deus vult ſe plura poſſe his, facit; ideo plura poteſt facere, quàm faciat. cum verò ſecundò dicitur per D. Auguſtinum, quod voluntas æqualis eſt potentiæ; hoc illis libenter concedimus; quoniã eadem res eſt potentia, & voluntas. ſ. ipſe Deus. Ex quo tamen non ſequitur Deum tot ſolùm poſſe quot vult. æquales enim ſunt Potẽtia Dei, & voluntas ad intra; hoc eſt, quatenus in vna eſſentia identificantur; ſed ad extra, inequales dici poſſunt, inquantùm latius funditur Potentia, quàm voluntas; quia plura ſunt ſubiecta eius Potentiæ, quam voluntati.

Quare

Quare hæc remanet veritas amplectẽda; quæ est, Deum plura posse facere, quæ non vult; & posse dimittere, quæ facit; absque eius aliqua nouitate, vel mutatione. Ad quam comprobandam, plures affert Magister Scripturæ, & Sanctorum authoritates; quæ nulla indigent expositione. Quamobrem ad ea venio, quæ inde sequuntur, & quæ antea polliciti sumus: Nam primùm sequitur, imo expresè est conclusum, Dei potentiam infinitam esse. Quod etiam ex eo patet, quia virtus, seu potentia vigoris diuini, non pręsupponit aliquid prius se, à quo depẽdeat; cum sit omnino prima. & clarius ex eo constat, quod eius essentia est infinita: ipse enim Deus est sua virtus; & sicut ipse nullo modo finitur; ita nec eius essentia, nec sapientia, nec Potentia, nec bonitas. Sed omnia in ipso sunt infinita. Quod non debetis intelligere priuatiuè, sed negatiuè; quia .s. non habet finem: qui modus cõuenit Deo, quantùm ad omnia, quę sunt in ipso. cuius animaduersione multa soluũtur argumenta; quæ valent de infinito priuatiuè; quod.s. est, ex parte materiæ nõ terminatè per formam; vt g. ex. cum dicitur, infinitum repugnare simplicitati, quod est passio quantitatis; quod dicit imperfectionẽ; & huiusmodi. Verùm ex his illa non soluuntur, quæ maiorem faciunt difficultatem, vt cum dicitur, quòd si Deus esset infinitæ Potentiæ in vigore, tunc motus fieret in instanti, & aliquid esset frustra in Deo; quia.s. effectum infinitum producere non potest; nec illi aliqua respondet Potentia passiua. Ideo respondeo, quod virtus infinita moueret in non tempore; si esset materialis, aut in materia, & corpore (vt octauo Physicorum probat Arist.) tunc enim ageret quantùm posset; sed illa est extra materiam; & est motoris liberi agentis per intellectum, & voluntatem; Vnde non agit secundùm totum impetum virtutis suæ; sed tantùm agit quantùm vult, & quantùm per suam sapientiã agendũ esse disposuit, & secundùm quod mobilis natura requirit. At hîc, Dominus Honorius Philosophus, ac medicinæ Artis peritissimus, (vt nunc meritò ad Serenissimi MAGNI DVCIS sanitatem reuocandam, omniũ primus, fuerit cõuocatus) in disputatione nostra validè pluribus verbis instabat; quod saltèm posset infinitæ potens, sua infinita Potentia vti; totoq; suo impetu agere, vnde posset fieri motus in instanti. Cui (cum verbo premat) concedo Deum tota sua Potentia agere: & tamen dico quod eius effectus non est infinitus; tùm quòd effectus terminatur secundùm imperium volũtatis; ordinemq; ratio-

nis; tùm quia effectus hoc non patitur, quando non est in natura Potentia receptiua, quę actionem illam possit suscipere; sicut nullus effectus simpliciter infinitus esse potest; quoniam omne creatū habet esse limitatū, ex eo quod habet esse receptum; propterquod Dei Omnipotentia communicari non potest; nàm cum virtus, & potentia semper consequatur essentiam, iam patet per Aristotelē, quod impossibile est, vt essentiæ finitæ sit virtus infinita. ergo aliquid frustra erit in Deo? nego consequentiam. Siquidem illud dicitur frustra, quod ordinatur ad aliquem finem, quem tamen non valet adipisci: modò Deus, & quæ in ipso sunt, ad aliquem finem non ordinantur; sed sunt ipse finis. Vnde dato, quod Deus nunquam aliquam creaturam produxisset; adhuc tamen eius Potētia non esset frustra: sicut nec frustra fuit ab æterno, vsque ad tempus creationis, licèt nihil ad extra produxerit. cuius tota ratio ex hoc (vt diximus) sufficienter sumitur, quia ipse ad nihil extra se, tamquam ad finem ordinatur; sed benè omnia ad ipsum, vt ad vltimū finem; vt patet etiam in calce 12. Met: At dicitis, frustra est illa potentia actiua, cui non respondet passiua. Sciatis hoc intelligendū esse de Potentia actiua naturali; quia res naturales coordinatæ sūt ad inuicem, & etiam omnes creaturæ; sed Deus est extra hunc ordinem; quia ipse est ad quē totus hic ordo ordinatur, sicut ad bonum extrinsecum, vt exercitus ad Ducem. Ideo non oportet, vt ei, quod est in Deo, aliquid in creaturis respondeat. Ex quibus omnibus, iam habetis, quod Dei Potentia est infinita, sicut ipse Deus; & nullum sequitur inconueniens. nam quòd iste mundus, & non plures, vel etiam infiniti: & quòd iste hoc vel illo pacto productus sit; id reduci non habet in impotentiam Dei, sed potius in eius sapientiam, & voluntatem; quæ (vt rectè dicunt omnes Theologi) liberè, & non aliqua necessitate, præsertim simpliciter dicta, vniuersum produxit: à quibus nec peripatetici re uera dissentiūt, (vt clarè accipitur, ex Auerr. in libro destructio destructionū, disp. 3. dubio 18.) tam etsi putauerit Arist. quod Deus necessariò (vt mihi videtur) necessitate congruentiæ, mundum ab æterno produxerit: Vnde, & æternum illum in Phisicis, ac Metaphisicis statuit: quoniam illi videbatur indecens bonitatem, ac veritatem Dei in infinitum, sine germine perstitisse. Quo in loco scire conuenit, quod causatio primæ causæ, nil est aliud (si formaliter loquimur) quàm actualis suæ bonitatis, suæq; veritatis effluxus;
boni-

bonitatis quidem communicandæ, veritatis verò repreſentandæ; ſeù manifeſtandæ: & cum huiuſmodi fluxus, ſumma cum ſapientia ſit, & libertate; non opus eſt omnia, quæ fiunt quotidie in vniuerſo, fieri, ex neceſſitate; aut quod pereat liberum arbitrium; quoniam ſicut omnia pendent à cauſa prima ſecundùm ſapientiam, & voluntatem ſuam; ita omnia ab ea cauſantur, & fiunt; ſicut illa cauſari, & fieri decernit, & vult. propter quod D. Tho. ſcitè effectus tàm contingentes, quàm neceſſarios in efficaciam tandem reiicit diuinæ voluntatis, vt patet 1.p.q.18.8. Quare poteſt Deus plura, & pauciora facere, quàm quæ facit. Idque ob eius infinitam potentiam; ſummamq; libertatem, à qua ſemper omnis defectus, qui in modo cauſandi contingenter, & neceſſariò reperitur, remoueri debet.

DISTINCTIO XXXXIIII.

De Dei omnipotentia, quã tùm ad qualitatem
- Reſpectu rerum
  - Oſtẽdit nõ limitari ad bonitatẽ
    - Inſtantiam ſoluendo. A.
    - Solutionem confirmando. B.
  - Probat nõ determinari ad modum. C.
- Reſpectu ſui, mõſtrat eſſe immutabile. i. nõ poſſe minui. D.

LECTIO CIIII.

N*VNC illud reſtat diſcutiendum, &c.* A. Cum Dei Omnipotentia tribus modis conſiderari poſſet, v3. ſecundùm ſe, & in computatione; hoc eſt, reſpectu Dei, & reſpectu rerum; idq; quantùm ad earum quantitatem, & qualitatem; Ideo eius conſideratio tribus diſtinctionibus, habita fuit à Magiſtro; quarum duabus primis expoſitis, hæc tertia eſt, & vltima; in qua tractandum remanet de rerum qualitate, ſiue bonitate, vt diuinæ potentiæ ſubſtat. Et hoc eſt, quòd diſcutiendum proponit; cum quęrit, Vtrùm melius aliquid poſſit Deus facere, quàm facit. Quo in loco, primò partem affirmatiuam determinat: deindè, Deum nunc æquè, ac ab æterno, Omnipotentem eſſe, manifeſtat: Et quidem quantùm ad primum, quoniam & de re, & de modo

& de modo intelligi poteſt, vʒ. An poſſit Deus rem aliquam facere meliorem, vel meliori modo quàm facit; quoniam dictio illa, melius; & pro nomine, & pro aduerbio poteſt accipi: ad quæſtionem de re, additur quæſtio de modo: Et cum de re quæritur, An Deus eas meliores, quàm fecerit, facere poſſit: Affirmatiuè Reſpondet ipſe Magiſter, licèt aliqui ex hoc Deum inuidum deducerent; ſicut de Patre in diuinis D. Auguſt. dicebat, quòd inuidus eſſet, niſi filium ſibi æqualem genuiſſet. Nam inquit ſimilitudinem non valere, eò quòd de ratione filij eſt, quod æquetur Patri, cum ad perfectum venerit; non eſt autem de ratione creaturæ alicuius, quod ſit melior, quàm à Deo facta eſt: cum præſertim, Pater filium de ſua ſubſtantia genuerit, & non ſic creaturas. Hoc autem affirmatiuè dictum (vt ei fides ab omnibus adhibeatur) & ratione, & authoritate probat; Ratio quidem ad impoſſibile ducit, hunc in modum. Si rem factam; meliorem Deus facere non poteſt, vel ideo eſt; quia eius bonitati additio fieri nequit. & tunc eſſet Creator, & nõ creatura: vel quia maioris bonitatis nõ eſt capax; & tunc ob id imperfecta, fieriq; poſſet capax à Deo, qui fecit illam. Authoritas vero eſt Diui Auguſtini, ſuper Gen. dicentis, Talem potuit Deus hominem feciſſe; qui nec peccare poſſet, nec vellet; & ſi talem feciſſet, quis dubitat eum meliorem fuiſſe? cum enim nunc melior ſit brutis, quia peccare poteſt; tunc ex parte, beatis fuiſſet æqualis, ratione voluntatis confirmatæ; Ergo poterat Deus facere hominem, meliorem, quàm fecerit; quod etiam de aliis rebus, deq; ipſo vniuerſo intelligendum eſſe, animaduertit Magiſter. Circa quam determinationem, Scholaſticorum intelligẽtiam notare, ac plurimi facere debetis. Cum enim illius dicti duplex poſſit eſſe ſenſus, vʒ. Quod Deus poſſit meliorare facta; & quod poſſit facere alia meliora factis; ſciendum eſt quòd res eadem non poteſt fieri melior ſubſtantialiter; quoniam differentia ſubſtantialis, ſe habet vt vnitas in numeris, quibus cum additur mutatur ſpecies; Nàm ſicut, ſi numero ternario addatur vnitas, fit quaternarius: ſic homo rationalitate mutata, non eſſet amplius homo, & æquus intellectu addito non eſſet amplius æquus. Poteſt tamen res eadem fieri melior accidentaliter, vt quantùm ad ſapientiam, abſque ſpeciei mutatione. Vndè vniuerſum (iſtis rebus ſuppoſitis) melius eſſe nõ poteſt propter decentiſſimum ordinem his rebus attributum à Deo; in quo bonum vniuerſi cõſiſtit; quorum ſi vnum aliquod eſſet melius, cor

rum-

rumperetur proportio ordinis: sicut si vna chorda plus debito in tenderetur, corrumperetur Cytharæ melodia. Veruntamen posset Deus alias res facere, vel alias addere istis rebus factis, & sic esset vniuersum melius. Quamobrem verè asseritur quod Deus quali bet re à se facta, potest facere aliam meliorem; quod mehercle dictum, quibusdam admirabile videtur; eo quod timent processum in infinitum; & cõsequenter creatura actu infinita, ne concedatur, dubitant. Nàm arguit Scotus 3. Sententiarum d. 13. quęst. prima. Si potest procedi in infinitum ascendendo in perfectionibus, ergo creatura, quæ in infinitum excedet infimam creaturam, erit in infinitum perfectior; & sic erit in se intensiuè infinita, quod est impossibile. Sed Scotus (pace dictum sit) opinione sua deceptus est. Nàm si Dei virtus est infinita; infinitéq; à creatura distat; cur non poterit Deus semper nouas species, noua genera, nouosq; mũdos condere, cum maiori eorum perfectione, absque eo, quod eius virtus adequari possit? Omnis enim creatura est finita, ideo, augumẽtum recipere potest; & Deus Potentiæ est infinitę, ergo semper illi restat, quod creaturis tribuat. Quamobrem rectè D. Th. in secundo contra gentes. c. 22. vsque ad 27. inquit, quod Dei virtus non limitatur ad tales effectus, quin meliores facere possit. Ad rationem igitur Scoti, cõcedo processum in infinitum sic, quod semper est dabilis alia maior perfectio; sicut in numeris semper quocunque numero dato, vlterior dari potest: Nego tamen quod vna creatura, aliam excedat in infinitum; quoniam inter infimam, & supremam creaturam semper est finita distantia; semperq; vltra illam supremam; alia perfectior est dabilis. Ex qua quidem doctrina; Caietani distinctionem accipiatis; nam inquit, in infinitum procedere vno modo intelligitur, quod procedat in aliquod vnum numero infinitum; quod. s. sit terminus, ad quem processus, ita vt infinitum habeat vim nominis: quo quidem modo fortè Scotus D. Thomam intellexit; & ideo se fefellit; alio modo quod procedatur in infinitum; idest numquam in vltimum, sed semper in aliquod; sic quod restet aliud vlterius; ita vt ibi infinitũ habeat vim aduerbij; & sit modus ipsius processus; & sic conceditur infinitum in perfectionibus. Cum ergo dicitur quacũque creatura data, potest fieri alia perfectior, nõ denotatur aliqua potentia in creatura ad aliã vlteriorem creaturam; sicut in numeris accidit; sed denotatur inconsumabilitas possibilis absolutè, & inexhauribilitas diuinæ Potentiæ;

tentiæ; quoniam est infinitæ actualitatis simpliciter; ita quòd nullo participato actu exauritur; sed semper restat vlterior exauriendus actus. Quamuis humanitas Christi, ex hoc quod est vnita Deo, & beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei; atq; Beata Virgo, ex hoc quòd est Mater Dei, quandam habent dignitatem infinitã, ex bono infinito, quod est Deus: propter quod, ex tali parte, nõ potest aliquid fieri melius eis; sicut nõ potest aliquid esse melius Deo. Nunc venio ad difficultatem de modo rerum conditarum, quo .s. quęritur, An Deus potuerit vti meliori modo, quo vsus fuit in cõstitutione rerum: ad quam breuiter dico (vt habet ipse Magister) quod cum modus, in Deum possit referri, & in creaturis: respectu quidem Dei, non poterat, res meliori modo fieri, quàm sit facta; quia tunc significatur nobis Potentia respectu Patris, sapientia respectu filij; & bonitas respectu Spiritusancti; & sẽsus est. An Deus potuerit maiori sapientia, maiori potentia, maiorią; bonitate, res facere, aut creare; & cum nulla sit melior potentia, nulla melior sapientia, & bonitas, quàm illa diuina rectè dicitur, quod res meliori modo fieri non poterant, eo quo factę sunt: Sed si referatur modus in creaturis, profectò potest Deus res aliter, & melius facere, quàm faciat: quia potest Deus aliquibus rebus meliorem modum existendi pręstare; aliumą; modum, & nobiliorẽ concedere. Vndè habet D. Augustinus, quod fuit alius modus nostræ liberationis Deo possibilis; quamuis nullus aptior nobis. Ad hæc autem alia pars distinctionis accedit; in qua determinatur Deum nunc posse, quæ prius, & ab æterno potuit; Nam licèt, hoc tempore, nasci, vel mori, aut resurgere non possit (nisi per nouam potentiã, quæ Deo in omnibus quatenus homo non repugnat) eandem tamen habet potentiam, quam prius, & ab æterno habuit; quia potest, incarnatus fuisse, mortuus esse, ac resurrexisse. Nam propter variationem rerum possibilium, possibile ad Deum, nõ eodem modo se habet sicut propter mutationem rerum scitarum, non semper eodem modo se habet diuina scientia: quamuis (vt supra est habitum) scientiam omnem nunc habeat, quàm semper habuit. quod (vt contra Diuum Bonauẽturam tueri possitis) sic Deum posse quod potuit intelligatis velim; vt Deus potẽtiam suam, vel ex parte nunquam ammisisse credatis: quod de cæco nunc facto (vt ipse instat) intelligi non valet; quia videndi potentiam iam amisit: Vndè ipsum, verè dicimus, videre non posse; de Deo autem, verius quod potest,

teſt, quia eius potentia non eſt amiſſa, licèt res aliqua ſecundùm ſe fieri nequeat. propter quod, nec poteſt mundum non creaſſe; ſicut nec uult ſe poſſe. rectè ergo dicta ſunt, quę in hac diſtinctione habentur à Magiſtro.

DISTINCTIO XXXXV.

De Diuina voluntate, quãtùm ad quiditatem eius docet

- Quid ſit volũtas
  - Determinando. A.
  - Confirmando
    - Difficultãtis ſolutione. B.
    - Argumenti expoſitione. C.
- Quid poſſit
  - Vt cauſa prima. D.
  - Vt cauſa generalis. E.
- Quot modis accipiatur
  - Narratione
    - Modi proprij. F.
    - Modorũ metaphoricè
      - Proponendo. G.
      - Exequẽdo
        - De tribus p̄poſitis
          - Declarat. H.
          - Confirmat. I.
          - Comparat. K.
        - De aliis duobus propoſitis. L.
  - Epilogo. M.

LECTIO CV.

IAM *de voluntate Dei, &c.* A. Perſpicua eſt in ſe intentio Magiſtri in hac diſtinctione; ac manifeſta eſt continuatio ex ſuperius dictis; & potiſſimum ex his, quę diſtinctione trigeſimaquinta: à Magiſtro ſunt habita: ibi enim miſterio Trinitatis abſoluto, ea propoſuit, quæ ſpecialiter tractanda erant, in re-

liqua parte huius primi libri: quibus omnibus, excepta Dei voluntate, consideratis, de illa tantùm agendum remanet: adeo quòd speculationem eius, vltimum locum tenere, non sit amplius dubitandum. Licèt enim illa, ratione essentiæ, cui identificantur, æqualia sint, ac pœnitus idem: inter se tamen comparata, Dei potentiam, & scientiam, sequitur voluntas; non solùm quia Spirituisancto est attributa; cui pręintelliguntur Pater, & filius: sed etiam quia in anima rationali primò est potentia, secundò sapientia, tertiò Amor; Nam potentia non est ab alio; sapientia verò est ab alio; & amor est à sapientia, & potentia: secundùm quę tria, ad similitudinem dicitur Trinitatis. Quamuis hoc magis factum sit, vt huic libro connecteretur secundus: vbi de operibus diuinæ voluntatis habetur tractatio; à qua omnia quantùm ad esse; & quantum ad conseruari pendent. Cæterum, hæc de diuina voluntate disputatio, quatuor distinctionibus absoluitur à Magistro iuxta quatuor; quæ de voluntate principaliter considerantur, videlicet. Quidditas, impletio, & efficacia eius; atq; conformatio nostrę volũtatis ad illam. per quæ patet magistri consilium in his quatuor vltimis distinctionibus. Hæc autem, quæ est de diuinæ voluntatis quidditate, tres habet particulas; in quarum prima quid ipsa sit, in altera quod est omnium causa; ac in tertia, quod multis est nominibus, declaratur. Ex cuius dispositionis ordine, commissionis, & omissionis error cõspicitur: Commissionis quidem, quia omne æquiuocum, omneq; multiplex prius distinguendum sit, quàm definiẽdum, quod vltimo facit Magister primo loco proponi debebat. Omissionis verò ille est error, quod ex quatuor quęsitis, quę secundo posteriorum in principio habentur, primum silentio inuoluit. s. An sit diuina Voluntas, quod tamen pluribus, tractant Scholastici. Verùm facilè defenditur Magister, primum quia illa multiplicitas est nominis, & non rei; deinde quia Deum voluntate pręditum esse, ex ante dictis, cognitum esse poterat. Præterquam quòd Magister ad fideles loquebatur, qui orantes quotidie, ac dicentes fiat voluntas tua in cęlo, & in terra; de hoc nullatenus dubitant; At Scholastici, quoniam constituti sunt contra infideles; ex quibus aliqui Deũ omnino naturaliter, & necessariò agere affirmantes, eius negarunt rectissimam voluntatem; iurè an sit (vt eorum destruerent rationes,) sunt percontati. Qua quidem de re, ne aliquibus dubitare videamur, constanter asserimus, quod

uolun-

voluntas, non solùm virtualiter; verùm etiã formaliter est in Deo, voluntas enim perfectionem dicit simpliciter, quia cum sit potentia essentialiter libera, in quocumq; reperitur melius est ipsa, quàm non ipsa; & omne quod dicit perfectionem simpliciter, formaliter est in Deo (vt testantur omnes Sancti Doctores) Ex quo omnis remouetur imperfectio; & omnis difficultas; dum simul cum Magistro de quid est diuinę voluntatis, liberè dicimus; quod non est aliud quàm diuina natura, & essentia; à qua tamen, ratione, & modo significandi non est negandum differre; quia hinc factum est, quod aliqua diuinæ voluntati attribuuntur; quæ diuinæ essentiæ minimè conueniunt. Vnde verè dicitur, quod Deus vult omnia; non tamen quod est omnia; sicut etiam de scientia negatur, Deus scit omnia, ergo est omnia: non enim valet; quia Dei voluntas, quę idem est cum eius essentia, prout exprimitur in verbo volendi; effectum in creatura, quandoque connotat; vt quando exprimitur respectu creaturæ, per additionem eius quod vult; Dei autem essentia, prout exprimitur verbo essendi, nihil connotat. Quia ergo cũ dico, Deus vult omnia, diuinam essentiam, & actum significo: & cum dico Deus est omnia; solùm diuinam essentiam, vel substantiam dico; hoc argumentum non valet, idem est essentia, quod voluntas, ergo est omnia, si vult omnia. imo (vt docet Magister) talis propositio Deus vult omnia, sic debet exponi, Deus est cuius voluntati; quæ ipse est, omnia subiiciuntur: sicut etiam illa, Deus scit omnia, vz, Deus est cuius scientiæ, quæ ipsius essentia est, omnia subiecta sunt. Sed an voluntas, respectu omnium illorum sit, respectu quorum est scientia, atque potentia? Videtur enim quod sic, quia voluntas bonorum est, & omne quod potest, vult se posse; sicut omne quod scit, vult se scire. Et quidem si potentię intẽtio, accipitur communiter, vt ad esse, ac ad agere se extendit, æqualis extensionis est cum scientia; non tamen si intentio potentiæ coarctetur ad agere, vel amplius ad actum dicere; quia tunc amplioris extensionis est scientia, quàm potentia. Et sic voluntas potẽtiæ coequari potest, si potentiæ ordinatæ comparetur: Nam potentia ordinata est eorum, quorum est diuina pręordinatio, hoc est, eorum, quæ à Deo sunt pręordinata, siuè disposita. Absolutè tamen considerata scientia, in plus se habet, quàm potentia, & potentia in plus, quàm voluntas. Vnde non dicitur Deus omniuolens; sicut Omnipotens dicitur, & omnisciens. Nam sicut non esset om-

nisciens, nisi sciret omne scibile; nec omnipotens, nisi posset omne possibile; ita non debet dici omniuolens, quia non vult omne uolibile: licèt enim velit Deus esse omnia bona, quæ sunt, & forè, quæ erunt; non tamen sequitur, quod velit omnia, quæ volibilia sunt; quoniam multa sunt possibilia, & volibilia fieri, quæ, quãuis Deus posset facere, illa tamen nõ vult facere, ex quibus colligitur, quod velle ad volitum refertur, sicut sciẽtia ad scitũ; quamuis habeat Magister, quod volũtas nũquam relatiuè dicitur; ipse.n. voluit intelligere de relatione, vt distinguitur contra modum dicẽdi, secundùm substantiã; siuè secundùm generalẽ nominis intellectum; & nos de relatione, quãtùm ad modũ intelligẽdi, loquimur. Quare patet quod Dei voluntas idẽ est, quod Deus, vel diuina essentia: licèt non sit illa, quæ sibi (hoc est) voluntati subduntur, & hoc erat propositum in prima parte distinctionis, de qua satis.

LECTIO CVI.

HAEC *itaque summè bona voluntas, &c. D.* Illud hic agit Magister, quod in secunda parte huius distinctionis tractari, præcedenti lectione, asseruimus: quod quidem erat de causalitate diuinæ voluntatis. Nam demõstrato quid sit diuina voluntas; eius qualitatem, cuius, (secundùm nostrũ modum intelligendi) dicitur capax; reliquum est mõstrare. Et hoc (quod huius lectionis erit argumentum) conclusione huiusmodi explicatur. Hęc summè bona diuina voluntas, causa est omnium, quę naturaliter fiunt, facta, aut futura sunt, cuius causa quęrenda nõ est, cum immutabilis sit, & æterna. Vnde inquit Magister, si quęratur, Quare Deus hanc, & illã rem fecerit; dicendum est, quia voluit; quare autẽ voluerit, non est amplius quęrenda causa. quod sic diuinè probatur à D. August., omnis causa efficiens maior est causato: sed nihil est maius diuina volũtate: ergo diuina volũtas nõ habet causã. Pręterea omnis causa antecedit causatum; at nefas est hoc de diuina volũtate dicere, ergo diuina volũtas nõ habet causam. Vlterius Magister, elegãti quodã discursu, sumpto ex D. August. 3. de Trin. ostẽdit, quod etiã voluntas est omniũ rerũ causa vniuersalis, quod, quidã parum Philosophantes, non perceperũt, & sic habet, Nihil fit, quod non de interiori, atq; intelligibili aula sũmi imperatoris egrediatur, sm̃ ineffabilem iustitiã: Vbi.n. non operatur quod vult Dei Omnipotẽtis sapientia? quę pertingit à fine, vsq; ad finem, &c.

Ve-

Verùm circa hęc, plura sũt diligenter annotãda; & primũ quod tale Augustini dictũ, Nihil fit, quod nõ egrediatur, &c. Intelligẽdum est aut de egressu volito, siue imperato, aut de egressu permisso: vt sẽsus sit talis, nihil in hoc Terrarũ Orbe producitur, quod à sũmo imperatore Deo, aut nõ iubeatur, quãtùm ad bona; aut non permittatur, quantùm ad mala. Vel saltẽ illud intelligatis de eo, quod propriè fit, quod. s. à causa efficiẽte habet esse: malorum. n. propriè nõ est causa efficiẽs, nisi fortè per accidẽs; sicut ostendit August. 12. de Ciuit. Dei; & Dionysius in libro de diuinis nominib. Imo malum, causam formalẽ nõ habet, cũ sit priuatio formę; nec finalẽ, quia est priuatio ordinis ad debitũ finem; sed habet causã materialem; quę est bonũ, quia est eius subiectũ. Quamobrem, Deus mali causa esse non põt, nã licèt effectus causæ secũdæ deficiẽtis, reducatur in Deũ tãquàm causam primã, non deficientẽ; hoc tamẽ est quãtùm ad id, ꝙ habet entitatis, & perfectionis; nõ quantùm ad id, quod habet de defectu: sicut quicquid est motus in claudicatione, à virtute motiua causatur; sed quod est obliquitatis in ea, ex curuitate cruris. ꝙ si idẽ causa dicitur salutis nauis, & perditionis; nõ tamen sic, Deus est causa mali; sicut causa salutis; quia ipse nõ deficit ab agẽdo; nec vnquam subtrahit influxũ, quòd debetur creaturę. & ideo eius, ꝙ est malũ culpę, Deus cõmuniter à Theologis, causa permissiua dr̃; quòd tñ absolutè à Doctiss. & Reuerendiss. Generali nostro, pręceptore meo, quẽ sẽper honoris causa nomino, nõ cõceditur, inquãtùm qui permittit, cõsentire videtur, Ideo publicè Pisis legẽdo optimè docebat, ꝙ Deus propriè peccata nostra nõ permittit; sed ea patiẽter suffert: eo quod malũ culpę fieri nollet; sed illud fieri patiẽter suffert, ne liberũ hominis arbitriũ destruatur. Secundo notãdum, ꝙ cũ habet D. August. quòd Deus est omniũ causa; nõ sic illud intelligitur, ꝙ excludantur causæ secũdę: Nam Deus est prima causa, & primum, supponit secundùm. Ideo concedendæ sunt causæ secundæ: propterquod Deus, & mediatè, & immediatè agere potest. Nam in prima uniuersi cõstitutione, Deus res oẽs in suis speciebus constituit, absq; aliquo secundarum causarum concursu: At post operationem 6. dierum vsus est, & utitur secũdis causis; quamuis adhuc aliquando immediatè operetur ut potissimũ, quando creat animam: licèt supponat per secũdas causas organizatum corpus; & possit, ad libitum, quemlibet effectum producere, sine secũdis causis; quando hę quicquid habent causalitatis, à Deo habent;

Vnde

Vnde ipse Deus omnium prima causa verè dicitur.s.per suam sapientiam dirigentem, per voluntatem imperantem; & per eius potentiam exequentem: propriéq; respectu voluntatis dicitur causa, quia determinatio potentiæ ad operandum, magis est per voluntatem: quoniam scientia, & potentia effectum non ponunt; nisi inquantùm, ad operandum per voluntatem, determinantur: Vnde propter bonitatem, quæ voluntati tribuitur, omnia fieri communiter asseritur. Ex quo benè sequitur, quòd Deus alia à se vult: quod intelligere debetis, non quia illis indigeat; sed ex abundantia bonitatis suæ: vult etiam illa volendo se, & non per aliud à se; sicut intelligendo se, alia à se intelligit: Vnde sicut sua entitas, & veritas inquantùm cognita, ratio est cognoscendi alias entitates, & veritates; sic sua bonitas inquantùm volita, ratio est volendi aliàs bonitates; quas in tempore esse, ab ęterno voluit; atque eodem actu, quo se voluit. Quod si quęratis, an Deus, ista omnia, quæ vult, liberè, aut necessitate velit; pro certò habeatis, quòd Deus se, suamq; bonitatem necessitate vult absolutà; sicùt voluntas nostra suā beatitudinem, & quęlibet potentia suum obiectum: sed alia à se vult, solùm ex necessitate suppositionis; sicut nos ea, quę ad finem consequendum necessaria non cognoscimus. Vltimò sciēdum, quod cum dicitur, Dei voluntatem causam non habere; sic intelligendū est, quod ei nihil sit causa volendi; & non quod sine rectissima ratione, nobis tamen (vt plurimū incognita) aliquid faciat: & ideo illius dicti talis est intelligentia, quod ipsius diuini velle, nulla est ratio motiua extrinseca, cum ipsum diuinum velle, realiter idem sit, quod Deus; tamen ordinationis, quæ est inter diuinum velle, & ipsum volitum; benè est ratio aliqua.s.summa bonitas: Nam Dei voluntas rationē habere dicitur, sicut idē dicitur habere se ipsum; sed propriè, non est ex ratione, ne aliquid sit ei proprium principium; nec pręter rationem, ne irrationalis esse videatur. Sequitur alia pars distinctionis; quæ in sequenti explicabitur.

LECTIO CVII.

HIC *non est prætereundum, &c. F.* Postrema hæc pars distinctionis 45. quid in se contineat, simul cum prima fuit explicatum; Vbi dicebamus apertè, quòd hic aperit Magister


ster, quot modis accipiatur diuina voluntas. Quocirca intentione manifesta, continuationeq; iam cognita, qua essentiam effectibus, & effectus nominibus pręponit; de diuisione dico, quod primo acceptiones distinguit, deinde capita distinctionis exponit. tertiò inter membra posita differentiam elicit: Quæ omnia hac vna conclusione facilè comprehenduntur. s. quamuis Dei volũtas, quæ est beneplaciti, non sit nisi vna, illa tamen, quæ dicitur signi, per quinque signa distinguitur. Ex qua primũ accipiatis velim, quod quando sacra Scriptura de voluntate Dei loquitur in numero plurali, semper intelligitur de voluntate signi, quæ vel est Pręceptio, vel consilium, vel prohibitio, vel permissio, vel operatio, quæ alio nomine vocatur impletio. Et hæ sunt diuersæ voluntatis acceptiones, quas primo loco affert Magister; quæ quidem, (vt inquit D. Thomas) in hoc fundantur, quod quædam de Deo dicuntur propriè, & quædam metaphoricè; Nàm voluntas beneplaciti, quæ est ipsa Dei essentia, propriè de Deo dicitur; Vnde plurificari non potest, cum in Deo sit vna tantùm; sed voluntas signi, quæ multiplex est, impropriè, siuè figuraliter, & metaphoricè, dicitur voluntas; quia. s. ad modum voluntatis se habet, dum præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet. Vt autem hæc commodè percipiantur, pro secũdo capite animaduerto, quòd voluntas beneplaciti est voluntas, qua volumus, quæ in Deo Deus est; & voluntas signi est id, quod volumus, qm̃, & quod volumus, & quo volumus dicitur volũtas; licèt quo volumus propriè, & quod volumus impropriè; secũdùm quod (vt habet Magister) signa irę dicũtur ira, & dilectionis dilectio appellatur; sicut ẽt Herculis imago, Hercules vocatur; & tunc Scotũ laudo, tùm quod dicit, quòd voluntas beneplaciti, voluntas est Dei efficax respectu cuiuscumq; producibilis; & voluntas signi, voluntas non efficax; qua (per exẽplum) Deus Abraę præcepit, vt filium suum sacrificaret: tùm quia addit quod dicta distinctio eadem est cum illa de voluntate antecedente, & consequente: Nàm voluntas signi, est antecedens, beneplaciti verò est voluntas consequens. Vnde ea, quæ Deus vult voluntate antecedente, vult voluntate signi; & cõsequenter voluntate non efficaci: Quamobrem huiusmodi non semper eueniunt: vt pluribus exemplis declarat Magister in litera. Quamuis omnia, quæ Deus vult voluntate signi, voluntati beneplaciti conformari, credimus; non tamen secundùm sensum, qui in eis intenditur ab homine; cui illa

signa

signa pręsentantur, de quo intelligit Magister in textu; sed in eo sensu, qui in signis illis accipitur à Deo significante: Nam cum Deus pręcepit Abrahę filiũ suum imolare intẽdebat significare, nõ quidem se velle hoc fieri, sed quid Abraham, promptam haberet, ac ostenderet voluntatem hoc faciendi: sicut etiam cum dixit Iesus leproso mundato, Vade nemini dixeris. nõ intendebat significare se velle illud factum taceri, sed nobis exemplũ dare laudẽ humanã fugiendi; & sic in vniuersum patet proposita distinctio diuinę voluntatis. Quod si amplius quęritis de numero signorũ voluntatis Dei; quę dicitur signi, Respondeo cum Magistro, quòd sunt quinque, vz, Pręceptum, prohibitio, permissio, operatio, & consilium. Quibus addiderunt aliqui alia quatuor signa. s. monitionem, comminationem, punitionem, & remunerationem: sed frustra fit per plura; quòd potest fieri per pauciora. Ideo dico, quod remuneratio, & punitio potius spectant ad voluntatem efficacem; quia dùm actu Deus punit aliquem, vel pręmiat, efficaci voluntate id agit: sic munitio ad consilium, & comminatio ad prohibitionem reducitur. Vnde remanent illa quinque Magistri; Quorum sufficientia accipitur hoc modo. Cum enim hæc, signa dicantur diuinæ voluntatis, quia Dei voluntatem manifestant; eaq; facto, aut verbo manifestari possit; si facto, siue effectu à Deo operato, cognoscitur, operatio siuè adimpletio dicitur; si verò alieno facto, quem Deus permittit, significatur; permissio habetur. At si verbo manifestatur diuina volũtas, aut hoc est verbo approbante, aut reprobante; & si primo modo, vel est verbo approbante aliquid, vt ad salutem necessarium; & sic est pręceptio; vel vt ad salutem vtile; & sic est cõsilium, & deinde vltimo modo prohibitione manifestatur. Et sic habetur numerus signorũ diuinæ voluntatis, qui etiã hunc in modũ potest bręuiter accipi; cum. n. voluntas diuina propriè sit pręsentium, & futurorum; (Nam pręteritorũ alio modo nõ est quàm pręsentium) respectu quidẽ pręsentis, si est bonũ, habetur operatio; si malũ, permissio: respectu verò futuri, si est malũ, habetur prohibitio; & si bonũ, aut necessariũ, & sic pręceptio, aut vtile, & super erogationis, & sic consiliũ. Igitur hęc à Magistro optimè dicta sũt, & disposita. Ex quibus sequitur, quod distinctio volũtatis diuinæ, in voluntatẽ beneplaciti, & in voluntatem signi, rationabiliter à Magistro, & reliquis Theologis est posita; & est distinctio volũtatis in volũtatẽ propriè dictã; & metaphoricè; qm̃ volũtas beneplaciti

est voluntas propriè dicta; & voluntas signi metaphoricè dicitur voluntas; eo modo, quò signum, metaphoricè nominatur nomine rei, cuius est signum. Vnde licèt illud quod Deus vult voluntate signi, aliquãdo velit volũtate beneplaciti, aliquandoq; nolit: non tamen propter hoc frustra, vel falso distinguitur vna cõtra alteram; quia non secundùm eandem rationem conuenit nomen voluntatis vtrique. vt dictum est, & ex seq. distinct. magis cõstabit.

DISTINCTIO XXXXVI.



LECTIO CVIII.

HIC oritur quæstio, &c. A. Demonstratum est à Magistro, quod diuina voluntas, quæ diuina est essentia, & quę voluntas beneplaciti dicebatur, frustrari nullatenus potest; quoniam illi, teste Apostolo, nihil resistit. At in hac distinctione, vt nobis innotescat, quo pacto Dei voluntas, semper impleatur; atque certior veritati fides, ac authoritas adiungatur, multas proponit difficultates soluendas: Quarum aliquæ in bono, & aliquę in malo, Dei voluntatem non impleri, probare uidentur. Nam quantùm ad primum patet, quod non omnes saluantur; ut nobis etiam exponitur per segenam missam in mari; & tamē Apostolus ad Thimoteum cap:3. scribit quod Deus uult omnes homines saluos fieri, & ipse Christus, Matt. c. 10. sic habet; Quoties uolui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Si enim uoluit Christus, quare illi noluerunt? ergo id boni quod ipse facere uoluit, fieri non potuit. Ad quę communis est Theologorum responsio, quod cum sit uoluntas beneplaciti, & uoluntas signi, Deus uoluntate beneplaciti non uult omnes homines saluos fieri, nec Hierusalem congregare; sed illa uult, uoluntate signi; quia prędcepit, & consulit omnibus omnia, quæ pertinent ad eorum salutem: Vnde nec mirum, nisi hæc fiant; quoniā de ratione talis uoluntatis non est impletio. Hîc tamen Magister, ut ostendat Dei uoluntatem semper impleri, apertè dicit, quod illa, de quibus obiectum est, Deus non simpliciter uoluit; sed magis dicta sunt ad denotandum, quod quicumq; saluantur, & congregantur sola Dei uoluntate saluantur, & cōgregantur; sicut dicitur Ioa. 1. Qui illuminat omnem hominē uenientem in hunc mūdum; non quia (inquit) omnes illuminentur à uero lumine gratiæ; sed quia non illuminantur nisi ab ipso. Nàm de lumine naturalis intellectus, patet, quod Deus omnē hominē illuminat; quia secūdùm Ambrosium omne uerum à quocūque dicatur à Spiritu sancto est. Verùm hęc expositio, quamuis difficultatem propositā optimè soluat, nos tamē in aliam meliorē, de Sāctissima Prędestinatione inducere uidetur; cum pręsertim prius determinatū fuerit, quod Deus summè liberalis, bonitatem suam omnibus quantùm fieri potest uult communi-

municare,& quod Ideo omnes homines prædestinauit;effectumq; prędestinationis esse contingentem. Expositione.n.prędicta oppositum sentire,ac sancire uidetur ipse Magister. Nos tamen,in eadē sententia manētes, sic Magistrum intelligimus, quod sat illi fuerit propositum inconueniens tollere,nec curauerit in hoc à D. Augustino discedere;quando hoc antea fecerit in tractatu de sanctissima Prędestinatione;& quod res sic habeat,extrema uerba tertij capitis huius distinctionis apertè declarant. Nam inquit Magister,potest & alio modo illud intelligi, Dum tamen credere nō cogamur omnipotētem aliquid fieri uoluisse, & factum non esse. Nam semper dicta sacræ Scripturæ saluari debent; quoniam cum sint à Spiritu sancto,falsæ aut contrariæ esse non possunt. igitur authoritates adductæ de uoluntate signi,optimè interpretantur: aut etiam de uoluntate antecedente; quoniam inquit Damascenus, Oportet scire quod Deus antecedēter uult omnes homines saluos fieri; & regno eius potiri;quoniā non ad puniendum plasmauit nos; sed ad participandum bonitatem eius,ut bonus. ubi est aduertendum,quod huiusmodi antecedentia, & consequentia non debēt accipi ex parte uolentis; sed ex parte uolitorum; sicut diceremus, quod iustus Rex, primo uult omnes homines regni sui non affligi secundùm naturæ conformitatem; & tamen ex consequenti,uult aliquos puniri,inquantùm sunt mali. Quare patet bonum,quod Deus vult voluntate absoluta, & consequenti, quę est beneplaciti;necessariò fieri, impediriq; nullatenus posse;quoniā in Cælo & in Terra, (vt veritas prędicat) omnia quęcumq; sic voluit,fecit. Sed An malū, quod à creatura fit in vniuerso, Deo volente fiat? hoc est quòd secūdo loco quęritur à Magistro: de quo primùm secundùm aliorum opiniones loquitur; deinde iuxta propriā sententiam determinat; quoniam verò hoc est dubitare, An bonum sit,mala fieri; quando Deus non nisi bonum velle potest, sciendum est,quod aliquid esse bonum duobus modis potest intelligi; simpliciter, & per accidēs; hoc est,ex natura sua, vel occasionaliter; (sic enim comprehenditur quadripartita boni acceptio, quam habet Magister in textu) & tunc resolutè dicitur,quod malum fieri,loquendo de malo,sub ratione,qua malum; simpliciter,& ex natura sua nō est bonum; quoniam sic malum fieri est deficere; alicui tamen occasionaliter, siue per accidens malum fieri potest esse bonum. inquantùm.s.ex factione alicuius mali,recognoscit,qui illud est operatus, quod ma-

lum est superbire, & incautum esse; in his maximè, quæ spectant ad salutem; ex cuius consideratione Dei auxilio humilior resurgit, & cautior. sicut intelligimus illud ad Romanos. 8. diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: & illud etiam Gregorij. O fęlix culpa, quæ talem, & tantum meruit habere redemptorem; dicitur enim fęlix occasionaliter; quoniam bonum ex virtute mali, non prouenit, sed ex bonitate, & omnipotentia Dei, cuncta bene ordinatis. Nam licèt malum ratione deformitatis non sit per se ordinabile; quia illa deformitas non est ens, sed priuatio entis debiti; ordinabile tamen est per accidens; quia essentia, in qua est illa deformitas, ordinabilis est, puta, in pœnam propter illam deformitatem, & sic est iustitiæ, & boni ordinis ostensiua. Quare cũ malum per se, & formaliter acceptum non sit bonum, huius secundæ partis sequitur determinatio, quod. s. Deus non vult mala fieri. & confirmatur, quia (vt habet Magister in litera) idem est aliquid fieri Deo volente, & Deo authore; sed Deus non est author mali, ergo ipso volente non fit malum: Præterea malum est causa, quòd homo sit malus, & quod ad non esse tendat; sed Deus non est causa, quòd homo sit malus, nec est causa tendendi in non esse; Deus, ergo mala fieri non vult. Verùm instat aduersarius, quod tunc sequitur nos diuinæ voluntatis posse resistere; eiusq; voluntatem nõ semper impleri; quoniam in vniuerso multa perpetrantur mala. cui quidẽ ex pręmissis iam patet responsio, quia. s. voluntate signi non vult mala fieri; Vnde illa Prohibet: quæ tamen dicitur velle, inquantùm permittit, hoc est illa fieri non cohibet, sed patienter suffert; nam permittere, pro concessione, vel licentia mali, ei opponitur, quod est prohibere. Deus igitur non vult mala fieri; & tamen eius voluntas semper impletur.

DISTINCTIO XXXXVII.

De diuinæ voluntatis efficacia:
- Ostendit nunquam impediri. A.
- Difficultatem aufert. B.
- Propositum concludit. C.

LECTIO CIX.

VOLVNTAS *quippe Dei semper efficax est, &c.* A. Exposuit superius Magister Dei voluntatem semper impleri, nunc verò, ne minimum quidem vnguem ab instituto recedēs eandem in omnibus, & potissimum in homine, semper efficacem esse ostēdit, idq; hoc ordine facit, quod primo veritatem declarat, & aperit, secūdò difficultatem aufert; tertiò propositum cōcludit. Veritas quidem ea est, quę antea vniuersaliter fuit determinata, vz. quòd Dei voluntas, quę in omnibus semper est efficax, de homine pœnitus impletur; quamuis arbitrij libertate gaudeat. Nam sicut, ea, quæ Cæli ambitu continentur, sub Cęlo non esse non possunt, nec ab ipso Cælo elongari valent; quia cum ab vna parte discedunt, ad alteram propius accedere coguntur: sic homo quocumq; se vertat, Dei volūtati, saltem permissiue, semper subiacet: Dum enim contra Dei voluntatem, quæ est præceptio, liberè facit, ad Dei voluntatem iustè punientem, quæ permissio est, necessariò confugit. siquidem Dei voluntatem, qua omnia continentur, nullus omnino subterfugere potest. Vnde inquit Magister, quòd potest quis contra; sed non præter, Dei voluntatem aliquid facere. Quod totum; verum est de voluntate signi. Nàm voluntas beneplaciti (vt iam accepimus, & hoc iu loco apertè docet Magister) aut à nobis, aut de nobis semper impletur; à nobis quidem impleri dicitur quādo diuinis præceptis obtemperamus; de nobis vero, dum propter peccata, diuinæ iustitiæ, aut (quod semper malim) diuinæ misericordiæ subiicimur. Vnde voluntas diuina, immobilis manens, tunc maximè de nobis impletur, quando à nobis nō impleri studemus; quia (vt diximus) qn̄ homo non facit, quod Deus vult, voluntate antecēdēte, Deus facit de ipso, quod vult, voluntate consequente. Ex quibus manifestè concluditur, primum, quod Dei voluntas, quę ipse est, semper est efficax, & sēper inuicta; Alterū, quod pręter voluntatē signi, nec etiam quod dicitur, nihil, fieri pōt. Verùm hic dubitat Magister, qūo aliquid fieri possit contra Dei voluntatē, quod non sit pręter illam. Nàm si hoc intelligitur de voluntate signi, & permissionis (vt iam accepimus) quod scilicet non possit quid fieri; nisi Deus illud fieri permiserit:

Tunc


Tunc ſic argumentor, ergo nec poterit aliquid fieri contra voluntatem preceptiuam; ſiquidem inter omnia ſigna voluntatis, minimum eſt permiſſio, cum ſit reſpectu mali, ad quod minimè ordinatur beneplacitum Dei. Præterea, hoc videtur eſſe contra determinatum de efficacia diuinæ voluntatis; quoniam potentius eſt illud, contra quod & præter quod, nihil poteſt fieri; quàm illud præterquod aliquid fieri contingit: ſicut conceditur etiam de voluntate beneplaciti. contra quam illud validius accedit argumentum, quo, illam, vel omnia neceſſariò producere, vel impediri poſſe, conuincitur: ſi enim Deus (vt prius à nobis ſtatutum fuit) liberè agit, atque in agendo ſecundis vtitur cauſis, maximè impediri poterit eius effectus, & ſi nõ poteſt, effectus eueniet neceſſariò. Quorum quodlibet, maximum eſt abſurdum concedere, ergo, & illud ſimiliter ex quo iſta ſequuntur. Sed horum facilè accipiunt intelligentiam, quia ea, quæ habita ſunt, memoria tenent: ſignaq; voluntatis diſtinctè cognoſcunt: Quia enim permiſſio eſt reſpectu præſentis; præceptum verò, & conſilium reſpectu futuri. Ideo poteſt aliquid fieri contra præceptum, & conſilium, quod non poteſt cõtra permiſſionem: Nam ex primo Peryherm. omne quod eſt, quando eſt neceſſariò eſt eſſe. quod ſi præter voluntatem beneplaciti fit aliquid, hoc nullo modo eſt ex impotentia diuinæ voluntatis; ſed ex ordine ſapientiæ eius; quæ rebus potentiam ad vtrumlibet cõtulit. Quæ etiam cum ad vtrumlibet ipſa ſe habeat, per modum liberalitatis, & non per modum mutabilitatis; non ſequitur quod eius actus impediri poſſit. Non enim ſic dicitur Deus liberè agere, ac ad vtrumlibet ſe habere, quia ſit aliquando in potentia ad vtrunque; vt primo ſit volens potentia, & poſtmodum volens actu; ſed ad vtrumlibet dicitur ſe habere, quia volitum à Deo non habet neceſſarium ordinem ad diuinam bonitatem; quæ eſt obiectum proprium diuinæ voluntatis. Vnde poſſet illud non velle; quia illud, quod vult, non neceſſariò eſt eſſe, ſicut nec impoſſibile non eſſe. Quamobrem licèt aliquis ſit effectus contingens à voluntate Dei, illud tamen impediri nõ poteſt; quoniam neceſſariò ſequitur ad voluntatem Dei efficacem. ſ. ad voluntatem beneplaciti: ita quod licèt non ſit ibi neceſſitas conſequentis, eſt tamen neceſſitas conſequentię. Nec etiam poteſt impediri per defectum cauſæ cooperantis: quoniam huiuſmodi, diuinæ voluntati ſubiacet, & expletio effectus, & ordo omnium

cau-

causarum praecedentium; secundùm illas conditiones, quibus ad effectum sine defectu determinantur: Nam voluntati consequenti subiicitur effectus cum omnibus causis suis, secundùm quod non sunt impeditę: ergo omnis effectus diuinæ voluntatis erit necessarius? non sequitur nisi de necessitate cōditionata, sicut de Pręscientia dictum fuit. siquidem quando comparatio diuinæ voluntatis est ad futurum contingens, effectus euenit contingenter. Quare in tertia parte distinctionis rectè concluditur à Magistro, quod Dei voluntas, quæ Deus est, inuincibilis est, & semper impletur; licèt contra illam, quæ est præceptio, consilium, & prohibitio, facere possimus. Sed quoniam addit in calce, quod Deus non omnia, quæ præcepit, vel prohibuit, ita fieri voluit. ne credamus Deum aliud habere in ore, & aliud in mente, & quod sit falsitas, vel mendacium in Deo; Sciendum est, quod aliud est præceptum probationis siue tentationis, & aliud præceptū executionis: Nàm præcepto probationis significamus fieri, quod fieri nolumus; sed tantùm experimentum quęrimus: præcepto verò executionis semper fieri significamus, quod fieri volumus. Vnde, in pręcepto executionis, est voluntas de impletione actus, & in pręcepto probationis est solùm volūtas de præparatione ad actum: propter quod præceptum Abrahæ factum, probationis dicitur fuisse, & non executionis; quia nolebat Deus, nisi quod prępararet filium ad imolandum, sicut fecit: Vnde dicebat D. Ambrosius, Deus affectum inquisiuit, non autem factum exegit. Quare quòd Deus præcepit pręcepto probationis, fieri noluit, vt postea signo exteriori, vel diuina inspiratione monstrauit: sicut etiam aliquando significauit se velle, quod facere prohibuit, vt leproso quod taceret; qui quidem tam diu tenebatur tacere, quam diu, diuina inspiratione, non aduertisset Domini voluntatem, quæ erat leprosum tacere, quantùm ad proprię laudis vitationē; & factum prędicare propter proximi vtilitatem, & Dei gloriam. Sed quod Deus præcipit præcepto executionis, illud vult fieri voluntate signi, vt iustitiam suam omnibus ostendat, vt mali ex inobedientia pœnam sentiant, & boni, ex obedientia gloriam, quam, vt nobis Deus concedat, quàm qui maximè cupio, nec parum laboro.

DISTIN-

DISTINCTIO VLTIMA.



LECTIO CX.

SCIENDVM *quoque est, &c.* A. Vt huius totius disputationis extrema primis, ac mediis responderent; aptiori fine instituta oratio perfici non poterat, quàm huiusmodi tractatu de conformatione nostrę voluntatis ad voluntatē diuinam; Quem hoc in loco habendum, hac potissimum de causa, non temere sibi proposuit Magister. Ad quid enim tot, ac tāta de diuinæ essentiæ vnitate, personarumq; Trinitate, nobis diuinitus essent reuelata, nisi, vt hoc summo bono frui liceret, efficacissimæ, rectissimęq; diuinę voluntati conformaremur? Nullus namq; rectus esse potest, nisi Deo conformetur; quoniam cum in Deo idem sit voluntas, & veritas, & sine veritate non possit esse voluntas; non solùm in se rectissima, quin etiam omnis rectitudinis est regula. sicut etiā eadem voluntas, quia idem est quod virtus, & virtute carere non potest; Ideo efficacissima est, ac fons, & origo omnis efficaciæ. Quā obrem sicut recti esse debemus, sic voluntatem nostram voluntati diuinæ conformare tenemur; habitu quidem, semper; sed actu, loco, & tempore: quoniam quamdiu creatura rationalis, illa habituali cōformitate caret; indigna est vita æterna, iamq; ferè tritum est prouerbium, quod ad actum illius conformitatis, qui attendiditur in volēdo adimplere pręcepta affirmatiua, tenemur semper; & quantùm ad illam conformitatem, quæ est in non trasgrediendo pręcepta negatiua, tenemur & semper, & ad semper. Vnde cum

ad

ad impossibile nullus teneatur; Vanum, ac inane est hîc dubitare, An humana voluntas diuinæ voluntati conformari possit: constat enim manifestè naturam humanam naturæ diuinæ conformari nõ posse, per participationem vnius rei vniuocè dictæ de illis: sed habendo aliquid per participationem, quod Deus habet per essentiã, potest natura humana conformari naturæ diuinę, hoc est, habendo in se aliquid, per quod, quamuis à remotis, naturam diuinam imitatur; quę quidem in imitando conformitas, quędam potest esse approximatio inter infinitè distantia, cuiusmodi sunt diuina voluntas, & creata. Quare his habitis pro intentione, & continuatione huius vltimę distinctionis, Nunc prò eius prima parte, vbi pręsentis disputationis habetur sententia, hanc cum Magistro proponimus veritatem, vz. quod in conformatione nostræ voluntatis ad voluntatem diuinam, non oportet idem habere obiectũ: sed necesse est velle, sicut nos velle debere, Deus nobis benignè significat. cũ enim natura nostra in infinitum distet ab essentia Dei; & sicut exaltâtur Cæli à Terra; sic exaltatæ sint viæ eius à viis nostris; quid mirum si aliud Deo, aliud nobis velle conuenit? Pręterquamquod, cum sit ipse Rex Regum, & Dominus Dominantium, ea nobis, vt velimus, & faciamus iustè imperare potest, quæ sibi nec facere, nec velle conuenit. Vnde apertè docet Magister, quod nostra voluntas, licèt velit aliquãdo idem quod Deus, potest esse mala; sicut ex altera parte bona est aliquãdo, licèt id velit quod Deus non vult. Vt bonus filius, dum vult Patrem viuere, bonam habet voluntatem, licèt Deus illum mori velit; & malus filius, qui vult patrem mori, quod etiam vult Deus, malam habet voluntatem, licèt cum Deo conformetur in volito; quoniam diuersa est eius intentio, & malus finis. Vnde sequitur (vt etiam habet Magister) quod bona Dei voluntas, per malam hominis voluntatem impletur aliquãdo, sicut Deus bona voluntate Christũ mori voluit, Iudei verò impia voluutate eum crucifixerunt. Igitur patet, quòd non tenemur voluntatem nostram conformare diuinæ voluntati in omni volito. Sed manifestum etiam esse debet, quod in aliquo volito suæ voluntati nostram conformare, valde est expediens: vt quę nobis in sacra Scriptura exprimuntur signo consilij: & in aliquo alio admodum est necesse, vt quę Dei præcepto, vel prohibitione nobis traduntur: non enim tenetur homo velle, nisi quod explicitè, vel implicitè pręcepit Deus ipsum velle: nec tenetur non

velle, nisi quod Deus explicitè, aut implicitè prohibuit ipsũ velle. Vnde non dicimus absolutè nos idem quod Deus velle debere; sed quod congruum sit, velle teneri. & quoniã multum interest ad quẽ finem quisque referat voluntatem; profectò, ad hoc vt simus digni vita æterna, voluntatẽ nostram voluntati diuinę in forma volendi conformare tenemur: quod est, ea, quæ volumus, semper ex Charitate velle; quamuis ad huiusmodi actum (vt communiter de pręceptis affirmatiuis dicitur) nõ teneamur ad semper. propter quod non peccamus in eo quod charitatem non habemus: licèt pro loco, & tempore, quantùm in nobis est, pręparari debeamus ad hoc, quod Deus in nobis charitatem infundat. Vnde sequitur quod sufficiens conformitas in duobus attenditur, vt, scilicet, velit homo sicut vult Deus, & propter quod vult. Sed in Patria, vbi est perfecta conformatio, Beati Deo conformantur, secundùm quatuor genera causarũ, inquantùm. s. volunt quod Deus vult, vt vult, quod sciunt ipsũ velle, & ad quod vult. At hìc dubitat Magister, An bona fuerit voluntas iudeorum, in eo, quod Christum Dominum crucifixerunt; videtur enim quod Dei voluntatem exequuti fuerint: Nam sic argumẽtor. Voluit Deus ut Christus pateretur, ergo vel voluit, vt pateretur à Iudęis vel non; si primum, ergo nihil illis debet imputari, quia voluit Christũ occidi à Iudęis, & per cõsequens voluit, quod eum Iudęi occiderent. si verò secundum, cũ passus sit à Iudęis, sequitur factum esse, quod voluit Deus non fieri; quod Dei Omnipotentiam destruit. Ad quod respondendo, primum concedit Magister, & negat hanc consequentiam, Deus voluit Christum à Iudęis crucifigi, ergo voluit, vt Iudęi Christum crucifigerent. nam inquit illius propositionis, quæ est, Deus voluit Christum à Iudęis occidi, duplex est sẽsus, alter quod Deus uoluit Christum; passionem illatam à Iudęis sustinere, & conceditur. Alter uerò quod Deus uoluit Christum crucifigi à Iudęis, & hic negatur. Nam (inquit) uolebat Deus passionem bonam, nostrę salutis causam; sed nolebat actionem Iudęorum; quę mala erat: siquidem Christi passio, duplici operationi subiacebat, v3. actioni Iudęorum afflictiuę, quę Deo non erat volita; & operationi voluntatis Christi, quę, quia meritoria, placita erat Deo; Vnde versus, Actio displicuit, passio grata fuit. licèt. n. passio effectus sit actionis, non tamen sequitur, quod qui vult passionem, etiam actionem velit; quoniam frequenter voluntas, & ratio ea diuidunt, quę natur

tura coniungit. Et per hoc soluit Magister duas difficultates, quas incidenter proponit in secunda parte distinctionis; quarum quidem, ea breuis, & facilis est determinatio, quod sancti viri passionem Christi minimè velle debuerunt, inquantùm afflictio fuit innocentis naturę; sed habito respectu ad redemptionem humani generis per illam passionem fiendam; dicendum est, & credendum, quod passionem Christi vuoluerunt. sicut etiam martirum passio, bona mente, volita esse potest; non quidem sicut illa Christi, quę sola fuit redemptio nostra; sed inquantùm per eorum sanguinem Ecclesię sanctæ augentur merita; & Deus in ipsis gloriosius apparet.

Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia; & ideo ipsi gloria in secula seculorum. Amen.





Errata Corrigenda.

à principio libri, vsq; ad dist. 19.

pag. versu	error	correctio.
7.16.	intellectus nostri.	*Intellectuū nostrorū*
9.25.	reuelambitus.	*reuelabilitas*
13.38.	vltra vères.	*vltra vires*
14.32	comparat.	*comparant*
20.20.	habitus.	*habitu*
21. 8.	siue imperfectè, & completè.	*siue imperfectè, aut perfectè, & cōpletè*
21. 9.	aut pfectè fruitur.	*fruitur*
23.17.	asserebat.	*asserebant*
24.18.	adiscendo.	*addiscendo*
25.16.	quo.	*quod*
26.10.	& fides	*fides*
27. 7.	vteri	*veteri*
29.4.	adnatasse	*annotasse*
37. 3.	interpretatus est	*interpretata est*
37. 9.	quas	*quam*
40.35.	vobis	*nobis*
42.38.	tractatur	*tractantur*
43.23.	isam	*ipsam*
47.35.	possumus	*possimus*
50.36.	in quo	*in quod*
54.17.	reditur	*redditur*
62.28.	à	*ad*
64. 8.	Dauiticæ	*dauidicæ*
65.36.	concretiuam	*concretiua*
69. 5.	enucheateq;	*enucleatèq;*
85.24.	qust	*quæ ꝙ*
85.35.	qua	*quo*
90.32.	analogiæ	*analogicè*
94.10.	rei	Dei,
94.32.	dedignare	*dedignari*
105. 9.	condictionem	*conditionem*
127.28.	ad sunt	*adsunt*
133.24.	proposito	*propositio*
136. 8.	præcederet	*procederet*
139.21.	decimatertia	*decimætertia*
148.35.	præcederet	*procederet*

A distinct. 19. vsque in finem.

pag. versu	error	correctio.
8.22.	constituere hypostases	*quædam vero non ferunt, sed supponunt fundamenta, & hypostases:*
10.34.	continentur	*continetur*
28.35.	nomina	*nomine*
33.13.	dicant	*dicat*
66. 8.	sperari	*spirari*
68.11.	pro	*per*
74. 2.	nequeunt	*neque vt*
75. 1.	iis	*ÿ*
117.30.	arguitur	*authoritate*
130.24.	priuatiuo	*priuatio*
131.34.	nodus hîc quidam soluendus	*nodum hîc quendam soluendum*
134. 1.	cognosceretur	*cognosceret*
134.15.	vnicuiusq;	*vniuscuiusq;*
134.16.	inuitabilis	*imitabilis*
141.32.	explicetur	*explicet*
142. 3.	didicitur	*dicitur*
142.38.	intensione	*intentione*
143. 6.	rei intellecta	*rei intellectæ*
144.11.	respectus idealis	*respectuum idealis*
145.15.	plurales	*plures*
145.32.	a	*ad*
146.33.	forma	*formæ*
147.18.	producedere	*producere*
147.27.	ex subiectis principij	*ex subiecti principiis*
148. 6.	plurales	*plures*
150. 4.	comunicationum	*communicationem*
150.22.	adeoq;	*adeoquod*
151. 2.	contingunt	*contangunt*
152. 2.	pertigit	*pertingit*
154.13.	corporeæ	*incorporeæ*
155.17.	circunferentia	*cincunferentiam*
158.17.	causatum	*causarum*
160.19.	sit	*fit*
161. 2.	recipiunt	*recipit*
161.18.	qualecunq; illę	*qualiacunq; illa*
167.19.	iconomicæ	*œconomicè*
165.38.	Pelagionis	*Pelagianis*
179. 30.	vocati	*vocari*
182. 9.	infirmis	*infirmi*
188.22.	impossibile	*possibile*
194.27.	his facit	*his quæ facit*
196. 6.	consequatur	*consequantur*
206.20.	nō cognoscimus	*cognoscimus*
212. 8.	ordinatis	*ordinantis*
212.21.	voluntatis	*voluntati*

INDEX RERVM OMNIVM MEMORABILIVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

In parte Prohemiali.

Te

In Distinctione Prima.

De subiecta materia Libri Sententiarum.

In Distinctione II.

De vnitate, & Trinitate Dei credenda.

Quo-

In Distinctione III.

De vnitate, & Trinitate Dei naturaliter intelligenda.

Quid

In Distinctione IIII.

Quod vna persona sit ab alia defenditur.

In Diſtinctione V.

Diuinam eſſentiam non generari, nec generare tuetur.

In Diſtinctione VI.

De D. Generationis modo.

In Distinctione VII.

De potentia generandi, an sit in filio.

In distinct. VIII.

De veritate diuini esse.

In

In distinctione IX.

De æterna generatione, per quam filius distinguitur à Patre.

In distinctione X.

De persona Spiritussancti.

In distinctione XI.

De principio Aeternæ Processionis spiritussancti.

Græci

In distinctione XII.

De æquali Processione spiritussancti.

In distinctione. XIII.

De differentia generationis, & spirationis.

In Distinctione XIIII.

De principio temporalis processionis Spiritussancti.

In Distinctione XV.

Quod Spiritusſ. etiam à se ipso temporaliter mittitur.

Inn

In Distinctione XVI.

De modo quo Spiritus s. visibiliter mittitur.

In Distinctione XVII.

De inuisibili missione Spiritussancti.

Quando

In Distinctione XVIII.

De nomine proprietatis qua Spiritus s. temporaliter procedit.

In Distinctione XIX.

De æqualitate diuinarum personarũ in magnitudine.

In distinctione. XX.

De æqualitate Trinitatis in potentia.

In Distinctione XXI.

Quomodo accipiantur dictiones exclusiuæ in diuinis.

In Distinctione. XXII.

De diuinis nominibus in vniuersali.

Theo-

In

In distinctione. XXIII.

De prædicatione huius nominis persona.

In Distinctione XXIIII.

De nominibus Trinitatẽ significantibus secundum se.

In Distinctione XXV.

De nominibus Trinitatem significantibus cum nomine Persona.

In distinctione XXVI.

De propietatibus personalibus in se.

Scotus

In distinctione. XXVII.

De personalibus proprietatibus comparatiue.

Imago

In Distinctione XXIX.

De proprietate, quæ est communis spiratio siue principium.

In distinctione XXX.

De his, quę propriè temporaliter dicuntur de Deo.

Spi-

In diſtinctione XXXI.

Diuinorum attributorum doctrina.

In diſtinctione XXXII.

Diuinorum attributorum defenſio.

A Patre

In Distinctione XXXIII.

Comparantur Proprietates ad essentiam, & ad personas.

In distinctione XXXIIII.

De D. Essentia & de Personis ad inuicem.

In Distinctione XXXV.

De scientia Dei.

In Distinctione XXXVI.

Quomodo res sint in Deo.

Malum

In Distinctione XXXVII.

De existentia Dei in rebus.

In Distinct. XXXVIII.

De certitudine scientiæ Dei.

Dei

In distinctione XXXIX.

De perfectione diuinæ scientiæ.

In distinctione XXXX.

De Diuina Prædestinatione.

In Distinctione XXXXI.

De D. Prædestinatione.

Totus

In Distinctione XXXXII.

De omni Potentia Dei.

Anima

In distinctione XXXXIII.

De Dei potentia quantum ad quantitatem.

In distinctione XXXXIIII.

De Dei omnipotentia quantum ad qualitatem.

In Distinctione XXXXV.

De D. Voluntate.

In Distinctione XXXXVI.

De impletione Diuinæ Voluntatis.

In distinctione. XXXXVII.

De D. voluntatis efficacia.

In distinctione vltima.

De conformatione nostræ voluntatis ad voluntatem Dei.

SOLI DEO HONOR, ET GLORIA.



Totum hunc librum in disputationem propositum, iam Deo fauente, tribus primis diebus Maij; Florentiæ, in Aedibus nostris D. Annuntiatæ, fœliciter tutati sumus: Respondentibus prima die Fratre Hieronymo de Florentia; die secunda Fratre Dionysio Florentino, & altera die aliis quatuor eius discipulis, videlicet Fratre Augustino Lucænsi, Fratre Dionysio Burgensi, Fratre Angelomaria de Montepolitiano, & Fratre Petrofrancisco Placentino. qui etiam Parmæ pluribus aliis diebus, si datum fuerit, idem facient.

Cautum est diplomate Magni DVCIS, ne quis hunc librum iniussu Authoris intra quinquennium imprimere, aut alibi impressum vendere audeat: Qui secus fecerit, libris, & pœnas in sanctione æstimata mulctabitur. Florentiæ. Quarto Idus Maij. 1579.

Imprimendi, ac disputandi facultatem, & licentiam concessit Magister Dionysius Costacciarius Inquisitor Generalis totius Dominij Florentini.

Eandem facultatem Vicarius Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Florentini, & Reuerendissimus Generalis Seruorum dederunt.



FLORENTIAE,
Excudebat Georgius Marescotus.
M D LXXIX.